ONALE
8
I
3
MA
VITT. EMANUELE

XVI.E.8

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPVTATIO
DE
LIBERO ARBITRIO

AVTHORE
IACOBO CAPREOLO
BACCALAVREO THEOLOGO
MODERATORE SCHOLÆ HARCVRIANÆ
ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORE REGIO

Ex libris Domus montis

Congreg.nis Mission.is Romanae Citatorii

LVTETIÆ

Apud IOANNEM LE MIRE ad caput ſancti Ioannis, viâ Iacobæâ

AN. D. M. DC. XLIX
KAL. DECEMB.

CVM APPROBATIONE ET PERMISSIONE

8 37. I. 3

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO

CARDINALI

LVGDVNENSI

ALPHONSO

RICHELIO

è ſchola Harcuriana Kal. Decemb. an. D. M. DC. XLIX.

HOC *opuſculum, quod audet tuam adire purpuram*, Cardinalis eminentiſſime, *quodcunque tandem illud eſt & qualecunque, ſe apud eum, cuius ſe totum eſſe glorietur, peregrinum non reputat. Nanque tuis*, glorioſiſſime Præſul & ſanctiſſime, *prodit ex officinis, tuis à fabris elaboratum exit. Nos, quos ſcholis tuis, Regijs ſcholis ſingulari benignitate tua præfeciſti, auditoribus noſtris (nanque virum optimè meritum de re literaria Padetium, quem meorum ſtudiorum ducem & moderatorem ſemper habui, præcipuum authorem huius operis accipies;) tuis, inquam, alumnis, ſiquidem, quæ tua ſemper eſt æquiſſima voluntas, eos nobis continuè paſcendos eſſe caues, hunc Philoſophiæ ramum anno ſuperiore decidimus. Sed cùm altero hoc anno, deſæuiente*

Digitized by Google

duriſsimo marte & iniquiſsimo, deſæuiente longiſſima hyeme & inclementiſsima, alterius operis inter armorum ſtrepitum excudendi nobis ablata videretur eſſe poteſtas; qui iam, vacuis auditoribus ſpatijs tuis, incluſi otioſique iaceremus, de hoc eodem opere, quod è purpurâ editum eſſe ſe iactare non pudet, meliorem in lucem emittendo cogitauimus. Depromptum igitur tuis è chartulis libellum hunc, fructum hunc tuis ex arboribus decerptum è Harcurio tuo emittimus, qui venerandam tuam eminentiam *adeat. Sed, vrgente marte, ita pauidus exijt; ita lentus, cogente frigore, vt non abs re dubitemus, ne tardiùs longè quàm optauerimus, tuis ſacris liminibus inſiſtat,* magnique pontificis ſanctum *reformidet* aſpectum *ſuæ conſcius inopiæ, ſuæ tenuitatis conſcius. Se tamen, quoties ad ſe redit, habet erectum, séque ſua ſpe fouet, ſumma fretus authoritate tua, tua religioſiſsima ſeueritate ſuffultus. Certè non reuereri non poteſt* tanti *dignitatem* antiſtitis, *non colere non poteſt, non venerari virtutes eius eximias omnes. Sed ita ſapit & apud ſe recogitat iſte libellus. Carthuſianorum familiæ, inquit, inter cæteras omnes ſanctæ ſtrictæque regulæ amantiſsimus eſt* Cardinalis eminentiſſimus; *eccleſiæ praeeſt obſeruantiſsimæ antiqui ritus & tenaciſsimæ; denique veterum Eccleſiæ patrum verus imitator eſt in paſcendo cuſtodiendóque grege domini ſui, iam à tot annis bonus*

Digitized by Google

paſtor & emeritus. Porrò veterum Eccleſiæ patrum doctrinam refero, refero doctrinam ſanctiſſimæ religioſiſſimæque Lugdunenſis eccleſiæ. Eam doctrinam intelligo, quam ſancta tua, Cardinalis eminentiſſime, *Lugdunenſis eccleſia iam à tot ſæculis magno magni patris Auguſtini ſpiritu ducta, collegit & edidit adeo tempeſtiuè, vt renaſcentes Pelagianorum Maßilienſiumque reliquias dißipauerit. Se profectò dignam ſemper habuit illa ſedes, quæ primas teneret inter omnes Galliarum eccleſias; ſéque verè matrem præſtitit, quæ cæteras omnes veluti filias in Chriſto dilectas veræ puræque religionis vero puróque lacte paſceret. Quæ nihilominus Eccleſia, quanta ſit illa quanta*, tali præſule, duce tali *hodierno die maximè gloriatur; gloriatur æquè Lugdunum antiquißima & florentißima olim imperij Romani ciuitas, vt hac ætate noſtra Gallicani. His inductus auſpicijs audet iſte libellus ſe* maximo *vouere* Cardinali Richelio. *Quòd ſi materiam quam agitat in ſe nunc, non æquaret dico, tantùm abeſt vt dicam ſuperaret, ſed quoquo modo pro dignitate referret, clauem reciperes*, Cardinalis eminentiſſime, *ab infimo certè fabro tuo, quæ præcipuis totius Chriſtianæ humanæque Theologiæ myſterijs aperiendis valeret; eamque tuo, ita verus es & æquus rerum arbiter, grauißimo iudicio declarares hac ætate noſtra, qua ſe tot nouitates efferunt, qua tot*

recuduntur hæreſes, apprime neceſſariam. Nulla nanque de re, quod ratum inter eruditos & indubitatum, tot & tantæ, tamque periculoſæ diſſenſiones & nunc & olim apud Philoſophos & rerum Sacrarum interpretes motæ ſunt, quàm de libertate. Magnam minantur illæ perniciem, niſi veterum Eccleſiæ doctorum, ſanctorum Eccleſiæ patrum ad mentem iudiciumque referantur. Alioqui non plures varietates habet pardus, quàm opiniones inter ſe diſſentientes de gratia & libero arbitrio paucos intra dies viſura ſit mater Eccleſia. Sed, conceſſa, vti par eſt, ſancto eius Epiſcopatui ea ſollicitudine, reliquum nobis eſt, vt diuinam opem imploremus. Si nanque nos metimur è nobis, quia tanta noſtra tenuitas eſt, vt nos nobis derelicti nihil è nobis ſperemus, nihil niſi è diuina clementia & largitate, tuam ad authoritatem confugimus, Cardinalis eminentiſſime; *tuti confugimus ad veram ſalutis anchoram; ſacras ad aras dico Dei præpotentis; ad* maximum *eius in Chriſto Ieſu* ſanctiſſimumque Sacerdotem, *per quem ad illum nobis acceſſus eſſe poteſt, qui cunctas res diuina moderatione ſua ſuas per poteſtates miniſtras agit; ducitque eos in fines, quos ipſe pro diuino nutu ſuo ſingulis affixit. Quòd ſi nobis ſummus ille rerum moderator omnium ætatis nonnihil addat,* tuamque *ſua ſumma bonitate* ſanctitatem *nobis ouilique ſuo ſeruet incolumem, quod ita faxit,*

Digitized by Google

faciet autem ſi tuæ gentis, ſi plebis tuæ, ſi tuarum ouium omnium votis annuat, idque pro tot votis plurimos adhuc in annos, ſe tibi tota ſubmittet arbor, cuius hodie ſe tibi ramulus offert. Magnum Richelij nomen, *quod quam mihi venerabile ſit, teſtificatus ſum omnibus meis opuſculis, quantùm,* Cardinalis eminentiſſime, *tua ſingulari erga Deum pietate amplificaueris, tantùm, quæ maximè velimus abs te, bonis auxeris nos, noſtróque iudicio verè cumulaueris. Creſcimus etenim, creſcente te, qui tui ſumus omnes. Sed ne te pluribus fatigem,* Cardinalis eminentiſſime, *etiam atque etiam vale; & in eo, per quem vnum nobis certa ſalus, certa vera libertas, æternùm viue; eccleſiæ tuæ conſtantiſsimæ piiſsimæque viue diu; tuo viue ſanctiſsimo ritu toti clero Gallicano; viue* prudens & fidelis ſeruus *ouili* magni paſtoris *Chriſti. Id vnum, quod ſummis habet in votis, tibi maximè precatur & ſingulariter*

Eminentiæ tuæ humillimus
& deuotiſſimus cliens
IACOBVS CAPREOLVS.

Digitized by Google

APPROBATIO.

NOs ſubſignati facultatis theologicæ Pariſienſis doctores, perlecto libro cui titulus eſt, *Diſputatio de libero arbitrio, authore Iacobo du Cheureul profeſſore regio*, teſtamur in eo nihil animaduertiſſe veræ fidei catholicæ, apoſtolicæ & romanæ repugnans, nihil quoque à bonis moribus & à ſincera veritate alienum, quod iure à philoſophis chriſtianis & theologis improbari debeat noſtro iudicio. Datum Pariſijs die octaua Nouembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono.

CHASTELLAIN. COPPIN.

Digitized by Google

DISPVTATIO
DE LIBERO ARBITRIO
PRÆFATIO

INTER eas res quæ valent ad meritum, primas tenet gratia Chriſti ſeruatoris, ſecundas tenet libertas, recta confert inſtitutio, confert aſſuetudo recta. Sed illa gratia diuina vis eſt, non humana: humana vis noſtra libertas, non diuina. Eadem eſt diuinæ & humanæ aſſuetudinis oppoſitio; eadem diuinæ inſtitutionis & humanæ. Sua nanque documenta habuerunt ſectæ philoſophorum, ſuas aſſuetudines. Sed *beatus homo quem Dominus erudierit, beatus cuius voluntas in lege Domini.* Mendoſæ ſiquidem ſectæ philoſophorum omnes, viæ eorum omnes infructuoſæ: via Domini, ſalutis via, via veritatis.

Sed natiuæ noſtræ libertatis ea conditio eſt, vt cæteris omnibus in nobis potentijs dominetur, ſolis ijs exceptis, quæ naturales ſunt, neque rationem auſcultāt, qualis motiua vis arteriæ. Sed omnibus aliquando, quæ noſtra ſpes eſt, plenè dominabitur in corpore glorioſo voluntas noſtra, vt in ea plenè regnabit diuina voluntas. Mentis exceptio quędam eſt. Hanc enim ducis titulo ſubiectam non habet voluntas, quanuis eam abſolutè ſubiectam habet titulo finis. Sic in gratiam viatoris eſt dux itineris. Nullis autem, Deum vnum ſi demeris, poteſtatibus ſe per ſe ſubiectam habet voluntas, etſi nos malo eius vſu implicuerimus Satanæ nexibus infœliciſſimis, iiſque per naturam inenodabilibus. Etenim *voluntas noſtra*, inquit ſanctus Bernardus, *nos mancipat Satanæ, non eius poteſtas. Martyris corpus in poteſtate torquentis eſt, ſed eius libera voluntas. Infirma ſi fuerit, ſæuiendo cognoſcet tortor, infirmam non faciet. Quamobrem infirmitas voluntatis ab ea eſt; ſanitas verò à ſpi-* Opere de grat. & lib. arb.

Digitized by Google

ritu Domini, non ab ea. Noſtra nanque, voluntas, inquit, *quæ de poſſe non peccare, corruit in non poſſe non peccare, ad peccandum ſibi ſatis eſt, non ſatis ad reſurgendum.*

Sed quia ſapientibus ſæculi, *quibus abſcondit Deus, quæ reuelauit paruulis*, virtutum chorus omnis è ſola libertate ſpectatur, nobis obſeruanda veniunt, quæ ad hanc vim attinent, quæque à Chriſtiano philoſopho dici poſſe videntur. Primas enim ſalutis origines & miſeriæ, quas neſciuit Porticus, Lyceum neſciuit, neſciuit Academia, cæteri neſciuerunt omnes, qui fontem aquæ viuæ, qui ſe natos in maledicto neſciuerunt, attingere nos per occaſionem operæpretium eſt, ne cum illis veritatem in iniuſtitia detineamus, vanáque virtutum ſimulacra pro virtutibus ipſis, folia pro fructibus, etiam venena venditemus pro remediis. Vt enim ſapientum ſæculi, *qui euanuerunt in cogitationibus ſuis, & quorum obſcuratum eſt cor inſipiens*, nugas & impietates miſſas faciam, quod liquet ex infantibus in Chriſto ſeruatore conſepultis, gratia valet abſque mentis & libertatis vllo penitus vſu proprio. Quod autem nos ſacræ paginæ docent, quod Eccleſia mater colomna veritatis, ſi quos occupet mors charitate vacuos, cætera nihil proſunt omnia. Quamobrem in nobis adultis ſocianda veniunt cum libertatis vſu cæteriſque naturæ bonis hauſta per Dei miſericordiam de fonte viuo chariſmata.

Hæc autem tota diſputatio quinque capitibus continetur: de definitione libertatis: de præcipuis eius diuiſionibus: de eiuſdem exiſtentia: de præcipua determinatione liberi arbitrij: de ſumma libertatis & neceſſitatis, quæ propria ſit conſultæ voluntatis, concordia.

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM

De definitione libertatis.

ARTICVLVS PRIMVS

De vario ſignificatu nominis Libertas.

NOMINIS *Libertas* varius eſt admodum ſignificatus. Primò nanque liberum dicitur, quicquid independens eſt ſuo in genere. Quo nomine Deus inter entia liberrimus eſt; liberrima inter habitus mentis, intelligentia. Tale cæterùm eſt, quicquid primum eſt in quouis rerum genere.

Secundò liberum vulgò dicimus, quod citra periculum eſt & impedimentum. Qualis fere peregrinatio tempore pacis, qualis vt plurimùm æſtiuo tempore nauigatio, qualis maximè Beatorum ſors in patria.

Tertiò liberum idem eſt, quod immune. Sic à vectigalibus liberi filij regum. Sic à duriſſimo ſeruitutis iugo, duce Moyſe, liber factus Iſraël. Sic à lege Moſaïca liberos eſſe docet Apoſtolus filios promiſſionis. Sic infantes qui excedunt conſepulti Chriſto, liberi ſunt à pœnis. Sic matrimonij lege ſoluta viduitas. Sic iure tutorũ ſoluitur, qui ſuam in tutelam venit. Sed vna ſingularis eſt immunitas & planè diuina, habere ſe liberum à peccatis. Quam plenam ratamque libertatem beatæ mentes obtinent in cœlis. Apud nos quidem mundi ſunt infantes abluti lauacro regenerationis, ſed reſtant obnoxij peccato. Non enim efficiuntur impeccabiles opera baptiſmi. Quòd ſi nos adulti Dei gratia ſoluti ſumus à nexu Satanæ, reſtant debitæ pœnæ, noxæ quotidianæ reſtant, reſtat in omnibus hac in mortali vita corpus veteris Adæ. Quidam fuerunt his in terris, quos admodum paucos habemus, primo ab ortu

Digitized by Google

ſuo in gratia confirmati, qualis beata virgo, qualis præuius Chriſti ſeruatoris nuncius. Illa certè, vt quæ fuerit in bono confirmata, nulla ſe labe fœdauit vſquam; hic, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, quique Eccleſiæ matri *neſciens labem niuei pudoris,* nullis ſe noxis inquinauit, niſi leuiſſimis. Sed omnes, quod certum, vno Chriſto ſeruatore dempto, ita vixerunt in nouo homine, vt ſemper vixerint in corpore peccati.

Quartò liberum eſſe dicitur, quicquid non eſt coactum; quicquid ſic oritur, vt proprio eius principio nulla vis inferatur, etſi fortè neceſſarium illud eſt. Sic dicitur lapis deſcendere liberè, equus ad aquam currere, Deum amare beata mens, Pater diuinus generare Filium.

Quintò liberum eſt, quod vltro prodit è voluntate, præeunte iudicio, ſiue neceſſarium illud eſt, ſiue non. Quo nominis vſu liberè colloquimur inter nos, Deum amant beatæ mentes liberè; liberè non cadit lapis, ad aquarium liberè non properat equus.

Pleriſque demum liberum idem eſt quod indifferens, non modo quouis, ſed eorum proprio, qui ratione viuant.

ARTICVLVS SECVNDVS

De indifferentia, ea præſertim, quæ libertatis eſt.

INdifferentia nanque vel ſubiectiua eſt, vel obiectiua, vel actiua. Indifferentia ſubiectiua propria eſt materiæ & omnis rei quæ ſuapte natura quoquo modo indifferens eſt ad varias formas. Sed hæc indifferentia paſſiua eſt, non actiua. Quod enim liquet ex igneſcente viciſſim materia & aqueſcente, ſe non determinat ſubiectum ad hanc vel illam formam, ſed determinatur extrinſecus. Animus quidem ſe contrariis habitibus induit in nobis, ſed libertatis authoritate, non ſubiecti. Quare ſubiecti hoc ipſo nomine propria non eſt libertas.

Indifferentia obiectiua res eſt obiecta menti & voluntati, quæ per ſe indifferens eſt, cùm vt iudicetur bona vel

Digitized by Google

mala, tum vt ametur vel reſpuatur. Sed neque liberras propriè conſiſtit in hac indifferentia. Alioqui res omnis donanda nobis eſſet libertate. Patet ex diuitiis, veſtibus, cibis, virtutibus, vitiis, honoribus. Hæ nanque res & ſimiles aliæ tales ſunt, quas amare poſſimus vel odiſſe. Deinde hæc indifferentia quodammodo paſſiua eſt, non actiua verè, etſi ſua quædam illi poteſtas eſt titulo finis. Quia nihilominus, ſublata hac eadem indifferentia, nulla ſupereſt eligendi poteſtas, habenda nobis eſt pro fundamento electionis.

Indifferentia actiua maximè propria eſt facultatis agentis liberè. Sua brutis animantibus indifferentia quædam eſt. Sed ea neque mentis eſt, neque iudicij vllo planè modo conſequens. Quare indifferentia actiua vulgò philoſophis hoc in negotio mentis eſt & voluntatis. Rem etenim eandem iudicare poſſumus conuenientem nobis eſſe & non conuenientem, ſi modò alio mentis aſpectu & alio bona videri poteſt & mala. Voluntatis autem proprium eſt, facto mentis iudicio, acceptare hanc eandem rem vel reſpuere.

ARTICVLVS TERTIVS

De iudicio, præſertim vltimo, quod eſt arbitrium.

SEd iudicium ſpeculatiuum eſt vel practicum. Speculatiuum iudicium hîc abſolutè dicimus, quod eſt ſciendi cauſa, non volendi, non nolendi, non viuendi moraliter. Sic iudicat phyſicus penſilem eſſe terram medio in aëre. Sic dialecticus nullam eſſe concluſionem ex negantiis, Sic moralis philoſophus bonum ab honeſto ſeparatum nullum eſſe. Iudicium practicum hoc eodem in negotio nobis eſt, quod ſingulariter definitum eſt ad propriam vnius vitam. Singulariter definitum dico, quod vnius familiæ proprium eſt, vel vnius ciuitatis, vel vnius perſonæ. Hoc autem vniuerſale nobis eſt vel particulare.

Iudicium practicum vniuerſale non dico, quo iudica-

Digitized by Google

mus vniuerſim de honeſtate, vtilitate & iucunditate rerum amabilium; vel de contrariis, quæ ſunt fœditas, damnum & moleſtia, rerum odibilium affectionibus. Id enim, quod ad præſens inſtitutũ, verè ſpeculatiuum eſt. Conſtat ex diſputationibus ethicis de bono & malo, de virtute & vitio, de fœlicitate & miſeria. Sed neque iudicium vniuerſale hîc dicimus, quo quicquam concludatur omnibus vel familiis, vel ciuitatibus, vel perſonis commune; ſed quo concluditur de proprio vnius cuiuſdam viuẽdi propoſito. Sic apud nos abſolutè iudicare poſſumus rapto nobis eſſe viuendum, vel nobis non eſſe viuendum rapto; nobis libidine viuendum, vel non viuendum eſſe nobis libidine; nobis non eſſe viuendum auſpicio virtutis, vel nobis eius auſpicio viuendum. Sic apud ſe curio vel epiſcopus iudicare poteſt & ſtatuere ſibi magis quàm gregi ſtudendum, vel gregi magis quàm ſibi. Sic magiſtratus gratia ſibi viuendum, viuendum lucro, vel iure viuendum. Sic fraudis vel æquitatis propoſitum in negotiatoribus.

Verè quidem demonſtrat ethice prima naturæ præcepta, quæ lex eſt inſculpta cordibus noſtris. Sed ea niſi nobis inducrimus obſeruanda, ſpeculatiua manent. Quibus autem induimur, ea nobis ſunt rationes viuendi propriæ, ſecundùm quas vitam noſtram formamus omnes vel inquinamus. Quid nobis magis demonſtratum eſſe poteſt, quàm alteri faciendum non eſſe, quod nobis factum eſſe nolimus? Quid autem minùs inſitum nobis, quid propoſitum minùs? Sed ecquid minùs propoſitum nobis, quàm alteri faciendum eſſe, quod nobis factum eſſe cuperemus, etſi iudicio ſpeculatiuo conſentimus omnes ſanctius nihil eſſe, nihil homine dignius? Semper orandus nobis eſſet Deus abſque intermiſſione, vt quæ nobis aſperæ videntur, lætitiæ eius rectæ, eæ lætificent corda noſtra. Si nanque volet Deus, ita nos affectos efficiet, vt eius eloquia, eius iudicia nobis amabilia ſint ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulcia ſuper mel & fauum.

Sed ne longiùs excurram, illud in negotiatore vel alio

Digitized by Google

quouis generale propoſitum, quod idem dici poteſt de propriis familiarum & ciuitatum inſtitutis, præcipuè nobis obſeruandum eſt in examine morum. Quandoquidem enim cor primæ & interioris vitæ ſedes eſt, ſanctæ vitæ propoſitum ſancta vita eſt, vt fœda vita vitæ fœdæ propoſitum, ſi maximè fixum illud eſt. Neque dubium id vel obſcurum, ſiquidem è corde exeunt rapinæ, exeunt eleëmoſynæ, cætera, quæ vitæ ſunt, exeunt omnia.

Interiorem itaque vitam ſi dicimus, quam æſtimemus è propoſito, hoc iudicium quod dicimus vniuerſale, quodammodo ſatis eſt. Alioqui nondum ſatis eſt, ſi vitam abſolutè dicimus. Aliud etenim eſt velle nos ita viuere, aliud hîc & nunc, occaſione facta, explere noſtrum illud velle. Non enim explere libidinem quicunque vult, eam tum explet, vel eius explendæ nactus eſt occaſionem. Quod autem certum eſt, vt conſummatur, ſic vſu firmatur vitæ propoſitum.

Iudicium practicum particulare eſt, quo iudicamus faciendum nobis aliquid eſſe vel non faciendum, præſente quodammodo vel etiam vrgente occaſione. Sed hoc abſolutum eſt vel conditionale. Iudicium vltimum abſolutum eſt, quo, conſideratis omnibus circunſtantiis, abſolutè iudicamus hîc & nunc faciendum nobis aliquid eſſe vel non faciendum. Sic moriendum ſibi hîc & nunc ſtatuebat Cocles, vel reſiſtendum hoſtibus. Sic decernebat apud ſe Suſanna ſibi melius eſſe amittere vitam hîc & nunc quàm adulterium committere. Iudicium conditionale vltimum eſt, quo iudicamus aliquid faciendum eſſe nobis certo tempore vel non eſſe faciendum, ſi modò hæc vel illa ſe dederit occaſio. Sic fortè quis ſtatuit hodie ſibi pugnandum eſſe, ſi hoſtis exierit è caſtris; vel furandum, ſi vicinus rus abierit. Quod quidem iudicium priùs euaſurum abſolutum eſt, quàm ex eo quicquam abſolutè velis. Poſita ſiquidem occaſione, ſi tum approbas vel reſpuis, quod ante tibi propoſueras, abſolutè decernis.

Eædem partes ſunt & eadem diuiſio iudicij vniuerſalis. Lautam nanque vitam ſibi quis proponere poteſt abſolu-

Digitized by Google

tè, cui non deſint opes; vel ex conditione, ſi pingue ſacerdotium, cui inhiet, obtinuerit.

Cæterùm actiones, quæ non pendent è ratione, quales in nobis alimoniæ coctio & diſtributio, non attinent ad hanc quæſtionem. Sed nec, quæ prima dicitur, apprehenſio, nec omnes illæ mentis operationes, quæ quomodocunque ſequuntur ex apprehenſione vel è quouis iudicio quod practicum non ſit. Id autem de primario ſcientiarum vſu dictum accipies, non de ſecundario. Metaphyſices enim & ethices, è quibus præſertim ambabus depromptæ bene viuendi leges, magna vis eſt in formandis moribus; veritatis, puris in animabus abſolutè magna, ſi modò hac luce dirigitur praxis, faſtu aliove vitio non impeditur.

Sed iudicium practicum alio diuiſionis modo ſimplex eſt vel conſultatiuum. Simplex eſt, quod euolutum non eſt ratiocinio; vel, ſi mauis, quod conſequens non eſt deliberationis. Tale cæterùm illud eſt per ſe vel per accidens. Prius nequit eſſe conſultatiuum. Quale beatarum mentium iudicium eſt de Deo diligendo. Quandoquidem enim illis aperta diuina maieſtas eſt, nullus eſt locus indifferentiæ, conſultationi nullus. Sic apud inferos Miſeris conſultatio nulla de pœnarum ſibi inflictarum odio. Alioqui has ſi probare poſſent, ipſam à ſeipſa iuſtitiam colere poſſent & amare. Quod abſurdum. Nequit enim Satanas particeps eſſe beatitudinis. Nonnullis aliis in rebus deliberent Miſeri, non deliberent, pro certo non deliberant beatæ mentes. Si nanque laborarent ignorantia, totum quod eſt ex parte, non eſſet euacuatum. Sed abſque dubio nuſquam deliberat, quam deliberare repugnet abſolutè, ipſe à ſeipſo rerum omnium aſpectus.

Iudicium conſultatiuum re tale eſt vel virtute. Euolutum ratiocinio dicimus, vel euolubile, non euolutum. Quod euolutum non eſt apud nos, id ſimplex eſt per accidens. Vtrunque nos hæc exempla docent. Vir exquiſitæ probitatatis, etſi, facta occaſione furandi, non deliberet, neque furtis aſſuetus, vterque tamen deliberare poteſt.

Furtum

Furtum nanque bonum vtrique videri poteſt & malum. Sic temperans & intemperans, facta occaſione fœdæ libidinis explendæ, non deliberant. Vtrunque primum his in exemplis ſapientiæ moralis eſt. Sapientiam dicimus prudentiæ titulo, non ſcientiæ. Vt enim ſcientiæ conſummatio abſolutè nobis eſt ſapientia, ita prudentiæ conſummatio. Alterum vtrunque aduerſæ vitioſitatis eſt, ſiue calliditas illa ſit, ſiue ſtupiditas.

Sed vt fixo in malis conſilio, fixóque propoſito calamitoſius apud nos nihil eſt & exitialius: ita ſingulare munimẽtum eſt hac in vita, ſingulare remediũ aduerſus Satanæ inſultus omnes, ſi de fœditate repudianda, cùm ſe nobis offert, firmũ habens apud te conſilium, propoſitũ firmum, nuſquam deliberes. Rem enim ad trutinã quæ ſit indifferentiæ, quæ ſit æquilibritatis, vbi reuocas, ſi neſcis, diſce tandem aliquando, mirum quàm ſubtilis artifex Satanas & quàm paratus inſidiator, inter deliberandum, ſi quæ rimæ patent, illabetur, arcem inuadet, niſi nutanti tibi atque periclitanti Deus à dextris eſt. Sunt, non nego, iuſtæ nobis occaſiones aliquæ deliberandi, quales de litibus iure ſuſceptis & neceſſitate, quales abſolutè de agendis rebus obſcuris; ſed vbi ſe fœditas offert, illi confeſtim occludendum oſtium eſt. Nuſquam enim occludetur faciliùs & oportuniùs, quàm ſi primum ad aſpectum occluditur. Neque profectò licitum nobis eſt deliberare de committendis fœditatibus prohibitis, quales, idolorum cultus, adulterium, homicidium. De his quidem & ſimilibus alijs deliberare poſſumus, ſed quæcunque facere poſſumus, nobis non licent. Periculoſa verò ſemper eſt eiuſmodi conſultatio, & certum infirmitatis argumentum. Quaſi liceret arcis præfecto conſilium habere de aſſerendo patriæ propugnaculo vel prodendo hoſtibus. Dubio procul hoc ipſo reus eſt perduellionis. Quid itaque nos diuinæ per eſſentiam milites militiæ, quique Chriſto duci nomen dedimus, ſi deliberemus de deſerenda Dei militia, vt deſcendamus in partes Satanæ, cui coram Eccleſia renunciauimus? Quiſquis es, quod negare non poſſis, ſal-

Digitized by Google

tem tepidus es. Sed vti tepeſcis, ſic euomere te incipiet Deus. Datores approbat hilares, calidos approbat; non lentos, non indifferentes. Quo vitio captus incontinens, exempli gratia, facta occaſione explendæ fœdæ libidinis, fere deliberat. Sic fere deliberant, qui neutram in vitæ viam progreſſi ſunt, veluti tyrocinium facerent huius vel illius tenendæ. Quæ ratio non eſt artificum. Tyrones enim fere conſultant apud ſe, vix artifices.

Articvlvs qvartvs

De conſultis actionibus & incōſultis, vbi de primis motibus.

Nostræ nihilominus actiones omnes, vbi locus eſſe poteſt conſultationi, virtute conſultæ ſunt, etſi verè nullo è ratiocinio pendeant, quod euolutum ſit. Talis vt plurimùm eſt & partium argumenti, & vocabulorum, & contextus, & literarum, & propriæ harum cōformationis electio apud nos inter ſcribendum, ſi maximè ſcribendi celeritas eſt, qualis fere in ſcribendis ad familiares epiſtolis. Hæc autem actio, etſi præceps, vitio tribuitur vel virtuti, ſi quoquo modo procedit ex habitu. Alioqui niſi procedit ex habitu, minùs tribuitur virtuti vel vitio, ſi præſertim prę-ceps magis eſt & cōſiderata minùs. Ea noſtris in ſcholis vulgò dicitur primus motus. Vt ſi nihil tale ſuſpicatus, cernis, patrem qui recētiſſimo vulnere confoderit, præceps aduolas ſtricto gladio, atque transfigis homicidam. Laudis eſſe dignos vel reprehenſionis hoſce motus primos negat vulgus. Sed quādoquidē ignoti nulla cupido, nullus in nobis affectus ex apprehēſione ſimplice, vt ingenuè dicam, quod ſentio, cùm talis actio ſit è iudicio quodā, cóque minimùm cōſultatiuo virtute, non eſt inconſiderata penitus & inconſulta. Quare cùm mala ſit & rationalis, quæ hypotheſis eſt, non ita dicendum abſolutè crederem illum innocentem omnino, qui furijs, vti vulgò dicitur, actus incōſultis hominem volēs interficiat. Certum etenim eſt & cōfeſſum inter omnes libertatis vſum conſiſtere poſſe cum ſimplice iudicio. Acceditprima radix malorum omnium. Præcipitatio nanque & inconſideratio, quæ præcipuæ ſunt origines

Digitized by Google

imprudentiæ, vt ignorantia & concupiſcentia, ortum habent è primo ſcelere.

Scio tamen grauiorem eſſe noxam ſi modò cætera paria ſunt omnia, quo conſultior eſt & cocta magis. Scio quoque nonnullas actiones in nobis ita præcipites & inconſideratas eſſe, vt neque liberæ ſint populari iudicio, neque rationales. Quod enim perexiguum eſt, id moraliter apud nos habetur pro nihilo. Sed quod nobis hebetibus nihilum eſt, nihilum non eſt Deo, apud quem nemini conceſſum eſt innoxium contendere ſe, etſi licet aliquando coram hominibus. Nota ſanctitas Iobi. Quod tamen apud Deum ſuas inter ærumnas ſuam prætendiſſet iuſtitiam, atque conqueſtus eſſet, iuſto Dei iudicio reprehenditur. Sed eodem iudicio laudatur, quòd aduerſus homines ſuam innocentiam aſſeruiſſet. *Sic liber iſte*, inquit ſanctus Hieronymus, *ſolum Deum iuſtum pronunciat, quamuis homo homini, etiam coram Deo, verè iuſtus eſt.* Sed ecquæ dilecti Chriſti ſeruatoris diſcipuli potuerunt eſſe delicta? Sic ille nihilominus; *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Alio certè nos pede, alio Deus noxas metitur. Recti Deus regula, cuius nos pro menſura gratiæ próque modulo participes. Argum. in lib. Iob.

Sed de exigendo ad veritatem totius vitæ noſtræ curriculo, ſemper nos commonere debet certum de verbo otioſo Chriſti ſeruatoris documentum. Id ſatis vident, qui videre volunt, nullum nobis datum eſſe vacuum officij momentum. Datum nobis, inquam, non reddendum nihil eſt. Nos autem nihil habemus non acceptum. Sed Deus cui nos ſemper commendatos oportet, commendataſque noſtras operas omnes & horas, potens eſt adiuuare infirmitates noſtras, conſeruare nos abſque peccato, ſanare nos quoties deliquimus, & liberare nos à ſeruitute mortis.

Bonarum autem actionum, quod ad propoſitum, ratio eſt, quæ malarum. Bona ſiquidem oportet bene fieri. Bonum ex integro dicimus, malum è quouis defectu. Quòd ergo quæ fiunt inconſideratè, ea malè fiant, vix vſquam habentur laude digna, etſi bona ſunt. Quæ cùm

Digitized by Google

ita habeant, vtriuſque iudicij vitia ſunt, ſi cùm res non exigit à te, ſimules nihilominus deliberare te; vel non deliberes, cùm exigit, aut malè deliberes. Si nanque medico aperta ſit cauſa morbi, apertus euentus & certum remedium, nulla tum opus eſt conſultatione. Sin hæc illi dubia ſunt omnia, vel eorum duo, vel vnum duntaxat, tum ei maturè deliberandum eſt.

Sed quod inter omnes tritum, vt oculus non videt res objectas, etſi præſentes illæ ſunt & vicinæ, ſi deſit lux, ſi formæ deſunt: ita, nullo præunte iudicio practico, velle nihil poſſumus vel nolle. Quamobrem mens velut irradiando, inquit vulgus, efficit vt res amare poſſimus & odiſſe, prout hæ commodæ nobis offeruntur & incommodæ. Quod autem eiuſdē vulgi dictum eſt, intellectus quaſi rerum interpres apud regē & conſiliarius ſententiā habet de rebus agendis vel non agendis, propoſitis vtrinque rationibus, quoties locus eſt conſultationi; vel niſi conſultationi locus eſt, rem agendam proponit ſimpliciter vel non agendam. Quæ duo veritatis aliquid habent, ſed apta non eſt comparatio lucis ad oculum, vel interpretis ad regem & mentis ad voluntatem. Nanque per ſe videt oculus & intelligit rex: per ſe non videt cæca voluntas, non intelligit. Neque probatione nobis opus. Siquidem voluntas appetendi vis eſt, non cognoſcendi. Mente cognoſcimus, appetimus voluntate. Quare potiùs habet voluntas ad mentem, vt pes vel manus ad oculum. Quamuis enim oculo ſolo videmus, non pede, non manu, manu tamen prehendimus & incedimus pede.

ARTICVLVS QVINTVS

Libertas Dei, quæ; quæ Sanctorum in cælis; quæ Miſerorum in inferis; quæ primorum parentum & angelorum primo creationis ſtatu; quæ nobis his in locis; quæque Chriſti ſeruatoris ante mortem?

QVOD autem certum eſt, quæcunque facit Deus vel facienda decernit, ea liberè facit omnia liberéque

facienda decernit. Sed malè Deus nihil quicquam facere poteſt vel decernere. Quare qui bene faciat, duntaxat liber eſt, & qui bene decernat. Quæ beatorum hominum & angelorum in cœlis conditio; non naturæ titulo, quod Dei proprium eſt, ſed fixæ per Dei gratiam voluntatis in bono.

Quod item certum eſt, ita conditi fuerunt omnes angeli, vt penes eorum quenuis eſſet electio mortis & vitæ, benedictionis & maledictionis. Sed eorum prima ciuitas duas in partes diſtracta. In malo fixa Satanæ voluntas & angelorum eius; Michaëlis & eorum omnium qui pugnarunt aduerſus beſtiam, in bono fixa voluntas. Liber itaque Satanas, qui malè hoc vel illud faciat; qui bene, nunquam: vt qui malè viuat, liber non eſt Michaël, ſed qui bene duntaxat.

Vt verò liberum erat angelis omnibus illo ſtatu primo bene maléque viuere; ita primis parentibus noſtris & nobis omnibus in illis. Sed ex quo primùm cum illis excidimus, facti ſumus omnes mancipia Satanæ. Quòd enim grauiſſimo ſcelere naſcamur inquinati, naſcimur ſerui peccati, naſcimur filij iræ. Neque viæ ſalutis recuperandæ, neque ſordis eluendæ reliqua nobis eſt vlla poteſtas è nobis. Sola nanque gratia purgatur infœlix hocce ſtabulum, ſolo hoc Alpheo flumine eluitur. Sed aqua ſaliens in vitam æternam opus non eſt ficti cuiuſdam Herculis, Dei-hominis meritum eſt, è cuius latere, qui lapis myſticus eſt, ſalutaris amnis effluit, occultis certè meatibus, ſed veris, non fabuloſis. Alioqui nobis ſi gratia deſit, liberi quidem reſtamus è nobis qui malè, non qui bene viuamus. Quanuis enim quæ bona ſint, veluti reddere ſuum aliis vel afflictis opem ferre, pauca quædam præſtiterimus, quòd tamen hæc malè faciamus, non bene, opera mortua ſunt, ſuo nuda habitu. Sed victrice Chriſti ſeruatoris gratia liberamur nexu Satanæ. Quæ ſingularis vna libertas eſt & ſalutaris; & qua illum ad ſtatum quodammodo retrahimur, vnde lapſi ſumus. Sic noſtri generis miſertus eſt Deus, miſertus fœni; Satanæ verò & angelorum eius

Digitized by Google

nuſquam miſertus eſt. Quare ſi deſit gratia, liberi ſumus qui ma è, non qui bene viuamus. Sin verò, qui bene maléque viuamus, ſi conceſſa nobis eſt gratia. Hanc enim, quod nos ſacer contextus, quod nos ſancta ſynodus Tridentina docet, è nobis amittere poſſumus; &, quod dicitur, ad vomitum redire.

Denique Chriſtus ſeruator noſtra ſpes vna veráque, vt nunc, ita quandiu his in inferioribus locis vixit, liberrimè ſemper vixit, & quæcunque fecit omnia, liberrimè fecit. Sed eum, qui Deus eſſet, quicquam facere malè poſſibile non fuit. Quare liber erat qui bene ſemper viueret, qui nuſquam malè. Poſſibilis vel impoſſibilis ſtatus naturæ puræ, vix ad nos attinet, qui certò credamus illum non haberi nunc, non habitum antea, nuſquam habendum.

ARTICVLVS SEXTVS

Num è philoſophis inquirenda definitio libertatis, vel è patribus Eccleſiæ?

DENIQVE nos natura docet potiri nos libertate, docet magna quæuis authoritas humana diuináque. Sed neque natura, neque ſacer contextus, neque mater Eccleſia nobis illam expreſsè diſtinctéque definiuit. Quod attamen certum, magna vis eſt definitionis in re quauis explicanda. Sed illud ſtudium doctorum hominum eſt, etiam in pleriſque magnis rebus quodammodo ferme liberum. Quid enim ortus, quid interitus, quid gratia, quid peccatum, quid miſeria, quid fœlicitas, quid dolor, quid voluptas, quid perſona, quid hypoſtaſis, quid cætera id genus infinita, quæ nos eſſe docet ſacra fides, non expreſsè definit & explicitè ad calculum artis dialecticæ.

Sed quia rem, qua de hîc agitur, tot vndique circunſtant definitæ veritates, periculoſus certè lapſus eſt, periculoſum ne in earum aliquam impingatur. Soluendum itaque certis auſpiciis. Ductoribus intelligo præcipuis Eccleſiæ luminibus. Cùm autem, quod ſuperiore ex annota-

Digitized by Google

tione conſtet, magiſque conſtabit ex inferiore capite proximo, longè varia ſit libertas, non quæritur quid hæc eius pars vel illa, ſed quid ipſa ſit abſolutè. Cùm enim exigitur definitio virtutis, abſolutè queritur quid illa ſit, quid fortitudo, quid-ve temperantia, non quæritur.

Quod autem obſeruatum velim, neque libertatis, neque partium eius plenam intelligentiam repetere poſſumus è monumentis veterum philoſophorum, qui de ſupremo numine déque ſumma eius libertate, prouidentia & præſenſione, quod ſanum ſit, nihil ferme ſcripſerunt; qui liberum apud nos hominem-Deum impeccabilem non nouerunt; qui tres angelorum ſtatus neſciuerunt; qui neſciuerunt veros quinque noſtri generis ſtatus (innocentis naturæ dico, iacentis in ſcelere, reparatæ Chriſti ſeruatoris opera, glorioſæ demum vel miſeræ;) qui vnicum ſibi naturæ ſtatum falsò præſumpſerunt; qui penitus ignorauerunt illum quo viuerent; qui vel alios nullos eſſe voluerunt poſt exactam vitam hanc, vel ſi quos eorum aliqui ſuſpicati ſunt, certi nihil, vel potiùs nihil niſi fabuloſum ſcripſerunt: qui ſibi fiderunt omnes, non Deo; qui ſuas ſortes ſuis in manibus, ſuum ſpiritum habere ſe crediderunt; qui ſe non nouerunt in poteſtate tenebrarum, quibus attamen vnis litarent, vt ſuis & vnis ſeruiebant concupiſcentiis; ſuperbiæ verò præſertim, vt ſe cultu præcipuo Satanæ conſecrarent, qui rex eſt ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.

ARTICVLVS SEPTIMVS

Vulgatæ definitionis, quæ partis eſt, non totius per ſe libertatis, examen.

PLERISQVE noſtra hac ætate libertas eſt *potentia ſpiritualis quæ, poſitis omnibus ad agẽdum neceſſarÿs, reſtat indifferens.* Refero quod tritum apud illos edictum eſt, authorem, quem hucuſque neſciuerim, non laudo. Quod autem nos dubio procul euincemus, definitionem partis obtrudunt iſti pro definitione totius. Sed rem ſemſim vt exequamur, ea tentanda nobis eſt omnibus è capitibus.

Digitized by Google

Quando quidem ergo libertas pro certo non eſt tertia quædam vis, quæ diſtincta ſit à mente & voluntate, aptiùs meo iudicio per earum alteram definiretur, vel per vtriuſque complexum. Sic enim vitaretur, quæ moueri poteſt de mentis & voluntatis indifferentia quæſtio. Vulgò quidem huiuſce definitionis approbatoribus potior eſt indifferentia voluntatis. Sed potiorem eſſe mentis indifferentiam, ſi modò hæc quicquam valet in nobis, euincemus. Quod vt ſuum in locum differam, adhuc dubitari poteſt, num libertatem præcisè definitam velint hac oratione, an liberum arbitrium. Quamuis enim hæc duo planè dirimenda ſunt, fere nihilominus vſurpantur promiſcuè. Imò ſancta ſynodus Tridentina ſuis de iuſtificatione canonibus neque liberum ſeorſim vſurpat, neque ſeorſim arbitrium, ſed liberum arbitrium dicit. Qui beati Patris Auguſtini cæterorumque vulgò patrum Eccleſiæ vſus eſt. Sed miſſa nunc mente, quam pauci velint æquam eſſe libertatis ſedem, etſi nonnulli velint ſedem eius æquam eſſe mentem & voluntatem, ſola voluntas, quod apud approbatores illius definitionis vulgatius eſt, indifferentis titulo verè libertas eſt, non alio quouis. Negant enim actiones voluntatis omnes, etiam quæ conſultæ ſint, eſſe liberas. Quod ſi, vti volunt, ita haberet, res planè conficeretur, adhibita præciſione idonea. Vt ſi libertas, exēpli gratia, definiretur *voluntas prout, poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, reſtat indifferens.*

Definitio quidem ea verborum claritate non probaretur apud omnes, eos præſertim quos delectet altercatio; ſed, quæ præcipua definiēdi lex eſt, eius ābiguitas nulla foret, nulla prorſus obſcuritas. Neq; diſſenſio facit ad inſtitutū. Quanuis enim paucæ ſunt definitiones, quæ probētur omnibus, omnes attamen oportet eſſe claras, atq;, ſi modò fieri poteſt, vacuas partibus cōtrouerſis. Quòd ſi hæc altera pars tuæ non eſt facultatis, tibi refutandæ ſunt alienæ definitiones, & probāda quam velis cæteris eſſe probatam. Sed importuna penitus inter definiendum ambiguitas. Illa ſiquidem è veſtigio tibi detergenda eſt declaratione ſingulorum

rum

rum tuæ definitionis articulorum. Quaſi ſordibus oculos aſpergeres, quos perſpicaciæ cauſa curares abluendos.

Sed leges dialecticas vt præteream, communis nobis eſt libertas cum Deo & angelis. Quod autem certum, potentiæ in Deo, quæ veræ ſint accidentiæ, nullæ ſunt; nullæ, quæ potentiæ dicantur vſu populari. Deinde quibus brutæ animantes rationales ſunt & liberæ, vel animæ rationales corporeæ & dæmones corporei, his libertas per ſe non eſt potentia ſpiritualis. Quæ ſumma quidem hodie videatur eſſe inter omnes conſenſio, neque anima rationalis corporea eſt, neque corporeus angelus, neque brutarum animantium vlla particeps rationis. Sed non vna ſemper fuit his de tribus omnium opinio. Imò noſtra hac ætate non deſunt qui brutas ratiocinari ſcriptitent. Sed huiuſce nugamenti refutatio non eſt huius operæ. Quod autem animam hominis ſpiritualem eſſe, non corpoream ſuo loco euicerimus, libertas verè ſpiritualis eſt in nobis. Siquidem animæ vis eſt, non corporis, non confuſæ ambabus è partibus eſſentiæ. Alioqui nobis communis non eſſet cum Deo & angelis, vel potiùs propria non eſſet animæ ſolutæ. Quod apertè falſum. Nos enim è proprio munere proprióque fine mentis & voluntatis anno ſuperiore his in ſcholis euicimus animam rationalem immortalem eſſe atque ſeparabilem. Sed chriſtianæ fidei, quæ nos docet ſuam eſſe libertatem animabus ſeparatis, longè maior apud nos & conſtantior authoritas.

Cæteris partibus definitionis ſignificatur indifferētia, in qua velint eius approbatores per ſe ſitā eſſe libertatē. Poſitis enim omnibus ad agendum neceſſarijs, inquiunt, intelligitur in nobis indifferentia quæ planè ſit aduerſa determinationi cauſæ naturalis. Quod apertum facit vtriuſque comparatio. Nanque cauſa naturalis ſic acta videtur ad vnum intrinſecus, vt non poſſit non agere, poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs. Conſtat ex igne, oculo, lapide & ſimilibus aliis, in quibus talis indifferentia propriè nulla ſit. Quòd ſi fortè dicitur ignis indifferēs ad comburen-

Digitized by Google

dum & non comburendum, pendet id extrinſecus è deficientibus cauſis & conditionibus neceſſariis. Non enim poteſt ignis non agere, ſi nulla conditio deſit, cauſa nulla. Sed quia, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, cauſa libera, inquiunt, potens eſt agere & non agere, ſui iuris eſt ſuæque actionis domina. Quæ ratio non eſt cauſæ naturalis. Certè, dico, ea conditio non eſt cauſæ naturalis ſic affectæ cæco impetu. Nanque lapis non poteſt non cadere, ſi nihil deſit, nec ignis non aſcendere. Sed canis commodè iacentis hæſitantiſque ad egreſſum heri, num ſe comitem viæ daturus ſit nec-ne, ea non eſt ratio. Hic enim cui nihil deeſt ad incedendum, reſtat indifferens. Quare hac conditione clarè non excluduntur brutæ animantes.

Fortè dices illas excludi altera parte definitionis, quòd libertas ſit potentia ſpiritualis. Sed ita, ſi vis, quod iam obſeruatum eſt, rem breuiùs confeceris plurimaſque deuitaueris ambiguitates & controuerſias, ſi dixeris libertatem eſſe voluntatem, addita, quam velis, indifferentia. Quod autem per ſe liquet, hîc definitur libertas ex indifferentia actiua, non ex paſſiua vel obiectiua. Sed neque ex indifferentia cauſæ contingentis abſolutè definitur. Si nanque tegula decidens indifferens eſt quæ hominem occidat vel non occidat, pendet id è fortuito cauſarum concurſu, non è proprio tegulæ propoſito. Eius quidem veluti propoſitum eſt cadere, ſed impetus iſte cæcus eſt. Sua brutis animantibus nota pleriſque in rebus indifferentia, ſed, phantaſia duce, non ratione. Indifferentiam itaque rationalem dicere volunt, qui libertatem ſitam eſſe volunt in indifferentia.

Sed dicere, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, indifferentem reſtare libertatem & liberum arbitrium indiffeerens, toto cælo diſcrepant, ſi præcisè loqueris. Nanque liberum arbitrium qui planè dicit, is mentem dicit & voluntatem, ſeu principium iudicij practici & conſenſus: qui verò ſolam præcisè libertatem dicit, is ſolam dicit voluntatem, quæ principium eſt conſenſus. Cæterùm indifferens eſſe liberum arbitrium, poſitis omnibus ad iudi-

Digitized by Google

candum & conſentiendum neceſſariis, lubens aſſentior, ſi modò locus eſt conſultationi. Sed quod ſuo loco videbitur, indifferentem dicere voluntatem, poſito iudicio vltimo, id experientiæ naturæque repugnat.

Non deſunt qui libertatem definiendam eſſe velint ex indifferentia bene maléque viuendi. Quod nemo chriſtianus qui libertatem abſolutè ſibi definiendam aſſumat, niſi ſummam per imprudentiam dixerit. Quanuis enim hæc indifferentia ſuo modo pars aliqua libertatis eſt, vt homo vel equus animalis, certè non eſt ipſum genus quod quæritur. Angeli quidem hac indifferentia creati ſunt, creati primi parentes. Nos etiam in dilecto Dei filio renati, eius gratia ſtare poſſumus & infirmitate noſtra cadere. Imò creata quæque voluntas per ſe præcisè indifferens eſt, quæ bene viuat, quæ malè. Per ſe, dico, voluntas Satanæ & voluntas Michaëlis, vtraque perinde ſanctæ dilectionis capax eſt & abominationis impiæ. Quæ alius omnis creatæ voluntatis & præciſæ à ſtatu quouis & quauis conditione ratio. Sic autem à natura cæca planè differt creata voluntas. Sibi nanque aërem ſubijcere, cui ſe ſubijciat, nequit lapis. Qui calefacere poteſt, ignis nequit frigefacere. Brutæ quidem animantes ire poſſunt & redire, & affectus contrarios elicere. Sed quòd ad eas non ſpectent iuſtum & iniuſtum, non abſolutè fas & nefas, vitas agere moraliter contrarias omnino nequeunt. Hoc ſolius eſt creaturæ ratione viuentis. Deus liberrimus eſt qui iuſtè viuat, non qui viuat iniuſtè. Quæ naturæ ſint, contraria facere poteſt, qualia ſunt calidum & frigidum: quæ verò ſint morum, qualia ſunt fas & nefas, facere nequit. Sic beatæ mentes è conditione ſtatus, quæ bene viuant, liberæ ſunt, non quæ malè: dæmones qui malè viuant liberi, non qui bene. Sic apud nos vixit Chriſtus dominus liber à peccato, vti nunc viuit in cælis. Scripſit quidem Ariſtoteles, quod & Pelagij & reliquiarum eius ſingulare præſidium eſt, penes quenuis eſſe bene maléque viuere. Sed neſciuit ille nos immundo ſemine conceptos, neſciuit ſanctitatem vnius gratiæ propriam eſſe. Quod autem

Digitized by Google

facit ad inſtitutum, etſi ſcripſit nos eſſe liberos, qui bene maléque viuamus è nobis, non tamen ſcripſit in eo per ſe ſitam eſſe libertatem. Qua de re poſtea.

Sed aliæ reſtant grauiſſimæ quæſtiones de indifferentia rationali, num abſolutè neceſſaria ſit ad libertatem: num libertati officiat neceſſitas, qualis nunc eſt ſemperque fuit in Chriſto diligendi patrem & obediendi eius mandatis omnibus: num adiumentum ſit in nobis nutans & verſatilis indifferentia vel impedimentum, perfectio vel imperfectio: num, poſito iudicio conſultatiuo, reſtet voluntas indifferens: num denique reſtet indifferens, poſito iudicio ſimplice practico. Quæ partes ſuo quæque loco nobis erunt euoluendæ. Certè fretum planè nullum tot in ſcopulos incidit, quot in veritates inconcuſſas impingit hæc definitio. Non quòd negem pleraſque cauſas liberas indifferentes. Sed aliud eſt libertatem conſiliari poſſe cum indifferentia, aliud libertatem per ſe ſitam eſſe in indifferentia. Etſi nanque conciliatur ratio cum ſenſu, non propterea ratio ſenſus eſt.

ARTICVLVS OCTAVVS

De dominio quod eſt libertati proprium, déque verſatili voluntatis indifferentia, quæ verè nihil eſt.

QVOD autem certum, libertas hoc ipſo libertatis titulo vera res eſt, non priuatio, non mera negatio. Neque probationis eget hæc veritas. vnius etenim libertatis verum eſt in nobis & naturale dominium. Ipſa, dico, libertas vis in quocunque noſtrum dominandi vis eſt, vt dominium eſt libertas actus. Id nos planiſſimè docet vel oppoſitio ſola. Nihil nanque tantopere pugnat cum libertate quàm ſeruitus. Violentam dico ſeruitutem, non voluntariam. Siquidem oris, oculi, pedis dominium habet quiſquis pro nutu loquitur, videt, incedit. Sed quia dominium corporis nobis eripi poteſt, ideóque actionum eius omnium quæ dicuntur imperatæ, *ſi video nolens, neceſſitas*

Digitized by Google

eſt, inquit beatus Auguſtinus, *non poteſtas, quia deeſt voluntas*. Actionum immanentium alia ratio eſt. Vbi nanque volo, vbi nolo, voluntas eſt; ergo poteſtas, non neceſſitas; ergo libertas, non ſeruitus.

Quæ cùm ita ſint, nihil libertate maius in nobis, nihil cum ea par. Nam ſi quouis alio minor eſſet in nobis & inferior libertas, ſubiecta foret, non domina: ſi cui par eſſet & æqualis, dominium in nobis natura diuiſum eſſet, non vnum. Quæ naturæ ſectio, quæ dominij per naturam, eiuſdem & naturæ & dominij euerſio eſt. Mens quidem in nobis eximia vis eſt. Sed mente cognoſcimus, non dominamur. Quod è ſeruitute conſtat. Si nanque ſubijcimus nos, veluti Deo, cui nos vni totos debemus, nutu nos ſubijcimus, non cognitione. Sed nutus proprius eſt voluntatis actus, vt mentis conſilium. Sic nos noſtræ locutionis dominos experimur, ſi pro nutu loquimur, non ſi locutionẽ nouerimus. Sed noſtræ nos volitionis & nolitionis ſemper experimur dominos. Hæc etenim duo ſemper nobis adiacent. Ratione porrò parendum nobis ſemper eſt & dominandum, ſi dominamur bene, benéque paremus. Quare ſocianda nobis eſt ratio cum libertate.

Sed quid verſatilis indifferentia per ſe præciſè ſecundum rem noſtris in voluntatibus? Certè non dices. Siquidem rei nihil eſt, quod ſit ipſius voluntatis proprium. Alioqui vbi voluntas ex indifferenti figitur in propoſito, aliquid eius excideret. Sed eius exſectio nulla, cuius partes omnino nullæ. Quæ cùm ita ſint, verſatilis indifferentia voluntatis verè nihil eſt, vel adiectum aliquid eſt, non natiuum. Alioqui non excideret, vbi figitur voluntas. Sed voluntas nihil amittit, cùm excidit hæc indifferentia. Exempli gratia, indifferens anima his in inferioribus locis, quæ Deum amet vel non amet, aſſueſcens in dies diuino eius amore, quid in dies amittit, cùm ita ditatur? Rapta demum in patriam factáque beata, quid amittit? Scio, ſi neſcis, amittit fluxam indifferentiam. Hoc eſt, euacuato quod erat ex parte, euacuata infirmitate, plenam perfectamque ſancto in propoſito firmitatem, ple-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

num perfectumque ſui dominium aſſequitur cum infinitis aliis bonis inenarrabilibus, quæ non aſcenderunt in cor noſtrum. Quod autem obſeruabis, cùm dicimus beatas voluntates & miſeras non reſtare indifferentes, non dicimus eas non eſſe ſemper indifferentes quatenus per ſe boni malique capaces ſunt intrinſecus, ſed eas ex flexibilibus inflexibiles fieri abſque vlla ſuiipſius iactura, vt commutabilis rerum omnium materia, quòd futura ſit incommutabilis aliquando, nihil amittet. Verſatilem itaque voluntatis indifferentiam excidere dicimus, non ipſam per ſe capacitatem.

ARTICVLVS NONVS

Libertas & voluntas, liberum & voluntarium reciproca, vbi de aduerſa libertati neceſſitate.

NEQVE profectò ſancti patres, neque celebriores quique doctores Eccleſiæ, cùm de natiuo cuiuſque ſuiipſius dominio ſcribunt, illud metiuntur è conſtanti propoſito vel aduerſa eius indifferentia, ſed è voluntate & aduerſa coactione, quæ vulgariter illis eſt neceſſitas. Nanque cum voluntatis dominio pugnat exterior vis, non fluitans indifferentia, non immutabilitas. Sed quia ratione ſola ducitur voluntas, non coactione, idem illi ſancti patres & doctores Eccleſiæ cum beato Auguſtino neceſſitate fieri negant abſolutè, quod voluntate fiat. Sed ſtabilitatem voluntatis dixeris neceſſitatem, non dixeris, nihil moror, modò mihi conceſſeris, quod negare nemo poſſit, qui ſuis vtatur oculis, voluntatem quæ rationalis & conſulta ſit, apud illos authores nuſquam amittere dominium ſui. Vbi porrò dominium, ibi non eſt ſeruitus: vbi non eſt ſeruitus, ibi certè libertas, ſi modò dominium illic eſt. Quare cùm dominio ſuarum actionum exui non poſſit voluntas, voluntas abſolutè libertas eſt, viciſſimque libertas abſolutè voluntas. *Quod ſi fieri non poteſt*, inquit beatus Auguſtinus, *vt dum volumus, non velimus, adeſt vtique voluntas volentibus, nec aliud quicquam*

Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.

Digitized by Google

eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt. Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera nobis eſt. Non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus; aut poteſt non eſſe, quod habemus. Adſcribit S. Bernardus his verbis. *Quod ex voluntate, iam non ex neceſſitate, ſed voluntarium: ſi autem voluntarium, & liberum. Nam vbi conſenſus, ibi voluntas: porrò vbi voluntas, ibi libertas. Et hoc eſt, quod puto dici liberum arbitrium. Ipſam enim voluntatem quia impoſſibile eſt de ſeipſa ſibi non obedire, etiam impoſſibile eſt ſua priuari libertate.* Sic orbis chriſtiani ſcholarum nuncupatus magiſter Petrus Lombardus; *vbi neceſſitas, ibi non eſt libertas: vbi non eſt libertas, nec voluntas.* Adſtipulantur S. Bonauentura, S. Thomas, ſanctus Anſelmus, Gulielmus epiſcopus pariſienſis, Scotus, cætera verè ſcholarum lumina. Sed quia longum eſſet & importunum tot hîc coaceruare contextus quos poſtea loco commodiore referemus, nobis niſi creditis eam eſſe doctrinam patrum Eccleſiæ, quod ea fide minimè digni ſimus, beato Damaſceno credetis. *Libertas*, inquit, *aliud nihil eſt quàm voluntas. voluntatem cùm dicimus, illam non dicimus coactam, ſed ſuiipſius dominam. Si nanque rationalis eſt, abſolutè ſuiipſius domina eſt & libera. Nanque patres*, inquit, *dominium ſuiipſius, quod eſt liberũ, voluntatẽ eſſe definiuerunt.*

Opere de grat. & lib. arbitr.

Lib. 2. diſt. 25.

Orthod. fid. lib. 3. c. 14.

Quod autem obſeruabis, cùm fixam in bono voluntatem neceſſitate bonam cum pleriſque dicimus, illam aptiùs immutabilitate bonam & ſtabilitate diceremus, ſummáque libertate. Quanuis enim Deum dicere poſſumus neceſſitate iuſtum, miſericordem, ſanctum; aptiùs longè dicemus illum voluntate ſummáque libertate ſanctum, miſericordem, iuſtum, quàm neceſſitate. Siquidem commendandæ nobis adorandæque diuinæ ſanctitatis, vel ad aures noſtras durior hæc appellatio, quæ vt plurimùm ſeruitutis eſt & dependentiæ. *Rectè poſſumus dicere*, inquit beatus Auguſtinus, *non voluntate viuimus, ſed neceſſitate; non voluntate morimur, ſed neceſſitate; non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere?* Sic beatus Anſelmus. *Omnis poteſtas ſequitur voluntatem. Cùm*

Lib 3 de lib. arb. c. 3.

Lib 2. cur Deus homo c. 10.

Digitized by Google

enim dico, poſſum loqui vel ambulare, ſubauditur, ſi volo. Si enim non ſubintelligitur voluntas, non eſt poteſtas, ſed neceſſitas. Cùm enim dico, nolens poſſum trahi & vinci, non eſt mea poteſtas, ſed neceſſitas & poteſtas alterius.

Articvlvs decimvs

Dominij ſeu libertatis, quæ voluntas eſt, plenior expoſitio.

SEd miſſa nunc ambiguitate nominis *neceſſitas*, qua de ſuo loco, liberum in nobis dicimus, quod per ſe ſit in poteſtate noſtra. Nihil autẽ magis eſt in noſtra poteſtate, quàm velle, ſi volumus; quàm nolle ſi nolumus. Quæ cæterarum in nobis viriũ ratio non eſt hoc in corpore peccati, quod in pœnam ſceleris obnoxium ſibi factum eſt, factum rebus omnibus obnoxium. Non enim penes nos eſt videre vel audire quoties volumus; non videre vel audire quoties nolumus. Neque rarum, vt volẽtes audire non audiamus, & audiamus nolentes. Sic inuiti videre poſſumus & non videre. Sed in nobis ſitum magis nihil eſt quàm velle, quàm nolle. Hoc vtrumque ſemper nobis adiacet. Corporibus itaque vis inferri poteſt extrinſecus, animabus non poteſt. Non tyrannis, non gladius, non exterior vis vlla dominatur animabus noſtris. Corpora vincire poſſunt & lacerare tortores, voluntates non poſſunt. Infirmæ ſi fuerint, cognoſcent illi ſæuiendo, infirmas non facient. Velle noſtrum extorqueri non poteſt extrinſecus, nobis inuitis, non poteſt nolle noſtrum. Imò Deus è cuius nutu pendent omnia, cuiuſque diuina manus non eſt diuina mente breuior, noſtras volũtates ita poſſidet, vt eas è volentibus pro nutu nolentes faciat, & volentes è nolentibus, ſed volentes inuitas vel nolentes, eas nuſquam efficiet, qui facere nouerit, quod poſſibile ſit; facere non nouerit, quod ſit impoſſibile. Non autem velles, ſi velles inuitus. Ex quo nanque vis, volens vis, non vis nolens, inuitus non vis. Sic ex quo nolis, nolentem te nolle neceſſum eſt, vel etiam volentem; ſed inuitum te nolle, poſſibile non eſt. Quare noſtræ volitionis dominium obtinemus

noſtræque

noſtræque nolitionis, illæſo penitus ſupremo per eſſentiam dominio, in cuius manu noſtra ſemper voluntas eſt & omnis eius opera. Sed cùm hoc ſit in poteſtate noſtra, quod facimus cùm volumus, nihil tam eſt in noſtra poteſtate quàm noſtra voluntas, ſi cogi non poteſt extrinſecus. Cogi verò nulla vi, nulla ratione poteſt. Alioqui vt videre poſſumus inuiti, ſic inuiti velle poſſemus. Quæ aperta contradictio eſt. Velle nanque nos, neque velle volentes, eſt velle nos, neque tamen velle. Quare noſtræ voluntatis dominium ſemper obtinemus per eſſentiam intrinſecus, quod eripi nobis non poteſt, ipſa voluntate ſalua.

Dominium ſubalternum dico, non ſupremum. Facta ſiquidem eſt creata voluntas ancilla diuinæ voluntatis. Sed facta diuinæ voluntatis ancilla libertate, non neceſſitate. Voluntarias ſuæ diuinæ maieſtatis miniſtras fecit Deus mentes creatas omnes, quæ voluntate ſibi reddere poſſent, quæcunque reciperent omnia, non neceſſitate. vti verò ſuæ volitionis & nolitionis domina voluntas eſt, ſic amoris & odij. Quicquid enim amat vel odit, id amat & odit volens; inuita nihil amat vel odit. Sed vt non poteſt non velle vel nolle voluntas, ſi velit; ita neque poteſt, quod amare velit, non amare; vel non odiſſe, quod odiſſe velit. Siquidem amare cùm vis, hoc ipſo nomine iam amas. Quare ſibi non poteſt non obedire voluntas. Quæ cùm ita ſint, exui non poteſt dominio ſui. Dominium autem dicimus in nobis, non quo cæteris dominemur, ſed quo dominemur nobis. Quod enim hominum alij aliis imperent, alij ſubſint aliis, vix attinet ad vltimas ſortes. Bene ſibi dominari, dominium vnicum eſt neceſſarium omnibus. Cæteris dominari lubricum magis eſt & periculoſum quàm obtemperare. Deinde quos terræ dominos facit Deus, omnes eo demum exuit dominio. Siquidem procuratorium illud eſt, non naturale: temporale, non ſempiternum.

Sed miſſis his & ſimilibus aliis appendicibus noſtri primis in parentibus ſceleris, vt noſtra voluntas, inquit ſanctus Bernardus, ſic inconcuſſa manet noſtra libertas. Vbi

D

Digitized by Google

nanque non eſt libertas, ibi non eſt voluntas. Hæc domina ſui voluntas Græcis ſignificantiſſimis dictionibus αὐτεξούσιον, αὐτεξουσιότης, ſuiipſius dominium, dominatio ſuiipſius dicta ſemper eſt. Quod comparatione cæterarum in nobis virium maximè liquet. Nam quæ meræ ſunt neceſſitates, qualis arteriæ motus, ſic actæ ſunt impetu cæco, vt nec applicent illæ ſe, nec ſe rationi præbeant applicandas. Quæ rationem auſcultant in nobis, qualis vniuerſa motrix vis manuum, hæ ita ſe præbent applicandas ad nutum, vt ſe nunquam applicent. Manus quidem theſaurus eſt infinitorum operum; ſed vt aperit ſe pro nutu voluntas clauditque, non ita manus. Meræ neceſſitatis in brutis animantibus eadem, quæ in nobis hac in mortali vita, ratio. Suo ſe appetitu mouet canis velut ad nutum. Sed quia verum imperium rationale eſt, nullus in cane, qui ſolo ſenſu viuat, verus eſt dominatus. Vt vmbram iudicij præ ſe ferunt canes, ſic imperij. Mens in nobis oculus eſt & acies vitæ. Sed vt voluntatis, in cuius gratiam mens eſt, proprius eſt nutus, ita dominatio. Semper autem adjungenda ratio comes & viarum index. Verum nanque dominium nullum eſt, niſi rationale.

Neque refert ſi, propoſito hoc vel illo qualicunque conſilio, quod nunc non diſceptamus, non poteſt non agere voluntas. Dominio nanque non obeſt illa neceſſitas. Alioqui Deus non eſſet dominus creaturarum. Earum nanque dominus eſt per eſſentiam, ſiue ſunt illæ, ſiue non ſunt. Vocat ea quæ non ſunt, Deus, tanquam ea quæ ſunt. Quo nanque nutu ſiue dominio eas è ſeipſo prodire ſinit, dum ſunt, eodem ſuæ voluntatis ſignaculo illas, dum non ſunt, concludit omnes. Neque propterea dices aliam quanque cauſam dominam eſſe ſuorum effectorum. Etſi nanque pendet omnis effectus ſuis è cauſis, non ideo cauſa quæuis verum habet dominium. Verum nanque dominium oportet eſſe rationale. Quo titulo libertas omnibus ſuis actionibus dominatur. Non quidem, dum hìc viuimus, virium ſibi ſubalternarum in nobis plenum obtinet dominium, ſed ſuarum

Digitized by Google

in ſe operarum omnium domina ſemper eſt. Libertas itaque verus eſt in nobis dominatus, vera vis eſt, vera poteſtas, quæ ſuperiorem in nobis nullam habet, parem nullam, cæteras ſibi ſubiectas omnes, non propter ſe, ſed propter diuinam voluntatem, cuius facta per eſſentiam miniſtra vis eſt. Mentis, fateor, magna dignitas abſolutáque neceſſitas in exercendo dominio. Sed nutus proprius eſt voluntatis, meliorque mente voluntas. Deum nanque cognoſcit beata mens, vt colat; non colit, vt cognoſcat. Quare voluntas omnium in nobis finis eſt, per quam vnam eorum finis eſt diuinitas.

Hanc ad dignitatem planè nihil eſt flexilis indifferentia voluntatis, quæ fluxa ſit infirmitas, non vera vis, non vera dignitas. Quod enim nos experientia docet, imminuitur hæc indifferentia ſecundum affectum & exercitium, creſcentibus bonis aſſuetudinibus vel malis, vt bene maléque operandi decreſcit indifferentia manuum, ſuccedentibus pariter in eis bonis vel malis aſſuetudinibus. Sed id planiſſimè liquet è beatis mentibus, quæ Deum inflexibiliter amant, non flexibiliter, qui magnus in eis eſt libertatis acceſſus. Illis quidem iam liberum non eſt non colere Deum, non ſanctè viuere. Non, inquam, liberum illis eſt exempli gratia, diuinum amorem intermittere. Tum enim intermitterent debitum Deo cultum. Quod ſummum eſſet in illis & inexpiabile delictum. Quandoquidem enim noſtrum omnino nihil eſt, quod Deo debitum non ſit intrinſecus, vt punctum in nobis planè nullum eſt ſuas non referendum ad primas origines, ita vitæ momentum planè vacuum officij nullum. Alioqui dicere poſſemus illud abſolutè noſtrum eſſe, non Deo debitum. Noſtris quidem indigentiis & infirmitatibus indulget Deus hac in mortali vita. At ſi dæmonibus non indulſit, quantò minùs beatis mentibus indulgeret, ſi vel per impoſſibile, peccarent? Quod autem deberent illæ mentes, intermiſſo cultu, Deo non redderent. Sed abhorret à dignitate ſtatus, qui conſummatæ perfectionis ſtatus eſt, ſuum illas non reddere, ad cuius aſpectum ſtent, ipſi

à ſeipſa maieſtati. Non autem ideò liberæ non ſunt. Ne quidem enim ipſi à ſeipſa libertati liberum eſt iniuſtè viuere. Liberum, inquam, illi non eſt infirmitatis repugnantia, non defectu libertatis. Quæ profectò ſumma poteſtas eſt ſummáque libertas, ſummum & independens abſolutè dominium. Quòd autem non repugnet infirmitas beatis mentibus, illas ſi præſcindis è ſtatu ſuo, in eis vacuitatem infirmitatis dicere malim, quàm abſolutè repugnantiam.

Summam itaque libertatem non dicimus, qua quis omnia quoquo modo velit faciat-ve: alioqui Deus qui nihil facere poſſit iniuſtè, non eſſet liberrimus. Sed qui ſit ſuorum votorum compos omnium, cui ſuccedant ad nutum quæcunque velit omnia; nihil autem velit, quod maximum non ſit atque diuinum, etſi velit ille ſemper, is abſque dubio liberrimus eſt. Hæc incomparabilis libertas eſt beatarum mentium in cælis, hoc in illis incomparabile ſuiipſius dominium. Eius nos ſummæ libertatis corpus ipſum, quæ voluntas eſt, poſſidemus omnes, cumulum in Chriſto ſperare debemus, vt fixas in malo caſſaſque fruſtrationes tenebrarum horrere. Quæ doctrina ſi valet, valere cæterùm oportet illam apud æquos rerum æſtimatores, voluntas & libertas dictiones ſunt vniuocæ. Quis autem quæ retulimus præcipua ſcholarum & Eccleſiæ lumina paucis, qui vel nomine vix noti ſint, ſi modò Caluinum excipis, iiſque nuperis hominibus poſtponenda cogitaret? Nemo certè, qui veritatis amator ſit & pietatis.

Stoïci cæterique vulgò philoſophi, quod obſeruatione dignum eſt, plenum ſuæ voluntatis dominium eſſe voluerunt penes ſe. Sed neſciuerunt diuinum noſtris in voluntatibus dominium, ſummam eius & perennem in profundiſſimis egeſtatibus noſtris neceſſitatem ignorauerũt. Nos autẽ qui quotidie precemur fieri diuinam in nobis voluntatem, noſtrumque ſpiritum in manibus domini commendemus, non ſperemus in noſtris, noſtræ voluntatis dominium ſic aſſerimus, vt conſcij noſtræ infirmitatis & inopiæ, infructuoſas & ſteriles voluntates noſtras profiteamur, niſi nos ſuo ſpiritu agit Deus, noſque mortuos peccatis in Chriſto conuiuificet.

Digitized by Google

ARTICVLVS VNDECIMVS

Libertatis vniuerſim & per ſe vera definitio.

EAM ego ſic abſoluo paucis. Voluntas appetendi vis eſt, non cognoſcendi. Quare cæca vis eſt. Sed ignoti nulla cupido. Quamobrem nos, quòd mente iudicamus hîc & nunc nobis bonum eſſe, vti poſtea videbitur, id voluntate volumus; vt voluntate nolumus, quod iudicamus hîc & nunc nobis malum eſſe. Sed neque volitionem è nobis vel nolitionem elicit cognitio quæuis. Quæ ſumma eſt omnium conſenſio. Iudicium nanque practicum exigunt omnes. Sed ſi iudicium illud fortè nonnunquam inconſultum totum eſt & præceps, abſolutéque tale, vt populariter non mereatur nomen iudicij, certè ſequax eius voluntas vix ac ne vix quidem meretur nomen libertatis. Quiſquis enim ſic agit, is non tam ſui potens eſt, quàm impotens. Quamobrem vix tum ſui dominus eſt, ſi quoquo modo habendus eſt ſui dominus hoc in opere. Cæterùm hos impetus vulgò dicimus motus primos, non quidem habitu tales, quod antea iam obſeruatum, ſed occaſione. Quos ſi placet exceptos, vt exceptos velim hoc nomine, libertas, vt verbo dicam, eſt *voluntas vltimi ſequax iudicij*. Sic enim dirimimus partem noſtræ voluntatis conſultam ab inconſulta. Quod tamen ita dictum nolim, quaſi voluntate quicquam omnino velimus vel nolimus, nullo præeunte iudicio, ſed quòd illud quale deſcripſimus, populariter non mereatur nomen iudicij. Vt tamen hac in parte quam dicimus inconſultam, ſemper aliquid eſt iudicij, ita libertatis aliquid. Sed quod minimum eſt, id pro nullo habetur in moribus. Sic motus primos pro cuiuſuis arbitrio liberos aſſeres in nobis, &, miſſa diſceptatione verborum, non liberos. Quòd enim ſic erumpant è nobis, minùs ſunt ditionis noſtræ. Dicimus in nobis. Tales nanque motus in Deo vel mentibus ſeparatis nemo dicet. Res autem vtrum manu tractes vel mente, calculo populari vel metaphyſico, plurimùm intereſt.

Digitized by Google

Vti verò libertas definita nobis eſt voluntas vltimi ſequax iudicij, perinde definiri poteſt *voluntas domina ſui, voluntas rationalis, voluntas conſulta.* Quod enim dominium rationale ſit & rationale conſilium, vtrunque pariter notabile dices vel exiguum, dirimeſque conſultam voluntatem ab inconſulta, dominam ſui voluntatem ab impotente, & ab irrationali rationalem. Sed quod obſeruationis præcipuæ ſit, iudicium vltimum hîc vſurpamus abſolutè, non ſolum illud quod re couſultatiuum eſt; alioqui libertas ſolius eſſet cunctabundæ voluntatis noſtræ, noſtræque hæſitabundæ mentis arbitrium, non Dei immortalis, non beatarum mentium, non conſulentium ſimplice iudicio noſtrum omnium. Quibus ſingulis nihil abſurdius. Non enim verè deliberat Deus, quem repugnet ratiocinari: non beatæ mentes, quæ illo æternitatis die & claritatis nulla retineantur obſcuritate: imò nos è millenis iudiciis vltimis vix vnum euoluimus. Noſtro tamen iudicio quouis vltimo liberè viuimus, ſi maximè mereatur nomē iudicij. Liquet è ſuperiore ſcriptionis exemplo, liquet è totius vitæ ductu. Neque valet ad aſſuetudines cōfugere, vel ad ſuperius quoddam operādi propoſitum. Non enim applicantur vires & earum aſſuetudines opera voluntatis hîc & nunc, niſi præeunte pariter hîc & nunc iudicio. Neque dubia res vel obſcura. Non enim, quod per ſe clarum eſt & nobis indubitatum, ſuperioris vllius propoſiti authoritate ſe voluntas, cuius nulla ſit memoria, applicare poteſt, cæteraſque vires ſibi ſubiectas, ſed extantis duntaxat atque dirigentis.

Quæſtio de dormientibus aliqua ſupereſt, déque dementibus, infantibus & alio quouis caſu mente captis. Sed dementibus ſua vt plurimùm interualla ſunt. Deinde plurimæ ſunt eorum claſſes. Denique turbata ratio ſemper eſt ratio, vt ſectum in partes imperium turbatumque, non euerſum, verè imperium eſt. Sed hos omnes nodos vt verbo præcidam, ſi quos planè dixeris mente captos, qualis recens natus infans, hi ſolo viuunt ſenſu, ratione non viuunt. Viuunt itaque appetitu ſolo, non voluntate. Sola

Digitized by Google

nanque ratione ducitur voluntas, ſenſu non ducitur. Fœda libidinum mancipia ſolo ſenſu viuere cùm dicimus, id ita dictum non volumus, quaſi ſenſu ducatur eorum voluntas, ſed quòd ita mente viuant, vt phantaſiæ cæterorumque ſenſuum fumo capta mens, ad eorum motus & illecebras voluntatem flectat. Porrò nihil tam pronum ad malum eſt quàm imbuta malè voluntas, nihil tam flexibile vtranuis in partem quàm quæ penitus indifferens. Quicquid ſit, rationis vſus aliquis eſt, vel nullus. Si rationis nullus eſt vſus, neque profectò voluntatis vllus eſt. Sin aliquis eſt, talis eſt certè, qui mereatur nomen iudicij vel non. Si primum, conſulta voluntas, alioquin inconſulta.

Quæ magna ſæpe febricitantium abſolutéque dementium ratio videatur, inconſulta nihilominus eſt, ſi paſſim vincunt turbæ, ſi vaniſſima Lycanthropiæ ſimulacra, ſi nullus monitis locus eſt, nullus apto ſatis commodóque colloquio; nulla, vbi alienatus à ſe animus reſederit, memoria. Miræ quidem aliquando & extraordinariæ mentis ecſtaſes. Diuinas & pacatas ſanctorum ecſtaſes non dico, ſed melancholiæ proprias vel ardoris. Quales eſſe febricitantium aliquando dicebam abſolutéque dementium. Solutæ rationis in dormientibus argumento ſunt eximia nonnunquam inuenta. Sed vtrum in illis ea ſolutio ſit aliquando, quæ ſatis ad libertatem, ad meritum ſatis & demeritum, abſolutè definire non audeo. Nos quidem piè ſanctéque cum Eccleſia matre quóque veſperi deprecamur hoſtem comprimi *ne polluantur corpora*. Sed ne per inſomnia polluantur animæ, ſi vſquam precetur Eccleſia, non memini. *Nuſquam legimus*, inquit beatus Gelaſius Papa primus, *in culpam vocari phantaſmata ſomniorum.* Opuſc aduerſus pelalagian. hæreſim.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM

De præcipuis diuiſionibus libertatis.

ARTICVLVS PRIMVS

Libertatis vis, libertatis actus & libertatis habitus, vt voluntatis vis, voluntatis actus & voluntatis habitus diſtinctio.

QVANDOQVIDEM voluntas & libertas vſu metaphyſico, niſi populari, quod obſeruatum eſt, dictiones ſunt vniuocæ, vt voluntas vis in quouis homine ſimplex vis eſt, ita libertas vis. Sed libertas actus, vt voluntas actus, longè multiplex. Quæ voluntatis aſſuetæ & aſſuetæ libertatis ferme ratio. Dico ferme. Quanuis enim plurimæ ſunt voluntatis vis ſeu libertatis aſſuetudines, longè tamen plures ſunt operæ. Nanque virtutis temperantiæ plurimæ ſunt operæ, plurimæ fortitudinis. Quæ cæterarum bonarum malarumque aſſuetudinum ratio. Ab his vt voluntas bona maláque dicitur, iuſta vel iniuſta, ita libertas; ſed præſertim ab actionibus. Hauſtas etenim è Chriſto domino gratias habitus ſi demeris, ſolius actionis probitas eſt & improbitas. Conſtat è charitate, quæ diſtortas aſſuetudines compatitur, nuſquam ſcelera. Quòd autem vt nomine viſus vel auditus nunc ipſa vis, nunc actus ipſe ſignificetur, ita voluntatis & libertatis; vbi voluntas apud ſanctum Bernardum & Magiſtrum ſententiarum, ibi libertas; vbi libertas, ibi voluntas. Sic apud latini ſermonis peritos omnes, apud quos neque volitionis vſus, neque nolitionis, voluntatis nomine ſignificatur actus & poteſtas. Et certè voluntatis operam cùm dicimus abſolutè voluntatem, rem explemus. Seu nanque volitio eſt ſeu nolitio, abſolutè voluntas actus eſt & libertas actus. Sed vtriuſque nomine etiam ſignificatur habitus. Quæ

viſus

Digitized by Google

viſus ratio non eſt & auditus. Horum etenim ſenſuum habitus verè nullus eſt. Alioquin habitum viſus ſi fortè dicimus, eum ſiue bonum dicimus ſiue malum, habitum impoſitum potentiæ non dicimus, ſed potentiam ipſam & qualencunque totius organi temperiem; fortaſſis etiam aliquam muſculorum aſſuetudinem. Ergo voluntas vis, voluntas actus & voluntas habitus, vt libertas vis, libertas actus & libertas habitus ambiguitates ſunt obſeruandæ paſſim è verborum contextu. Quod cuiuis in pleriſque ſententiis promptum eſt. Si nanque voluntatem nobis omnibus inſitam dicimus, exempli gratia, vim ipſam dicimus: ſi fixam dicimus in bono voluntatem, dicimus habitum; & actum dicimus, ſi dicimus hominum voluntate nihil nobis obſcurius, vel immutatam de incundo certamine voluntatem imperatoris. Sed quemadmodum libertas eſt, vbi voluntas; & voluntas, vbi libertas: ita certè voluntarium eſt, vbi liberum; & liberum, vbi voluntarium. Quare libertatis & voluntatis diuiſiones hoc vſu nominum eædem ſunt, eædem liberi & voluntarij, etſi populariter nonnihil anguſtior libertas, & liberum anguſtius.

ARTICVLVS SECVNDVS

Creatæ libertatis & increatæ; diuinæ, angelicæ & humanæ; beatæ & miſeræ nuda propoſitio. Mediæ libertatis, qualis ab Ariſtotele confictа, refutatio. Accedit propoſitio mediati voluntarij & immediati, ſimplicis & mixti.

QVOD ſi voluntas è ſeipſa ſpectetur ſuiſque primis è partibus, abſolutè creata eſt vel increata: ſi propiùs è ſede, diuina eſt, vel angelica, vel humana: ſi ò ſtatu, beata eſt vel miſera. Media nanque, qualis primùm ab Ariſtotele fingitur in infantibus, in nullo vſquam penitus hominum vel angelorum omnino media. Incoata ſiquidem eſt in improbis miſeria, & in probis incoata fælicitas. Sancti creati ſunt homines & angeli.

Digitized by Google

Nos cum primis parentibus excidimus omnes. Angelorum ſteterunt alij, alij exciderunt. Quare nemo vſquam vtrouis in genere vel eſt, vel fuit, vel futurus eſt proborum verè medius & improborum. Nihil nobis hac veritate conſtantius. Omnes etenim naſcimur filij iræ. Sed mundum de immundo conceptum ſemine ſola facit charitas. Porrò manet illa, niſi nos occupet ſcelus. Quare ſtatus puræ naturæ nullus vſquam eſt. Sed electorum & reproborum magnum eſt diſcrimen. Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Sed quanuis nonnullis in reprobis, qui vocati non ſint ſecundum propoſitum, habeatur gratia, quia tamen hanc errore ſuo amiſſuri ſunt, ea verè non operatur ſalutẽ in illis. Cæterùm apertæ ſunt ſuperiores illæ diuiſiones. Apertæ pariter diuiſiones voluntarij in ſimplex & mixtum, in mediatum & immediatum. Suas etenim actiones ſi præcipit voluntas, immediatum voluntarium eſt: alioqui mediatum, ſi ſubjectarum ſibi virium actiones præcipit. Quòd ſi volitio & nolitio ſe vſquam impediunt, mixtum voluntarium eſt, alioqui ſimplex.

Articvlvs tertivs

Diuiſio liberi è iudicio vltimo, quod eſt arbitrium, repetita. Arbitrij atque liberi æternum coniugium. Felix, cuius rectum ſemper iudicium eſt. Ad id plurimùm valet, quæ recta ſit, prima inſtitutio.

Liberum è iudicio longè multiplex. Claræ ſunt eius duæ partes è iudicio conditionali & abſoluto. Aliud etenim abſolutè rem velle; aliud, poſita conditione. Pugnam velle potes, ſi hoſtis exierit è caſtris, quem tamen non exire malles: potes & pugnam abſolutè velle. Sed iudicium, quod præcipuæ obſeruationis eſt hoc in negotio, ſimplex eſt vel conſultatiuum. Tale prius eſt per

Digitized by Google

ſe vel per accidens. Alterum re conſultatiuum eſt vel virtute. Ne quos autem impediat orationis ambiguitas, iudicium virtute deliberatiuum hîc non dico, quod vim deliberationis in ſe contineat eminenter. Hoc etenim vſu verborum vel Dei, quem repugnet ratiocinari, virtute deliberatiuum eſt omne conſilium. Conſilium itaque virtute deliberatiuum hîc dicimus, quod etſi euolutum non eſt ratiocinio, eo tamen euolui non repugnet. Porrò beatæ mentes rapiuntur amore Dei ſimplice iudicio, quod per ſe tale ſit, non per accidens; vel, ſi placet, quod neque re conſultatiuum eſt, neque virtute. De Deo nanque diligendo quem clarè videant, neque deliberant apud ſe, neque deliberare poſſunt. Vir pius de carnibus tempore quadrageſimæ repudiandis non deliberat, neque de non repudiandis deſperatus neſcio quis intemperans. Quod vtrunque iudicium ſimplex eſt per accidens, & virtute conſultatiuum. Sed delicatulus dis & incontinens catholicus, etiam cum apto ſibi medico, deliberat. Triplex autem his è iudiciis liberum.

Iudicium alio diuiſionis modo perfectum eſt vel imperfectum. Bonum porrò dicere potes perfectum, & imperfectum malum. Quo nominum vſu iudicium perfectum maximè triplex eſt; ſummum, mediũ & infimum. Primum ſapientum eſt, alterum prudẽtum, tertium prudentiæ vias ineuntium. Iudicium imperfectum, quod malum & aduerſum bono, vel calidorum eſt, vel ſtolidorum, vel impotentiũ. Porrò ſtoliditas & caliditas, vtraque tot gradus habet, quot iudiciũ perfectum. Sed fine ſolo differt caliditas à iudicio perfecto. Stoliditas autem re magis quàm fine. Nanque ſtoliditas defectus eſt iudicij, non caliditas. Quare iudicio perfecto magis aduerſa ſtoliditas, & caliditas auerſa magis. Denique calidus omnis nequam, non omnis ſtolidus. Sed minutias conſectari non vacat. Solùm addo neque deliberare ſapientes eatenus, neque calidos, neque ſtolidiſſimos. In his etenim minimùm mentis eſt, & plurimùm in illis vtriſque. Iudicium impotentium maximè dico, vnde primi motus. Quo alio nomine iudicium ab-

Digitized by Google

ſolutè perfectum eſt, quod meretur nomen iudicij populariter; & imperfectum, quod nomen iudicij non meretur. Quæ liberi ratio. Vbi nanque multùm iudicij, illic multùm liberi: & liberi paucùm, vbi paucùm iudicij. Sic è iudicio nobis æſtimanda libertas. Totum nanque nobis inſitum principium viuendi moraliter apud nos eſt liberum arbitrium, quod è mente dictum arbitrium eſt, & è voluntate liberum. Arbitrium dico iudicium vltimum. Quod autem ex arbitrio pendeat liberum, eiuſque, vti poſtea videbitur, ſequax omnino ſit, tale liberum eſt, quale arbitrium.

Sed vltimum iudicium alio diuiſionis modo firmum eſt vel infirmum. Quod vtrunque ſummum eſt vel medium. Sic è firmiſſimo propoſito fixa Beatorum voluntas in bonis, in malis fixa Miſerorum voluntas. Gratias ſi demeris extraordinarias & extraordinarias deſertiones, media firmitas omnis in bono vel malo apud nos ad illas comparata. Pro conditione nihilominus obfirmatos in bono pleroſque ſanctos experitur omnis ætas: perditos autem longè plures in ſceleribus obfirmatos. Obfirmatur aſſuetudine propoſitum & in naturam euadit. Quæ Sanctorum aſſuetudo fœlix; calamitoſa Perditorum. Horum nanque deſperata ferme ſalus, ſi maximè nullus in eis vſquam pœnitentiæ ſenſus. Fælices pietatem cum lacte quicunque ſuxerunt. Quicunque, dico, bonis è parentibus & formatoribus adoleſcentiæ Deum diligere & metuere didicerunt. Diuinæ vocationis vnus eſt è præcipuis effectus in electis. Quo ſemel recens eſt imbuta, ſeruat odorem teſta diu. Quicunque ſe caſus offerant, primorum ſeminum per occaſionem ſe referet aliquid. Sed quod in nobis corruptis hominibus maximè deflendum eſt, meliorem vitam nobis fere promittimus inſani, qui quò differimus magis longiúſque procraſtinamus, magis impedimus nos, non ſolùm inuadente magis aſſuetudine, verumetiam inuadente magis & dominante Satana.

Infirmum iudicium in pleriſque rebus vulgi hominum eſt. Vulgus non dico plebem infimam, ſed hominum

maiorem veluti partem. Rebus autem in pleriſque dixi, non in omnibus. Omnes etenim conſtantes in amore ſui, omnes ſuis in ſectis ferme conſtantes. Sed leuium hominum magna latitudo. Non paucos autem ipſa leuitate leuiores & inconſtantiores ipſa inconſtantia comperimus. Quæ ſumma temeritas magnum certè malum eſt.

ARTICVLVS QVARTVS

Triplex è gradibus perfectionis libertas. Eadem è gradibus imperfectionis quintuplex.

LIBERTAS è gradibus perfectionis maximè triplex. Beatorum ſumma libertas eſt: angelorum & primorum parentum primo in ſtatu ſuo media fuit: in nobis omnibus, niſi cuſtodia ſingularis adeſt, qualis beatæ Mariæ ſemper adfuit, infima. Summam eſſe libertatem in Beatis per ſe clarum eſt. Nobis etenim exemplar illud vnum eſt noſtræ pro dono ſpiritus obfirmandæ. Clarum etiam in nobis infimam eſſe libertatem. Nanque primis in parentibus, ſi poſſe peccare demeris, nulla tum infirmitas, egeſtas omnino nulla, nulla officiorum ignorantia, nullus Satanæ nexus. Quod autem nos Eccleſia docet, etſi liberum arbitrium primo ſcelere noſtro extinctum non eſt, verè nihilominus attenuatum viribus eſt & inclinatum. Sic verſus Adamus eſt in deterius. Mentem & voluntatem occuparunt ignorantia & concupiſcentia.

Sed infimæ libertatis noſtræ tres ſunt gradus longè diſpares. Primus eorum eſt, qui renati ſunt in Chriſto & in eo confirmati. Nam etſi hi fortè leues in noxas incidunt, nunquam tamen excidunt è gratia. Alter eorum eſt, qui renati ſunt in Chriſto, ſed in eo confirmati non ſunt. Hi nanque bene viuere poſſunt in illo & è gratia errore ſuo excidere. Tertius eorum eſt, qui gratiam nuſquam habuerunt, vel quòd ab ea exciderint, iacent in ſcelere. Etenim hi, niſi Pater eos retrahit, liberi ſunt duntaxat qui malè viuant, non qui bene. *E poſſe non peccare*, inquit ſanctus Bernardus, *inciderunt primi parentes in non poſſe non* Opere de lib. arb. & grat.

peccare. Quæ ratio noſtrum omnium eſt quoties excidimus è gratia, ſi nos metimur è nobis. Facilis lapſus in nexum Satanæ, facilis via quæ ducit ad inferos: ſuperas ad auras remeare, ſoluere nexum, hoc opus, hic labor eſt; hîc neceſſarius, qui nos liberet, homo-Deus. Nam è nobis tanquam è nobis nihil poſſumus. Ita ſuos vitæ huius vltimo die Chriſtus dominus inſtituebat. *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite, ita neque vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me nihil poteſtis facere; ſi quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardet.* Sic noſtra ſalus è Chriſto ſeruatore, noſtra è nobis perditio. *Diabolo noſtra nos voluntas mancipat*, inquit ſanctus Bernardus, *non ipſius poteſtas: Deo ſubÿcit nos ipſius gratia, non noſtra voluntas: & quia longè melius eſt eſſe perfectum quàm eſſe, abſit vt Deo attribuamus creationem, quod minus eſt; & nobis iuſtificationem, quod majus. Velle adjacet mihi*, inquiebat Apoſtolus, *perficere non inuenio.* Scilicet, inquit noſter hic author, *adjacet nobis velle ſimplex & ſterile: ſed velle bonum ſeu bonum velle ſolus operatur in nobis Deus. Solus etenim velle dat & perficere.*

Eod. opere.

Sic autem pro gradibus imperfectionis libertas quintuplex. Prima miſerorum eſt: ſecunda viuentium hîc in ſcelere, ſi modò ſuis è viribus æſtimentur: tertia renatorum in gratia cum ordinariis Dei ſubſidiis: quarta qualiſcunque defectus illis in ſanctis quos hac in valle confirmarit Deus in gratia, in bono non confirmarit: vltima poſſe cadere é ſtatu primo.

Articulus quintus

Quid libertas à neceſſitate, à peccato, & à miſeria?

SIc libertas acceſſu graduum perfectionis triplex; à neceſſitate, à peccato, à miſeria. Prima libertas hominum omnium eſt & ſpirituum omnium. In his enim

omnibus quouis in ſtatu manet inconcuſſa libertas. Hæc autem abſolutè voluntas eſt, quæ nobis, manentibus nobis, eripi non poteſt, etſi poteſt, vti ratio, impediri.

Libertas à peccato Beatorum omnium eſt in cælis. Eadem fuit primorum parentum & angelorum omnium ſuo ſtatu primo: eadem Chriſti ſeruatoris: eadem beatæ virginis: eadem ſuo modo plurimorum Eccleſiæ ſanctorum. Sed in beatis inconcuſſa manet hæc libertas ſummo Dei beneficio, vt in Deo manet inconcuſſa per naturam. Sic perſonæ titulo per naturam inconcuſſa manet in Chriſto ſeruatore: manſit in beata Virgine maximo Dei priuilegio: in pleriſque ſanctis, ſi præſertim agitur de ſcelere, certa manet. Sciebat enim Apoſtolus ſe nulla vi ſeparandum à charitate Chriſti. Sed in primis parentibus caduca fuit hæc libertas: in Satana & angelis eius caduca: caduca vt plurimùm in alumnis Eccleſiæ. Quòd ſi libertas in nonnullis eſt à ſcelere, non ideo libertas eſt à peccato. Continuæ ſiquidem in nobis noxæ. Si qui liberi ſunt ab omni labe, non ideo liberi ſunt à pœna. Si demum infantes in Chriſto conſepulti maximè liberi ſunt à peccato, non ideo liberi ſunt à laqueis Satanæ. Gratia quidem in nobis magnum donum eſt, ſed in vaſis fictilibus. Quare nos erga Deum humillimos eſſe ſemper oportet, in oratione ſemper, ſemper eius in timòre, qui vitæ poteſtatem habet & mortis. Quòd enim in electis perſeueret gratia, gratuitum Dei donum eſt, quod non cadit in meritum. Certus electionis effectus eſt, non noſtræ vel etiam viuentis in gratia voluntatis. Liquet ex obdormiētibus in domino infantibus. Adulti quidem ſi perſeuerant in gratia, in eáque perſeuerare velint, qui finis eſt vigilantium in Chriſto ſeruorum, vbi ianuam vltimùm pulſat dominus, quòd actu vigilent in Chriſto vel habitu (nam & ſomno captus aſſumi poteſt) hoc articulo vitæ, gratuitum Dei donum eſt. Quod autem certum, diuturna non eſt in nonnullis apud nos gratia perſeuerans, diuturnior in aliis non perſeuerans. Hæc altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cuius iudicia nobis incomprehenſibilia ſunt, neque ea

Digitized by Google

comprehendere tentandum nobis eſt, niſi nos Doctoris gentium doctores fore præſumimus.

Libertas à miſeria Beatorum omnium eſt. Hi non modò poſiti ſunt extra periculorum aleam, ſed omnibus vacant incommodis. Plena ſiquidem illis eſt cumulatáque poſſeſſio bonorum omnium.

Cæterùm hæc diuiſio graduum perfectionis eſt, qualis vulgata diuiſio magnitudinis. Vt enim ſolidum plena magnitudo, linea magnitudo ſimplex, & ſuperficies media magnitudo: ſic libertas à miſeria reliquas continet ambas; & libertas à peccato, libertatem à neceſſitate, quæ prima libertas eſt & minima.

Porrò libertatem à neceſſitate cùm dicit ſanctus Bernardus, cuius eſt hæc diuiſio, quique nullam penitus in voluntates noſtras, quæ ſint dicendæ voluntates, neceſſitatem cadere velit, libertatem à coactione dicit, ab impetu cæco, & alio quouis irrationabili; non eam, quæ ſit rationis propria, quæque vti iam animaduerſum eſt, minùs comprehenditur nomine neceſſitatis.

Etſi verò libertas à neceſſitate, eodem authore Bernardo, tam conuenit hîc quàm in patria, tam bonis quàm malis, verè nihilominus captiua tenetur quodammodo, quandiu deſunt aliæ duæ libertates à peccato & à miſeria. Quare *fælicitas complet libertatem & nos omni captiuitate liberat. Quòd autem libertas arbitrij ſit ſecundum ſubſtantiam, non amittitur: cætera amitti poſſunt, augeri & imminui, quia ſecundum accidentia ſunt.* Porrò *ad libertatem,* inquit, *ſatis voluntas, ſatis velle, non bonum, ſed velle. Nam velle bonum libertas eſt conſilij. Quòd ſi periret voluntas, periret velle, periret libertas arbitrij.*

Opere de de lib. arb. & grat.

Articvlvs sextvs

Quid libertas arbitrij, conſilij & beneplaciti?

Eodem authore, diſtinguuntur libertates arbitrij, conſilij, & beneplaciti. Velle ex libero arbitrio eſt: ſed velle ex libertate conſilij, eſt verum ſapere; & velle ex

libertate

Digitized by Google

libertate [redacted]
beneplaciti, eſt plenum eſſe. Libertas conſilij, ſapere verum: libertas beneplaciti, poſſe bonum: libertas arbitrij, abſolutè velle, velle quicquid è nobis tanquam è nobis velle poſſumus. Libertas conſilij, vera perfectáque ſapientia: libertas beneplaciti, plenitudo gratiæ. Quod vtrunque diuinum eſt, non humanum. Sic illuſtrantur & confirmantur, ſic aguntur ſpiritu Dei quicunque viuunt in Chriſto. Superior gradûs libertatis conſilij, non poſſe peccare: inferior, poſſe non peccare. Superior libertas beneplaciti, non poſſe turbari: inferior, poſſe non turbari. Ab vtraque inferiore corruit Adamus: corruit de poſſe non peccare in non poſſe non peccare, de poſſe non turbari in non poſſe non turbari: factus ſeruus peccati, factus debitor mortis. Sola in eo remanſit libertas arbitrij ad pœnam cum priuatione libertatis conſilij & beneplaciti. Sic factus eſt ad contumeliam homo, qui cùm in honore eſſet, non intellexit. Quare comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.

Porrò *voluntas per ſe corruere poteſt in malum: de malo in bonum per ſe reſpirare non poteſt.* Vt enim reſurgamus, neceſſarius nobis eſt Chriſtus dominus, qui virtus eſt & ſapientia patris, vnde libertas conſilij & libertas beneplaciti. Eius vtriuſque ſperandus inferior gradus hoc in ſæculo, & ſuperior in altero. Vbi conqueritur Paulus ſe captiuum in lege peccati, conſenſum habebat ſanum, ſed plenam conſilij & beneplaciti libertatem optaſſet. Beatus autem qui cùm inferiorem vtrunque ſtatum merito Chriſti ſeruatoris recuperauit, non tranſgreditur, tranſgredi nanque poteſt, vt tranſgreſſus eſt Adamus. Non peccarunt angeli boni, non quia non potuerunt peccare, ſed quia noluerunt. Sic liberum erat Adamo non peccare. Quod autem peccauit, culpa non eſt dantis, ſed abutentis. Peccantis lapſus dono poteſtatis adſcribendus non eſt, ſed vitio voluntatis. Cæterùm libertas conſilij & libertas beneplaciti vnica verè completa libertas eſt. Vt enim libertas quæ hîc abſolutè dicitur eſſe liberi arbitrij, mentis

Digitized by Google

inopis eſt & infirmæ voluntatis: ſibi quæ derelictæ imperfecta libertas: ita libertas conſilij, mentis in Deo ſapientis eſt; & firmæ in eo voluntatis, libertas beneplaciti. Quæ duo ſeiungi nequũet. Vbi nanque libertas conſilij, ibi pariter libertas beneplaciti. Quæ vno verbo, perfecta libertas eſt; ſed quæ coſumetur in cœlis, his in terris incoetur.

ARTICVLVS SEPTIMVS

Libertatis à peccato & à iuſtitia breuis expoſitio.

LIBERTAS beato patri Auguſtino duplex; *à peccato & à iuſtitia.* Quæ diuiſio repetita eſt è ſacro contextu. *A quo quis ſuperatus eſt,* inquit beatus Petrus, *eius ſeruus eſt.* Seruus itaque libidinis eſt, quem libido vincit; & iuſtitiæ ſeruus, quem vincit iuſtitia. Sed vbi peccatum dominatur, non dominatur iuſtitia: nec dominatur peccatum, vbi iuſtitia dominatur. Quare ſeruus iuſtitiæ liber eſt à peccato, & ſeruus peccati liber eſt à iuſtitia. *Cùm ſerui eſſetis peccati,* inquit Apoſtolus, *liberi fuiſtis à iuſtitia: nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem. Omnis qui facit peccatum,* verba ſunt Chriſti ſeruatoris, *ſeruus eſt peccati.* Nos ſi liberauerit filius, verè liberi ſumus à peccato. Alioqui nos, quod certum, nos liberare non poſſumus. Sed nos qui ſeruiebamus mammonæ, iam ſeruire Deo neceſſum eſt, ſi nos eundem per filium liberos aſſerere volumus. Aliud autem ſub cælo nomen nullum eſt, aliud oſtium planè nullum. Sic itaque beatus Auguſtinus. *Semper eſt in nobis libera voluntas, ſed non bona ſemper. Aut enim à iuſtitia libera eſt, quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala: aut à peccato libera eſt, quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona.* Medium certè nullum eſt. Gratiæ ſiquidem eſt omnis in nobis actio vel concupiſcentiæ. Bona dico vel mala, non bona ſimul & mala. Nemo nanque poteſt duobus dominis ſeruire. Subalternis non dicit Chriſtus dominus. Si nanque Deo ſeruis & miniſtris eius, vni Deo verè ſeruis, propter quem vnum ſeruias aliis, ſi modò bene ſeruis. Aduerſis itaque dominis dicere voluit, qui te recipiant

integrum, ſectum non admittant. Quales Deus & Satanas. Partem cordis obtuleris; reſpuet Deus, non admittet. Admittet quidem Satanas. Quem enim reſpuit Deus, is Satanæ totus eſt. Cæterùm actio moralis quæ ſit indifferens in indiuiduo, his è principiis, quod ſuo loco concluditur, verè nulla. Quòd enim Deo, cui verè debentur omnia, ſuum reddendum ſit, concupiſcentia viuimus, niſi viuimus gratia. Sed quicunque ductu gratiæ viuunt, hi liberi ſunt eatenus à peccato: & quicunque vincente concupiſcentia viuunt, hi pariter eatenus liberi ſunt à iuſtitia. Bona porrò voluntas, quæ ſeruit iuſtitiæ; quæ ſeruit peccato, mala. Æqua ſanè diuiſio. Nulla nanque media voluntas. Non quòd ea ſit diuiſio generis in ſpecies. Nanque bonitas & malitia veræ non ſunt partes voluntatis. Sed vt aër lucidus eſt vel tenebroſus, vt corpus motum eſt vel quietum: ita bona voluntas eſt vel mala. Hæc ſeruit mammonæ, ſibi ſeruit, ſeruit Satanæ: illa iuſtitiæ ſeruit, ſeruit gratiæ, Deo ſeruit. Verè nihilominus vtraque libera. Quæ enim ſeruit iuſtitiæ, libera eſt à peccato; & à iuſtitia libera, quæ peccato ſeruit. Vtraque demum abſolutè libera, quatenus ſui & ſuarum actionum domina eſt.

Si cui tamen placet diuiſionem hanc intelligendam eſſe de actu, non de facultate, vtraque libertas dominæ voluntatis liberum opus eſt, vtraque ſpecies vera ſecundum mores. Sed de facultate concluſi. Quod autem obſeruandum hîc eſt, etſi mala voluntas libera nobis eſt à iuſtitia, quatenus ei non obedit, quia nihilominus ſeruit peccato, cui ſua iuſtáque pœna debetur, eatenus volens nolens iuſtitiæ ſubeſt. Pœnas oderunt dæmones, oderũt iuſtitiam. Quare liberi ſunt à cultu iuſtitiæ, à pœna liberi non ſunt. E contrario ſancti liberi ſunt à peccato quod execrantur, non à iuſtitia quam colunt indeſinenter: ſed à peccatorum vltrice iuſtitia liberi ſunt in cælis, non in hoc mundo, non in altero, ſi quicquam hîc vel illic expiandum habent. Sed hi quòd iuſtitiam abſolutè colant & debitas ſibi pœnas æquo ferant animo, fructum in ſanctificationem & gloriam ricipiunt à miſericorde iuſtóque remuneratore Deo,

Digitized by Google

cui ſeruire ſerere eſt & metere & regnare. Quæ diuina, quæ fælix ſeruitus eſt & vna verè regalis.

ARTICVLVS OCTAVVS

Inſferentia, quæ vulgò dicitur eſſe libertatis, verè totius eſt liberi arbitrij.

QVI libertatem ſola ex indifferentia metiuntur, negant actionem voluntatis eſſe liberam, quam illa ſuſpendere non poſſit. Quare eorum iudicio liberum non eſt odium Dei in miſeris, non in beatis amor. Quæ nihilominus actiones & ſimiles aliæ, vti iam authoritate ſumma probatum eſt, liberrimæ ſunt. Aſperum quidem in miſeris, non iucundum odium. Sed rem è nutu voluntatis meditor nunc, non ex eius iucunditate vel moleſtia. Quod autem certum eſt, iuſtitiam ſummo niſu oderunt miſeri, etſi mœſtiſſimo. Sed nihil intereſt. Nanque Chriſtum liberè negauit Petrus & mœſtè; mortem ſibi mœſtè conſciuit Iudas & liberè. Sed libertatem indifferentiæ qui vulgò docent, hanc illi volunt ita propriam eſſe voluntatis, vt, poſito vltimo iudicio conſultatiuo, ea reſtet indifferens & æquilibris in vtranuis partem. Ego voluntatis indifferentiam approbo lubens infinitis in actionibus, ſed voluntates noſtras ita mente flexibiles contendo, vt ei ſe nuſquam aduerſas habeant. Quare cùm dico libertatem indifferentiæ, hanc dictam volo de toto libero arbitrio, quod ſecundum vires ipſas per ſe manet idem in quouis inconcuſſum ſemper, etſi pro rebus adiunctis longè varium euadit & diuerſum. Habetur autem indifferens, quoties locus eſt conſultationi. Seu nanque matura ſit conſultatio, ſeu tarda, ſeu præceps, vt tum concluſionis ſeu iudicij extat apud nos indifferentia, quandiu ſuſpenſa mens eſt; ita, quæ perinde ſuſpenſa ſit, voluntatis. Sed quam in partem ſe vertit mens, in eandem flectitur voluntas, nunquam in aduerſam. Quia nihilominus voluntatis proprius eſt nutus propriumque dominium, eius vnius verè libertas eſt, vt arbitrium ſolius eſt mentis. Sed

Digitized by Google

mens & voluntas hoc in obeundo munere ſic implicitæ ſunt, ſic aptæ & cohærentes inter ſe, vt vnicum ex vtraque videatur eſſe principium, vnicus vtriuſque flexus. Quam propter cauſam ſi quid fecimus liberè, id pro arbitrio feciſſe nos, vel pro nutu promiſcuè dicimus. Quòd nihilominus mens & eius omne conſilium ſit in gratiam nutus, certè titulo finis potior eſt voluntatis determinatio, etſi determinatio mentis potior eſt titulo ducis. Sed duce potior abſolutè finis, ſi modò verè duo ſunt, veluti mens & voluntas in nobis; non vnum, veluti glorificator Deus & author.

Articvlvs nonvs

Quid libertas abſolutè & quotuplex? Quid eius vna pars, quæ firmitatis libertas eſt ſeu conſtantiæ & immutabilitatis.

Rem igitur vt præcidam, ſi cui libertas idem eſt, quod liberum arbitrium, vel ſaltem, vti ratio poſtulat, ſuas iudicio partes non deneget, abſolutè libertas, quod antea iam actum eſt & concluſum, eſt *conſulta voluntas*. Hæc autem firmitatis eſt vel indifferentiæ. Conſtantiæ dico & ſtabilitatis vel æquilibritatis & indifferentiæ. Illam, qui volet, neceſſitatis libertatem dicet. Sed quòd ratione faciamus & voluntate, id nos neceſſitate facere, profectò minùs aptè dicimus. Non eſſe tamen nobis hac in re reformidandum illud neceſſitatis vocabulum, ſumma demum authoritas euincet ſuo loco. Prior itaque libertas eſt actio voluntatis è ſimplice iudicio practico. Quòd ſi hoc per ſe tale ſit, non per accidens, ſumma firmitas eſt voluntatis. Qualis eſt amoris Dei in beatis mentibus. Poſita nanque clara Dei viſione, non poteſt beata mens iudicare bonum eſſe odiſſe Deum, vel eum non amare, ſed abſolutè nudéque iudicat bonum eſſe ſibi amare Deum; ſibi malum, odiſſe. Quare Deum ſic amant volentes, vt nolle non poſſint illum amare, vel illum odiſſe velle non poſſint. Sic in ſe ſæuientem iuſtitiam ſæuitu-

Digitized by Google

ramque ſemper, amare non poſſunt perditi, non poſſunt non odiſſe; ſed illam volentes oderunt, non oderunt inuiti. Libertatis altera firmitas è iudicio ſimplice per accidens longè minor. Quandoquidem enim hoc iudicium virtute conſultatiuum eſt, eadem illa libertas aliquatenus eſt indifferentiæ.

Porrò libertas indifferentiæ eſt actio voluntatis è iudicio conſultatiuo. Quod ſi hoc iudicium virtute conſultatiuum eſt duntaxat, hæc actio virtute ſolùm indifferens eſt, non re. Si nanque primum ad aſpectum oblatum tibi ſcortum deteſtaris firmum habens propoſitum ſeruandæ tuæ virginitatis, vt rem non reuocas in conſilium, ita neque voluntate hæſitas. Hæ cæterùm actiones ex aſſuetudine quæ veluti natura ſit, etſi virtute ſunt indifferentes, ſi nihilominus æſtimantur è modo quo procedunt è nobis, magis neceſſariæ ſunt, indifferentes minùs, ſiue bonæ illæ ſunt, ſiue malæ. Sed earum omnium quæ bonæ ſunt in nobis benéque fiunt, radix eſt ipſa vitis, non palmes, ne quid gloriemur, qui nihil habemus è nobis, quod nos diſcernat. Cæterùm cùm dicimus è iudicio virtute conſultatiuo firmas minùs voluntates, certè noſtras vulgò voluntates in pleriſque rebus dicimus, non abſolutè voluntates, non obfirmatas omnino, qualis erat in bono voluntas beatæ Virginis, vel qualis vniuſcuiuſque noſtrum in amore ſui. Multò minùs diuinam voluntatem ſuis in decretis infirmam dicemus. Hæc enim ſic aſſerta ſunt ab æterno, vt nuſquam mutata ſint, mutanda nuſquam. Neque ſuis in decretis condendis hæſitauit Deus vel hæſitare potuit. Quamobrem orta non ſunt è iudicio conſultatiuo virtute, quod diuina mens euoluere poſſet ratiocinio. Ratiocinari nanque repugnat ipſam à ſeipſa notionem rerum omnium. Quæ ſumma poteſtas eius eſt & perfectio, non imperfectio, non infirmitas. Illa porrò decreta nonnunquam hauſta dicimus è iudicio virtute conſultatiuo, quòd etſi repugnet euolui ratiocinio, tale nihilominus eſt, vt eminenter contineat ratiocinium, eóque ſic decreuerit ab æterno Deus ſe mundum hunc creaturum eſſe, non al-

Digitized by Google

terum, vt alterum creaturum ſe perinde decernere potuerit, non hunc ipſum. Quæ beatæ mentis ad Dei cultum ratio non eſt. Sic enim decernit ſibi amandum eſſe Deum, vt contrarium decernere non poſſit.

Si denique iudicium re conſultatiuum eſt, vt mens iudicando hæſitat, ſic ad hæſitantiam mentis hæret ſuo modo voluntas. Non enim volumus ante vel nolumus, quàm iudicauerimus nobis hoc vel illud expeditius eſſe. Neque probandum his in definitionibus aſſumo nunc, quod in ſe nemo non experiatur. Quandiu nanque mens iudicando hæret velut æquilibris, tandiu voluntate hæremus; vtque mens eundo veluti redeundóque, in hanc partem vel illam magis propendet, ita voluntas. Habito demum abſolutóque conſilio, propoſitum firmamus, neque nutantes & ſuſpenſas plus minùs noſtras vſquam voluntates experimur.

Articvlvs decimvs

Quid libertas indifferentiæ? quid eius vtraque pars, libertas contradictionis & libertas contrarietatis?

EST autem libertas expreſſæ indifferentiæ, vti iam admonitum eſt, voluntas prout, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, reſtat indifferens. Quoties enim conſultamus de facienda quapiam re vel non facienda, vt iudicamus aliquando conſultius eſſe nobis operari, ita iudicare poſſumus nobis conſultius eſſe non operari, vel etiam operari contrarium nobis eſſe conſultius. Veluti diceres apud te, iubet veritas inimicos diligere, & ijs qui nos oderunt, benefacere; ſed odium & vindictam exigit à me libido; ſaltem, quod eius minimum eſſe videatur, negat ijs qui nos oderunt, benefacere, eos diligere non ſinit. Si tamen diligis inimicos, vincit in te iuſtitia: ſin illos oderis, vincit libido, tumque committis, quòd eos oderis, quos iuberis amare: & omittis, quòd eos non ames, quos amare iuberis. Quòd ſi nec ames illos, nec oderis, omittis duntaxat; ſed quòd pecces, ſeruus es libi-

Digitized by Google

dinis. Sic fere nobiſcum conſultamus apud nos vel cum aliis.

Sed libertas indifferentiæ contradictionis eſt vel contrarietatis. Libertas contradictionis eſt, qua liberum arbitrium, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, potens eſt agere & non agere. Sic bonum amare poſſumus vel amorem ſuſpendere, odiſſe non poſſumus: malum odiſſe poſſumus vel odium ſuſpendere, amare non poſſumus. Libertas contrarietatis eſt, qua liberum arbitrium, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, potens eſt elicere actus contrarios circa vnam & eandem rem. Sic diuitias amare poſſumus & odiſſe. Sic odiſſe poſſumus & amare bellum. Quòd autem actiones contrariæ ſpecie differant, hæc libertas vulgò dicitur libertas ſpecificationis; non quòd duæ ſint libertates, vna ſiquidē vis eſt & ſimplex, ſed diſtinctio munerum eſt. Deinde vt voluntas nobis vſu loquendi & facultas eſt & actus, ita libertas. Quare libertatem actum ſi dicere vis, dubio procul amare diuitias liberè, & liberè diuitias odiſſe, duæ ſunt libertates. Quæ ratio libertatis habitus. Porrò diuitias non ſolùm amare poſſumus & odiſſe, verumetiam liberaliter gerere nos in illis adminiſtrandis vel ſordidè. Sic bellum odiſſe poſſumus & amare, atque nos in eo fortes habere vel ignauos. Sic delicias probare poſſumus vel improbare, noſque in eis temperantes præſtare vel intemperantes. Cæterùm diuitias amare ſi poſſumus & odiſſe, actum hunc vtrunque ſuſpendere poſſumus. Quæ cæterarum contrarietatum ratio.

Sed, inquies, non operari cùm operari iubemur, omiſſio eſt. Alioqui ſimplex eſt operæ negatio. Quam ſimplicē negationem vt concedam eſſe contradictionem actionis, ſaltem, quòd negare nemo poſſit, habetur omiſſio velut actus operæ præceptæ contrarius. Quare tum non agere ſpectat ad libertatem contrarietatis, non ad libertatem contradictionis. Verùm, inquam, id interpretatiuè dicitur, non propriè, ſi modò nulla ſit expreſſa nolitio. Nanque nolitio rei præceptæ vera commiſſio eſt interior. Quod autem ſe nobis hîc obſeruandum offert, libertas contradictionis

ſimplex

ſimplex eſt vel ſuo veluti modo compoſita, prout negatio vnius actionis eſt vel plurium. Miſeriam nanque duntaxat odiſſe poſſumus vel non odiſſe, amare fælicitatem vel non amare: ſed diuitias amare poſſumus & odiſſe vel vtrunque ſuſpendere. Si quæ demum amare poſſumus & odiſſe, quod etiam obſeruatione dignum eſt, eorundem amorem & odium conſilio ſuſpendere poſſumus & diſtractione. Liquet è diuitiis, bello, colloquiis. Sed quæ ſolùm amare poſſumus vel odiſſe ſolùm, eorum amorem vel odium ſola diſtractione ſuſpendere poſſumus, conſilio non poſſumus. Cuique ſatis ea de re conſtat ex amore ſui, ex amore beatitudinis & odio miſeriæ.

Verum, inquies, ſi fortè iudicemus ſuſpendendam nunc eſſe nobis omnem voluntatis operam, quî fieri poteſt, vt omnem eius operam ſuſpendamus, niſi conſentit iudicio? Sed neque iudicio conſentiet per negationem operæ. Imò verò, inquam, quî conſentire poſſet voluntas aliter, ſi modò, quæ hypotheſis eſt, eam iudicas occluſam eſſe tenendam, niſi tum illa ſe teneret occluſam? Sed tale iudicium de tenenda penitus ſub ſigillo voluntate noſtra nullum vſquam eſt, niſi otioſiſſimæ curioſitatis exercendæ cauſa ſecumque pugnantis. Bene quidem apud nos conſulimus de ſcribendis epiſtolis ad aliquem vel non ſcribendis, de eliciendo amore vel odio, vel neutro, non quidem abſolutè, quod non euenit, ſed propoſito nobis quopiam actionis obiecto. Si de volitione vel nolitione cuiuſpiam rei conſilium habemus apud nos, tum niſi volitionem eius vel nolitionem elicere placet, elicere poſſumus actionis vtriuſque nolitionem, vel mente verſa ad res alias, voluntatem occludere. Sed vt repugnat velle nos & nihil velle, nolle nos & nihil nolle: ita velle nos nudum velle vel nudum nolle; nolle nos nudum velle vel nolle nudum, repugnat. Boni ſiquidem vel mali catenus ſpecies omnino nulla. Practicè loquor, non metaphyſicè. Quamuis enim vtrunque bonum eſt entis titulo, verè nihilominus neutrum per ſe fœdum eſt vel honeſtum, commodum vel incommodum, iucundum vel moleſtum.

Quare neutrum abſolutè velle poſſumus vel nolle.

Fotaſſe dices te curioſitatis ergo tentare. Sed imprimis vt curioſitatis ergo fruſtra videre tentabis quod inuiſibile ſit: ita quod neque bonum ſit, neque malum velle fruſtra tentabis vel nolle. Alioqui velle poſſes & nolle, quod nec amabile ſit, nec odibile. Deinde cùm dicis id te curioſitatis ergo tentare, curioſitatem finem habes tuæ qualiſcunque deliberationis. Quare tibi repugnas. Explere nanque curioſitatem velle potes & nolle, ſed vt negatione iudicij non iudicas eam explendam eſſe tibi vel non explendam, ita neque conſenties negatione vel diſſenties. Conſentires enim, neque tamen conſentires. Quod eſt ipſa luce clarius. Si nanque conſentis explere curioſitatem vel diſſentis, volitione conſentis vel diſſentis nolitione, vt negatione iudicas vel affirmatione. Sed miſſis hiſce argutiis, cùm hîc dico, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, reſtare nos indifferentes, ea dico quæ neceſſaria ſunt ad agendum libero arbitrio, quod totum eſt è mente & voluntate compoſitum, non quæ ſoli voluntati ſint ad agendum neceſſaria. Quod enim poſtea docebimus, non poteſt voluntas non ſequi iudicium vltimum.

CAPVT TERTIVM

De exiſtentia libertatis.

ARTICVLVS PRIMVS

Quòd neque diuina præſenſio, neque prouidentia diuina noſtris obſit voluntatibus, neque libertatem adimat qualecunque dominium Satanæ.

QVÆSTIO grauis apud veteris memoriæ philoſophos, hodie inter chriſtianos doctores vel controuerſa magis, controuerſa ſemper inter doctos. Philoſophos gentiles impediuit conciliatio libertatis cum prouidentia & præſenſione diuina. Chriſtianos impedit eiuſdem liberta-

Digitized by Google

tis conciliatio cum gratia victrice Chriſti ſeruatoris, cumque funibus ijs omnibus Satanæ, in quibus captiui naſcimur. Hæc præcipua fuerunt admittendæ libertatis impedimenta quatuor. Sed vltima duo quæ neſciuerunt philoſophi, turbas excitarunt in Eccleſia nondum pacatas: non prima duo, de quibus contentio iam nulla penè ſit, vel certè longè minor. Non dico nullas eſſe de prouidentia & præſenſione diuina quæſtiones controuerſas, ſed eas vix vllas eſſe quæ faciant ad inſtitutum. Sua nonnullis eſt ſcientia media. Sed eius refutatio non eſt huius operæ. Neque noſtræ huius operæ ſunt prædeſtinationis & reprobationis arcana. Cæteras ijſdem de rebus partes controuerſas taceo, vt quæ ſuſcepi, properem. Quod vnum ſic exequor.

Miſſis aliis omnibus ſignificatibus nominis, libertatem hîc abſolutè dico liberum arbitrium. Nos autem arbitrio noſtro viuere obſcurum faciunt inter diſceptandum graues illæ magnæque conciliationes. Alioquin experientiam è nobis ſi quærimus, cuique promptum eſt exhibere certa quædam, imò perpetua, ſuæ libertatis argumenta. Loquimur enim, ſi volumus, vel ſilemus. Sic manum claudimus pro nutu vel aperimus. Vno verbo, dari libertatem, virtutem & vitium tam principium eſt apud morales philoſophos & iuriſconſultos omnes, quàm apud medicos dari temperiem, ſanitatem & morbum: tam conſtans è ſacris paginis & conciliis & patribus Eccleſiæ, quàm iuſtum eſſe Deum & miſericordem, ſuaſque ſortes manere iuſtos & iniuſtos. Sed certiſſimæ & clariſſimæ quæque res vt plurimùm incurrunt in quæſtiones grauiſſimas, vbi diſcutiuntur accuratiùs. Conſtat è motu, tempore, luce, pondere, dolore, voluptate. Conſtat è myſteriis ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis dominicæ, quæ duo prima capita ſunt diuinæ reuelationis. Sed nobis recenſendæ ſunt de re propoſita celebriores ſententiæ.

Inuexiſſe dicuntur ſtoïci fatalem neſcio quam rerum omnium neceſſitatem. Qua peſte moribus & virtutibus exitiale magis nihil eſſe poteſt, ſi modò ſuum illud fatum

diſtinxerunt à prouidentia diuina, aut prouidentiam hanc noſtris voluntatibus vim inferre voluerunt. Sin autem ſuum illud fatum voluerunt eſſe prouidentiam, eamque talem quæ noſtris voluntatibus vim nullam inferat, mali hucuſque nihil habet opinio. Et quidem, ſi credimus beato Auguſtino, ita Stoïci cætera quæque omnia fato ſubijciebant, vt noſtras voluntates eximerent ab illa neceſſitate. Ea cæterùm in re fidendum Auguſtino, quòd eius ætate vigerent omnes illæ celebres ſectæ philoſophorum oſcitantium, ſéque ad illas omnes quodammodo contulerit, ſi verã, quam tum neſciebat, vitæ viam fortè nanciſceretur. Sed illius exemptionis duæ fingi poſſunt ſententiæ. Vel enim voluerunt rebus aliis inferri vim extrinſecus authoritate fati, non voluntatibus noſtris: vel Deum ita prouidere rebus aliis, vt nos noſtro permiſerit conſilio, neque prouiderit nobis. Veri quid habet primum. Nunquam enim fecit Deus vel faciet, vt quid velimus inuiti vel nolimus. Sed neque rebus aliis vim infert omnibus. Quod certa liquet experientia. Non enim violentus eſt natiuus lapidis caſus, non aſcenſus ignis. Alterum planè ſtoïcum eſt. Gloriabantur enim ſe Dijs immortalibus debere, quòd eſſent orti: quòd autem ſaperent, vnis ſibi debere. Ita ſibi debere quòd eſſet melius, gloriabantur: Dijs, quod eſſet vitius. Ecquis enim, inquit ciceronianus ille Cotta, Dijs immortalibus vſquam gratias egit, quòd ſaperet? Impietas certè nefaria. Non quòd nos quos oportet de nobis humillimè ſapere, cùm Deo gratias agimus de vniuerſis eius beneficiis, ſic agere deceat cum illo Pharifæo: ago tibi gratias, rex omnipotens Deus, quòd ſapiam, quòd piè ſanctéque viuam, quòd ieiunem bis quoque Sabbato, quòd orem quacunque die ſepties, quòd meas facultates erogem pauperibus, quòd denique non ſim ſicut cæteri homines, iniuſti, raptores, adulteri, & qualis iſte publicanus. Nobis etenim non licet iuſtificare nos coram Deo, non licet inſultare ſitientibus & eſurientibus. Sed ædificij chriſtiani hypoſtaſis humilitas eſt, ſectæ ſtoïcæ faſtus. Quod eſt regnum Satanæ.

Digitized by Google

Quidam ex Academicis Iouem liberum ſuſpicati ſunt antequam fata conderet, inde fatali à ſeipſo neceſſitate obſtrictum. Sed, eorum pace, fata cadunt in res de quibus à Deo decernitur, in Deum non cadunt. Quare ſuis decretis ſi quas res obſtringit Deus, ſe tamen illis verè non obſtringit. Neque enim de ſeipſo vel decernit vſquam, vel decernere poteſt. Imò nos quòd libertate viuamus, obſtrictos eſſe negamus fatali neceſſitate. Nobis igitur ab iſta ſententia abhorrendum ſemper eſt, ſemper abhorrendum ab iſta locutione. Sed vitandæ nobis altercationes grammaticæ. Quod enim æterno ſuo conſilio futurum decreuit Deus, quæ neceſſitas eſt adiunctionis, non poteſt non euenire. Hic autem lapis vnus eſt offenſionis. Quòd enim noſtram voluntatem ſui dominam eſſe crederent Academici, neque tamen fieri poſſe quin euenirent, quæ Deus ordinaſſet, horum alterutrum expungendum eſſe contendebant. Neſciebant Deum diſponere omnia ſuauiter, & à fine ad finem fortiter attingere: ſic cunctas res ab exordio vltimum ad exitum ordinare, vt extra metas quas conſtituerit, nuſquam excurrant, neque propterea vim illis vllam inferat. Saltem, quod nos experimur è nobis nuſquam ab eo vis infertur noſtris voluntatibus. Alioqui ſenſum aliquem haberemus iſtiuſcemodi violentiæ. Poſitum quidem eſt in eius manu cor noſtrum, vt illud quam volet in partem, inclinet, ſed inuitas nuſquam agit voluntates noſtras. Scire cuperem ab illis Græcis oratoribus, quos Demagógos aiebant, qui ſibi pollicebantur populum quam in ſententiam vellent, ſe flexuros, quam ſuæ facundiæ partem Deo concedi vellent, vel potiùs ſuam quàm exiguam eſſe veréque nullam, ſi comparetur ad inexhauſtam à ſeipſa ſapientiam? Sed ne quod infinitum eſt à ſeipſo dominium has ad atomos comparem, vt inuitus quid velis nunquam faciet Deus, ſed vt volens velis, noliſque nolens quæcunque voluerit, efficiet ille, cùm volet. Neque tibi dubitandi locus erit, ſi notum tibi brachium eius eſt, proprium tuæ voluntatis dominium ſubalternum eſſe, non ſummum, téque nihil eſſe præter meram in eo depen-

dentiam. Quòd ſi dicis illum quidem id eſſe pro nutu ſuo facturum, quodcunque volet, te verò quòd reſiſtere nequeas, actum iri neceſſitate: verum quidem dices te, cùm volet, illi non reſtiturum. Sed cùm volet, ſi neſcis, te ſic aget, vt volens gaudens velis quæ velit; quæ nolit, nolis, nec vſquam tibi vel in mentem veniat, vt illi reſiſtas. Quod ſi neſcis, libertati non obeſt hæc neceſſitas, quando quidem nihil omnino vis, quod velis inuitus.

Sed abſurdus ille præ cæteris & impius, qui cùm populo Romano non minùs quàm Eolus oceano dominaretur, non modò negauit prouidentiam, verumetiam excæcandum eſſe Deum ſibi præſumpſit, ne præſentiret, quæ liberè facturi ſumus. Cæcas hominum mentes & caſſas veritatis! Certus iſte quid authoritate ſua altera die decreturus eſſet liberè populus Romanus, apud quem cùm audiret ſe regnare, mirum quàm elatus; quid autem ipſe facturus eſſet præſentire non poſſet Deus, non poſſet ipſa à ſeipſa notio rerum omnium.

Ne verò diutius in exuſtis iam ſumma ſummæ veritatis luce monſtris reſtemus, conciliandæ diuinæ præſenſionis, etiam cum ijs quæ volumus è nobis, non præeunte Deo, nec applicante nos, laboris nihil eſt. Hæc etenim præſenſio, ſi vis, quæ vulgaris opinio ſit, tuæ voluntatis in pleriſque conſequens eſt objecti titulo, vt defectionis lunæ conſequens aſtrologi prædictio: vel, quod planum magis magiſque philoſophicum, cùm operari nihil omnino poſſimus abſque opera Dei, nihil autem vſquam operetur Deus, quod ſe non decreuerit operaturum ab æterno, ita videt ſuis in decretis de præbendo tibi auxilio te facturum id quod facturus es, vt tuæ libertati quam iuuet, quamque potentem ex impotente faciat, non obſit.

Quæ porrò fælicitas eſt ætatis noſtræ & diuinæ reuelationis incomparabile beneficium, certa chriſtianis omnibus eſt & indubitata conciliatio diuinæ præſenſionis & prouidentiæ cum libertate noſtra. Id apud nos ratum facit ſacer contextus. Ex eo nanque planè conſtat Deum prouidere ſuis operibus, & quæcunque futura ſint, omnia

Digitized by Google

præſcire. Qui negant igitur hodie nos eſſe quoquo modo liberos, hi nobiſcum fatentur Deum eſſe liberrimum in his omnibus quæ ſpectant ad originem, conſeruationem & moderationem creaturarum omnium: Chriſtum dominum his in locis inferioribus, vt nunc in cælis, libertate ſumma potitum: eadem frui nunc beatas mentes: angelos omnes creatos eſſe liberos: liberos pariter conditos eſſe primos parentes noſtros. Sed quia ſuo grauiſſimo ſcelere illi ſe manciparunt peccato, ſuoſque poſteros omnes, neque noſtrarum virium eſt huic vlceri mederi, atque neceſſaria nobis eſt victrix in nobis gratia, plerique negant nos eſſe liberos. Quòd enim, inquiunt, ſerui ſimus peccati, iam è nobis tanquam è nobis non poſſumus non peccare. Quare reſtamus in nexu Satanæ, ſi nobis deſerimur, neque liberi ſumus. Quod argumentum ſi valeret, neque liber eſſet Deus, neque Chriſtus dominus liber, neque beatæ mentes in cælis liberæ. Vt enim è nobis non poſſumus non peccare, neque bonum quid bene facere poſſumus; ita Deus omnipotens, ita Chriſtus dominus, ita beata mens non poteſt non viuere ſanctè, neque fœdum quid vſquam committere poteſt. Quare, quod hi negare non poſſunt, ſiquidem verba ſunt Apoſtoli, ſeruus peccati liber eſt à iuſtitia, vt ſeruus iuſtitiæ liber eſt à peccato. Neque locus eſt euaſioni. Vt enim bene viuendi impotentes ſumus è nobis, & potentes malè viuendi; ita beata mens in cælis malè viuendi impotens eſt, & potens bene viuendi. Beatos dixeris potentes hac de cauſa, ſi vis, & nos è nobis impotentes, non repugno, ſed nihil ad libertatem. Vt enim volentes volunt & nolentes nolunt quicquid volunt noluntque beatæ mentes, non inuitæ: ita quicquid volunt noluntque perditæ mentes, id volentes volunt & nolunt nolentes, non inuitæ. Quare ſua beatis & miſeris, etſi longè diſpar, libertas eſt. Quæ cùm ita ſint, fatearis oportet nos eſſe liberos.

Si fortè dicis te libertatem hanc concedere, ſed in nobis nullam eſſe libertatem à peccato, niſi nos liberet filius, non repugno; Chriſti ſeruatoris verbum eſt, aſſentior.

Sed illi ſi credis, ſi credis eius Apoſtolo, nunquam abſolute dices nos non eſſe liberos. Deinde quandiu hic viuunt vel ſcelerati quique & deſperati, quos permiſerit Deus ſuis concupiſcentiis, nunquam illi propterea ſunt in pleno Satanæ dominio. Noſtra nanque voluntas nos illi ſubijcit, non eius poteſtas. Quare vel flagitioſiſſimis eius mancipiis liberum eſt his vel illis ſceleribus volutare ſe ſuo nutu proprio, non Satanæ. Amollire corda potens eſt Deus & indurare; potens docere nos quæcunque velit, ſuaderéque nobis, non Satanas. Quare liberum ſemper eſt eius mancipiis non modò ſcelerum optionem facere, verumetiam liberum ipſis eſt facere bonum & à malo declinare, etſi neutrum vſquam bene ſuccedat, niſi ſuccurrit Deus. Vt verbo dicam, aliud eſt ſeruum peccati non eſſe liberum à peccato, aliud illum non eſſe ſuarum actionum dominum.

ARTICVLVS SECVNDVS

Gratia victrix, quæ continetur diuina perſuaſione & ſancta voluntate, cuius vtriuſque conſequens eſt ſanctum opus, proponitur, quæriturque num obſit libero arbitrio.

QVÆSTIONIS nodus alter eſt de gratia victrice. Si nanque, dices, non ſufficientes ſumus cogitare aliquid è nobis quaſi è nobis, ſed ſufficientia noſtra è Deo eſt: ſi quos vult Deus, excæcat; & quos vult, illuminat: ſi viuus eius ſermo efficax eſt & penetrabilior omni gladio: ſi nemo dicere poteſt Dominus Ieſus niſi in Spirituſancto: ſi Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate: ſi neque volentis eſt, neque currentis, ſed Dei miſerentis: ſi cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat: ſi inuenitur a non quærentibus ſe, & à quærentibus ſe non inuenitur: ſi quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus: ſi nihil habemus è nobis, quod nos diſcernat,

nat, nihil non acceperimus: ſi nos à peccato liberat filius, non ipſi nos: ſi nemo poteſt venire ad filium, niſi quem traxerit Pater: ſi non ſolùm introducit in cœnam ſuam, verumetiam compellit intrare: ſi omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad filium: ſi voluntati eius nemo reſiſtere poteſt: ſi, vt lutum figulus, ita nos figmentum ſuum tales fingit, quales vult: ſi cùm in Chriſto viuimus, non iam nos viuimus, ſed ipſe viuit in nobis: ſi non nos, ſed gratia Dei, quæ nobiſcum eſt, operatur: ſi nihil abſque filio facere poſſumus: ſi Chriſtus caput, nos membra: ſi vitis Chriſtus, nos palmites, & Pater agricola: ſi dominus dirigit corda noſtra, confirmat & cuſtodit à malo: ſi diſrumpit vincula, & præuenit nos in benedictionibus dulcedinis: ſi in manibus eius ſortes noſtræ ſunt: ſi regnat eius voluntas in cordibus noſtris: ſi, dices, ita res habet, ſiue noſtri cordis illuſtrat oculos, ſiue renaſcimur in Chriſto quoties liberamur à ſeruitute peccati, ſiue viuimus in illo, id opus eſt gratiæ, non noſtræ libertatis. Magna certè quæſtio. Sed imprimis, quod eſt indubitatum, infuſio gratiæ ſanctificantis ſolius Dei opus eſt. Hanc enim in nobis operatur Deus ſine nobis, vt eam operatur in infantibus. Vnum id diſcrimen eſt, quòd eam infans nulla actione ſua promereatur, nos autem in ſpiritu Dei promereamur quodammodo, peccatáque eodem in ſpiritu redimamus. In infantibus ſatis eſt ſacramentum baptiſmus, indéque confirmatio ſacramentum: ſed in adultis adhibendæ ſunt operæ quas exigit altera naufragij tabula.

Cogitare bonum, quæ pia mentis illuſtratio eſt, quod primum beatæ ſanctæque vitæ ſemen, vnius Dei donum eſt, vbi exhortatur corda noſtra & confirmat quoties vult, in omni opere bono & ſermone bono. Hic eius ſermo viuus in cordibus noſtris, efficax & penetrabilior omni gladio, nec è libris accipi poteſt, nec è doctoribus haberi, vel etiam angelis. *Illud quod in euangelio poſitum eſt*, inquit beatus Auguſtinus, *erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ideo dictum eſt, quia nullus hominum illuminatur niſi illo lumine veritatis, quod Deus eſt, ne quiſquam putet ab eo ſe illuminari, à quo aliquid audit, vt diſcat, non dico ſi quenquam magnum hominem, ſed neque ſi angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim ſermo veritatis extrinſecus vocis miniſterio*

Lib. 1. de pecc. mer. & remiſ. c. 25.

Digitized by Google

corporalis, veruntamen neque qui plantat, aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui dat incrementum Deus. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel angelum, ſed vt ſentiat & cognoſcat verum eſſe quod dicitur, illo lumine intus mens eius aſpergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Sed ſicut ſol iſte à cæcis non videtur, quamuis eos ſuis radijs quodammodo veſtiat; ſic à ſtultitiæ tenebris non comprehenditur. Ita more ſuo ſanctus pater Auguſtinus. Nanque ſpiritus eſt, qui nos docet omnia: Deus illuminatio noſtra & ſalus noſtra: compeditos ſoluit & illuminat cæcos: non quidem omnes, quos enim vult excæcat, & quos vult illuminat; ſed eius vnius opera illuminatur intrinſecus, quiſquis verè fructuoſéque illuminatur. Alioqui ſufficientes eſſemus cogitare aliquid è nobis. Quod repugnat Apoſtolo. Cogitationes autem infructuoſas & ſteriles, quales eorum omnium qui in ſuas euaneſcunt, non dicit Apoſtolus, cùm negat ſufficientes eſſe nos cogitare aliquid è nobis; ſed gratiam illuminationis dicit, de qua Chriſtus dominus his verbis: *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Porro cogitare minus eſt quàm velle & operari. Non enim conſentimus & operamur, vt cogitemus: ſed cogitamus, vt velimus & operemur. Quare niſi cogitare ſufficientes ſumus è nobis, neque profectò ſufficientes ſumus velle & operari. Attamen hæc illuminationis gratia prout cognitio eſt, noſtrum opus eſt aliquatenus, etſi omnis eius applicatio & determinatio atque ſcriptio in cordibus noſtris ita diuinum opus eſt, vt hoc nomine ſolius eſſe Dei prædicetur.

Sic altera gratia actus, quæ ſancta voluntas eſt, qualis volitio ſancta, qualis ſancta dilectio, quandoquidem actus eſt noſtræ voluntatis, abſque dubio noſtra quodammodo actio eſt. Sed hic actus duplex. Nanque Deus operatur in nobis velle & perficere. Velle, quod eſt aperire pulſanti, præbere cor poſtulanti, reſpondere vocanti, conſentire ſuadenti, pium eſt & ſanctum voluntatis propoſitum, quod miſericorditer in nobis format Deus: perficere, quod eſt currere ſeu operari, eſt adimplere opera iuſtitiæ. Ea facere dico, quæ propria ſunt & conſequentia diuini huiuſce propoſiti. Nanque ieiunare, precari, eleëmoſynas facere, vt oportet, eſt currere, eſt operari ſeu perficere. Sed præcipuum opus eſt diligere. Dilectio ſi-

Digitized by Google

quidem eſt conſummatio. Nihil autem horum, quod fiat vt oportet, ſolius eſt noſtræ voluntatis. Alioqui Deus non operaretur in nobis velle & operari. Vtrum autem hoc vtrouis in opere dominetur noſtra voluntas, vel in vtroque diuina: an diuina dominetur in vno, & in altero noſtra, quæſtio vna ſupereſt. Quod ſi noſtra voluntas dominetur in vtroque vel alterutro, confeſſa libertas eius eſt in quocunque dominetur. Sin dominatur diuina voluntas, num in vtroque dominetur vel alterutro abſque diſpendio noſtræ libertatis, ambigitur. Hi nodi duo nobis attingendi ſunt.

Quod autem obſeruatum eſſe velim, omnes cauſæ factæ ſuo quouis in opere Deo ſubalternæ ſunt & ſubjectæ per eſſentiam. Quare dominium noſtræ voluntatis non dicimus ſubalternantis titulo, ſed applicantis pro nutu & determinantis. Si nanque vt velle nobis adjacet, ita nobis adjacet bonum velle; vt in hoc, ſic in illo dominatur noſtra voluntas. Sed pium ſanctúmque velle nobis non adjacet. Alioqui non diceret Apoſtolus, nos non eſſe ſufficientes ex nobis cogitare. Quod longè minus eſt, quàm bonum velle. Sed & dominium comparatione dicimus hoc in negotio. Suæ nanque cuiuſuis operæ domina voluntas eſt, ſi modò conſulta ſit. Si tamen nobis non adjacet actio, cooperamur nos, non operamur. Deus enim eſt, qui operatur in nobis cogitare, velle & perficere pro bona voluntate. Sed cùm videmus, audimus & guſtamus, cooperatur Deus, non operatur. Quamobrem, ſaluo ſemper æterno ſupremóque dominio, in his dominamur, quæ nobis adjacent; in illis, quæ nobis non adjacent, non dominamur. Quæ nobis adjacent, in noſtra poteſtate ſunt; non ſunt, quæ nobis non adjacent.

ARTICVLVS TERTIVS

Quæ Pelagianorum, quæ Maſſilienſium, quæ Molinæ perſuaſio de gratia & prædeſtinatione?

PElagianis exterior inſtitutio diuina nobis ſatis eſt cum naturæ donis, ſatis exterior gratia: interioris nulla nobis neceſſitas eſt, fidei diuinæ nulla, nulla ſpei, lucis interioris diuinitus afflatæ nulla. Non ſolùm itaque victricem Dei gra-

tiam contendebant incompoſſibilem eſſe cum libertate, verumetiam addebant interioris gratiæ nullam eſſe neceſſitatem. Quod *de præueniente gratia* dictum ab illis accipiendum eſt. *Adiuuantem* enim ſeu *cooperantem* nobis *ſemper* adeſſe fatebantur. Saltem id apertè fatebatur Iulianus. Sed confeſſio Pelagij viſa non eſt ſatis expreſſa beato patri Auguſtino, quòd etſi poſt ſynodum Paleſtinam editis à ſe libris agnoſceret *adiutorium gratiæ diuinæ*, fateretur que *muniri nos auxilio gratiæ quotidiano*, ita tamen *aliquando poteſtatem volũtatis æqua lance perpendebat, vt aliquantulum etiam ad non peccandum eam valere ſtatueret*, diceretque ideo gratiam hominibus dari, *vt quod facere per liberum arbitrium iubentur*, faciliùs *implere poſſent per gratiam*. Quo ſatis innuere videbatur nos quæ facere iubemur, exequi poſſe per nos abſque gratia. Hæc autem hæreſeos pelagianæ præcipua capita ſunt.

Lib. 1. de grat. Chriſti c. 31.

B. Auguſt. epiſt. 106. & lib. de geſtis Pelag. c. 11.

Adamus neque bonus creatus eſt, neque malus, ſed innocens & penitus *indifferens ad vtrunuis. Seu peccaſſet Adamus, ſeu non peccaſſet, perinde moriturus erat. Is vnicum ſe ſuo peccato læſit, non læſit poſteros. Infantes eodem innocentiæ ſtatu naſcuntur, quo fuit Adamus ante præuaricationem. Etſi non peccaſſet Adamus, iiſdem planè naſceremur omnes affectibus naturæ, quibus naſcimur. Neque per mortem Adæ vel præuaricationem moritur genus humanum, neque per reſurrectionem Chriſti humanum genus omne reſurgit. Infantes qui moriuntur abſque baptiſmo, habent vitam æternam. Quia nanque moriuntur abſque peccato, non pereunt. Non tamen intrare poſſunt regnum Dei, quod intrare nemo poteſt niſi per baptiſmum, ſed æternæ quietis & felicitatis medium aliquem locum obtinent. Puriſſima fuit Chriſti caro ab omni contagione, non excellentia propria, non gratia ſingulari, ſed communione naturæ, quæ omnibus ineſt infantibus. Filius Dei dici non poteſt, niſi qui omnino ſit abſque peccato. Diuites baptizati, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputatur illis, nec habere poſſunt regnum Dei. Gratia Dei ſeu adiutorium non datur ad ſingulos actus, ſed eſt in libero arbitrio vel in lege atque doctrina. Lex ad regnum mittit, vt euangelium. Gratia Dei nobis datur ſecundum merita noſtra. Non eſt liberum arbitrium, ſi Dei eget auxilio. Habet vnuſquiſque ſua in voluntate propria facere aliquid vel non facere. Se Deum habere* dicebant

Digitized by Google

ex ſemetipſis, non ex Deo. Etſi *ſcientiam legis nobis eſſe* fatebantur *ex Deo, charitatem habere ſe* volebant *à ſeipſis. Victoria noſtra non eſt ex adiutorio Dei, ſed ex libero arbitrio. Venia non datur pœnitentibus ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia. Non electus vnus eſt prædeſtinatione, & alter origine perditus; ſed è nobis pendet electio noſtra, pendet è libero cuiuſque arbitrio perſeuerantia in bono.*

Quòd autem Iulianus adiuuantem Dei gratiam agnouerit in bono quouis opere, conſtat ex his eius verbis. *Hominem Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum inuitum aliquem* cogi, *ſed propria voluntate aut bonum facere aut malum. In bono verò opere à Dei gratia* ſemper adiuuari, *in malum verò* Diaboli ſuggeſtionibus *incitari.* Quibus ſic occurrit beatus Auguſtinus. *Ad hæc reſpondemus, homines eſſe opus Dei, inquantum homines ſunt, ſed ſub diabolo eſſe inquantum peccatores ſunt, niſi eruantur inde per eum, qui non ob aliud eſt inter Deum & homines mediator, niſi quia ex hominibus non potuit eſſe peccator: nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum inuitum aliquem cogi, ſed, Deo deſerente, pro meritis ire in malum, &, Deo adiuuante, ſine meritis conuerti ad bonum. Non enim eſt homo bonus ſi nolit, ſed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur vt velit, quoniam non inaniter ſcriptum eſt,* Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate, &, præparatur voluntas à domino.

1. ad Bonifac. c. 18. & 19.

Vos autem in bono opere ſic putatis adiuuari hominem gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipſum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari. Quod ſatis ipſa verba tua declarant. Cur enim non dixiſti hominem Dei gratia in bonum opus excitari, ſicut dixiſti in malum diaboli ſuggeſtionibus incitari? Sed dixiſti in bono opere à Dei gratia ſemper adiuuari, *tanquam ſua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggreſſus, in ipſo iam opere diuinitus adiuuetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita: ac ſic gratia iam non ſit gratia, ſed ſit illud quod Pelagius in iudicio paleſtino ficto corde damnauit, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. Dic mihi, obſecro, quid boni Paulus adhuc Saulus volebat, ac non potiùs magna mala, quando ſpirans cædem pergebat ad vaſtandos horrenda men-*

tis cæcitate ac furore chriſtianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona mirabili & repentina vocatione conuertit? Quid ego dicam, quibus meritis, cùm ipſe clamet, non ex operibus iuſtitiæ, quæ nos fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit? Quid illud quod iam commemoraui dixiſſe dominum, nemo poteſt venire ad me, quod intelligitur, credere in me, niſi ei datum fuerit à patre meo? Vtrum iam volenti credere pro meritis bonæ voluntatis hoc datur: an potiùs vt credat ipſa voluntas, ſicut Sauli deſuper excitatur, etianſi tam ſit auerſus à fide, vt credentes etiam perſequatur? Vt quid enim nobis dominus præcepit, vt oremus pro eis qui nos perſequuntur? Nunquid hoc oramus, vt eis pro bona eorum voluntate gratia Dei retribuatur, ac non potiùs, vt mala in bonum voluntas eorum mutetur? Sicut credimus tunc à ſanctis quos perſequebatur, non inaniter oratum eſſe pro Saulo, vt ad fidem quam vaſtabat, voluntas eius conuerteretur. Et illius quidem conuerſio deſuper facta manifeſto etiam miraculo apparuit. Quàm multi inimici Chriſti quotidie ſubitò Dei occulta gratia trahuntur ad Chriſtum? Quod verbum ſi non ex euangelio poſuiſſem, quanta de me propter hoc iſte dixiſſet, cùm etiam nunc obluctetur, non mihi, ſed illi qui clamat, nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum? Non enim ait, duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi iam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit, ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant.

Sed vt redeam ad inſtitutum, quòd pelagiani dicunt legem ad regnum mittere, vt euangelium, otioſum & vacuum obtendunt crucis myſterium. Si per legem iuſtitia, inquit Apoſtolus, Chriſtus gratis mortuus eſt. Quòd filium Dei negant dici poſſe, niſi qui omnino ſit abſque peccato, ij negant apoſtolos fuiſſe Dei filios. Si dixerimus, inquit beatus Ioannes, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, Deus fidelis eſt & iuſtus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Sed dilecto chriſti diſcipulo candidiores Pelagius, Celeſtius, Iulianus, qui ſe viuentes iuſtificatos haberent in conſpectu Dei. Iſte faſtus eſt hæreſiar-

Digitized by Google

charum omnium. Hos enim Satanas agit ſpiritu ſuo. Cæterùm *filius Dei* dici poteſt, cuicunque conceſſum eſt diuinitus ſic orare, *Pater noſter qui es in cælis, fiat voluntas tua, dimitte nobis debita noſtra, libera nos à malo, & ne nos inducas in tentationem.* Sed ad pelagianorum faſtum, qui vni ſuæ voluntati fidant, apta nequit eſſe hæc oratio. Quod attinet ad diuites qui regenerati ſunt in Chriſto, eos ſaluos fieri poſſe fateri Pelagium oportet, ſi modò tales illi ſe præbent, quales eſſe vult Apoſtolus. *Præcipe*, inquit, *diuitibus huius mundi non* ſuperbè *ſapere, neque ſperare* in incerto *diuitiarum, ſed* in Deo *viuo, qui præſtat omnia abundanter* ad fruendum, *diuites ſint* in operibus bonis, *facilè* tribuant, communicent, theſaurizent *ſibi fundamentum bonum in futurum, vt* apprehendant *veram vitam.*

Quòd Adamum *mortalem eſſe factum* dicunt, negántque mortem & *cæteras infirmitates omnes* in nos ab eius peccato deriuatas, ſcripturæ contradicunt dicenti, *per peccatum intrauit mors in mundum: per vnum hominem mors, & per vnum reſurrectio mortuorum: ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* Sic itaque Carthaginenſis ſynodus. *Placuit omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac ſancta ſynodo, vt quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt* ſiue peccaret, ſiue non peccaret, *moreretur in corpore; hoc eſt, de corpore exiret, non peccati* merito, *ſed* neceſſitate *naturæ, anathema ſit.*

Lib 1. de pecc. merit. c. 2.

Quòd dicunt infantes *eodem innocentiæ ſtatu* naſci, quò fuit Adamus *ante præuaricationem*, ſe veritatis inimicos profitentur. Immundi nanque naſcimur omnes *de immundo ſemine: ecce in iniquitatibus conceptus ſum*, inquit pſaltes, *& in peccatis concepit me mater mea: omnes in vno peccauerunt: ex vno omnes in condemnationem.* Sic eadem ſynodus. *Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vtero matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum omnes baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit, quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus*, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, *niſi quemadmodum Eccleſia catholica vbique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fi-*

Lib 1. de pecc merit. c. 18 lib. de grat. Chriſt. c. 32. & 33. epiſt. 105. ad Sixtum.

Digitized by Google

dei, etiam paruuli qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Lib. 1 de anima & eius orig. c. 9.

Non baptizatis nemo promittit inter damnationem regnumque cælorum, inquit beatus Auguſtinus, *quietis & felicitatis cuiuſlibet, atque vbilibet quaſi medium locum. Hoc enim eis hæreſis pelagiana promiſit.* Sic aduerſus Iulianum inſtat idem Auguſtinus, *Lege nobis, vbi præter regnum bonis & ſupplicium malis, tertium locum præparauerit & promiſerit non regeneratis innocentibus tuis? Vos reſpondete, qui ſitis, qui tot imagines Dei ſine vllius peccati merito ſeparatis à regno Dei, & facitis duas æternas felicitates, vnam quæ ſit in regno Dei, alteram quæ ſit extra regnum Dei? Dicite obſecro, in ea felicitate quæ extra regnum Dei erit, vllus-ne regnabit, an nullus? Si nullus, liberior erit procul dubio ſine vllo rege illa felicitas. Si verò vllus in ea regnabit, quis erit rex imaginum Dei, qui non erit Deus?*

Lib 1. oper. imperf. cōt. Iul. c 50. & lib. 2. c. 113

Lib. 5 cont Iul. c. 15.

Quod ad *carnem Chriſti ſeruatoris*, ſic idem Auguſtinus. Quid eſt, quod laboras magnis argumentationibus peruenire ad impietatis abruptum, vt *Chriſti caro, quia de Maria natus eſt, cuius virginis caro ſicut cæterorum omnium ex Adam fuerat propagata, nihil diſtet à carne peccati, & ſine vlla diſtinctione Apoſtolus dixiſſe credatur, eum fuiſſe miſſum in ſimilitudine carnis peccati*, imò potiùs inſtas, *vt nulla ſit caro peccati, ne hoc ſit & Chriſti?* Quid eſt ergo, *ſimilitudo carnis peccati*, ſi nulla eſt *caro peccati?* Sed *hanc apoſtolicam ſententiam me non intellexiſſe* dixiſti, nec eam tamen expoſuiſti, vt, te doctore, noſſemus, quòd aliqua res poſſit eſſe ſimilis ei rei quæ non eſt. Quod ſi dementis eſt dicere, & ſine dubio caro Chriſti non eſt *caro peccati*, ſed ſimilis *carni peccati*, quid reſtat vt intelligamus, niſi, ea excepta, omnem reliquam humanam *carnem* eſſe *peccati?* Et hinc apparet illam concupiſcentiam per quam Chriſtus concipi noluit, feciſſe in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus quanuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterùm corpus Chriſti inde dictum eſſe *in ſimilitudine carnis peccati*, quia omnis alia hominum *caro peccati* eſt, quiſquis negat; & carnem Chriſti ita carni comparat naſcentium hominum cæterorum, vt aſſerat vtranque eſſe puritatis æqualis, deteſtandus hæreticus inuenitur.

Quòd *gratiam Dei ſuis dandam eſſe meritis* contendunt Pelagiani,

Digitized by Google

giani, cæcos ſe præbent & inſanos, qui gratiam Dei gratis ſe reſpuere profiteantur, ſe gratis euangelium reſpuere. Liquet his è contextibus. *Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Non ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Nemo venit ad me, niſi datum ei fuerit à patre. Sine me nihil poteſtis facere. Nemo venit ad me, niſi quem traxerit pater meus. Quid habes, quod non accepiſti? Quid habes, quod te diſcernat? Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Neque volentis eſt, neque currentis, ſed Dei miſerentis. Cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat. Si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Gratia iuſtificati eſtis per fidem; & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Veni quærere & ſaluare, quod perierat. Inuentus ſum à non quærentibus me. Omne datum optimum deſcendit à patre luminum. Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.* Sed omnia conferre quæ faciant ad inſtitutum, infinitum eſſet & otioſum. Solùm addo expungendas eſſe & abolendas preces canonicas omnes & eccleſiaſticas, ſi valeret iſta phreneſis. His enim omnibus præuenientem gratiam vel adiuuantem vel vtranque nobis concedi poſtulamus, vel etiam alijs, quibus bene precemur.

Quòd denique *ſuam eſſe velint in bono perſeuerantiam* pelagiani, maioris adhuc cæcitatis argumentum eſt & inſaniæ. *Vos me non elegiſtis,* inquit ipſa veritas, *ſed ego elegi vos. Omnia cooperantur in bonum ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Suas ſortes poſitas eſſe in manibus Dei durum quidem eſt pelagianis & eorum abortionibus. Sed hac de ſanctorum electione queribundis os ſic occludit Apoſtolus. *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Quòd ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta ad interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, voluntati eius quis reſiſtit. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Scio,* inquit, beatus Auguſtinus, *neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſe-* Lib. 2. de don. perſeu. c. 17. & 19.

Digitized by Google

cundum ſcripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare poſſe. Ego autem nolo exaggerare meis verbis, ſed illis cogitandum potiùs relinquo, vt videant quale ſit, quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione prædeſtinationis audientibus plus deſperationis quàm exhortationis afferri. Hoc eſt enim dicere, tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere, cùm Propheta clamet, maledictus omnis qui ſpem ponit in homine.

Maſſilienſes, quos dicunt Semipelagianos, neceſſitatem gratiæ confeſſi ſunt. Sed en eorum de gratia & prædeſtinatione commentatio, quam ſuis ad beatum Auguſtinum epiſtolis ita referunt beatus Proſper & Hilarius arelatenſis. Naſcuntur *omnes in præuaricatione.* Adamo peccante, *peccauerunt omnes & perierunt.* Quæ natura priùs *integra* fuerat & *ſana, vitiata* remanſit & *proſtrata.* Nemo *ſibi ſufficere poteſt* ad vllum *opus incipiendum* vel *perficiendum.* Nemo *per opera ſua* ſaluari poteſt. Quicunque ſaluatur, is *regeneratione* ſaluatur *per Dei gratiam.* Cùm *proſtratis* & nunquam *ſuis viribus reſurrecturis,* fides annunciatur, ij *habent à ſeipſis, vt credere poßint,* indéque ſanari & *augmentum fidei* totiuſque ſanctitatis effectum conſequi. Quicunque *ad fidem* & ad baptiſmum *accedere volunt,* omnes autem velle poſſunt è ſeipſis, ſalui fieri poſſunt. *Neminem repellit Deus à vita,* ſed *indifferenter vniuerſos* ſaluos fieri vult: *vult omnes* omnino *homines ſaluos fieri. Æquales* ſunt *omnes* ante meritum. *Æqualium* non eſt electio. *Spirituſſanctus non datur* niſi credentibus. *Vocantis gratiæ propoſitum* in hoc conſiſtit, quod ſtatuerit Deus ſe neminem aſſumpturum niſi *per ſacramentum* regenerationis. Ad hoc vocantur *omnes* homines *vniuerſaliter,* ſiue per legem *naturalem,* ſiue per legem *ſcriptam,* ſiue per *prædicationem* euangelij, vt *qui voluerint,* fiant filij Dei. Nulla voluntas adeo *deprauata vel extincta,* quæ *non debeat,* quæ *non poßit* ſe velle ſaluari. Exigenda ab eo fides, *cuius naturæ conceſſum eſt,* vt credere poſſit. Cum dicitur, *crede, & ſaluus eris;* vnum *exigitur,* alterum *offertur,* vt propter id quod exigitur, *ſi redditum fuerit,* tribuatur id quod offertur. *Quantùm ad malum quiſque, tantùm habet facultatis ad bonum.* Se vel ad *vitia* vel ad *virtutes* quiſque mouere poteſt. *Bona appetentem gratia Dei fouet:* mala ſectantem damnatio iuſta ſuſcipit. Adiuuatur, qui *cœpit* velle; *non datur,* vt velit. Quòd

Digitized by Google

credimus, *noſtrum eſt; quod operamur*, Dei. Non eligit Deus opera *quæ daturus eſt*, ſed credentium *fidem* eligit. Ad hoc *tantùm* valet liberum arbitrium, vt *velit vel nolit* admittere medicinam. Quiſque noſtrum *ſolùm* differt ab Adamo, quòd illum, *integris viribus*, iuuaret *gratia volentem ſine qua* perſeuerare non poterat; nos, *amiſsis & perditis viribus*, credentes *non ſolùm erigat proſtratos*, verumetiam *ſuffulciat ambulantes*. Niſi fides integra exoritur è nobis, *ſaltem exoritur dolor compunctæ* infirmitatis. Dici non poteſt de fide, *quid habes, quod non accepiſti*, cùm in eadem natura, etſi vitiata, remanſerit. *Negari non poteſt gratia*, ſi modò *præceſſerit* voluntas. *Duo ſunt*, quæ ſalutem hominis operantur; *gratia* Dei, & hominis *obedientia*. Gratia *ſequitur* obedientiã. *Initium ſalutis* ex eo qui ſaluatur, *non ex eo qui ſaluat. Voluntas* hominis *opem gratiæ ſibi parit. Meritorum* hominis *comes eſt gratia*; eorum *præuia* non eſt. Humanam voluntatem *ſibi non ſubijcit* gratia. Quæ voluntates præuiam habent gratiam, *eam ſibi ſubdunt*. Ad conditionem hominis pertinet, vt *per diſcretionem boni & mali* ſuam voluntatem dirigere poſſit ad *cognitionem Dei & obedientiam*. Ad gratiam qua in Chriſto renaſcimur *per naturalem facultatem*, homo peruenire poteſt, vt quęrendo, petendo, pulſando *accipiat, inueniat, introeat*. Quòd *bono* naturæ *bene vtatur*, meretur ſaluantem gratiam *initialis gratiæ opera*. Remouetur *omnis induſtria*, tollitur *virtus omnis*, & *fatalis quædam neceſsitas* inducitur, ſi humanas voluntates *præuenit* electio. *Quicunque ſua in fide*, quæ deinceps per Dei gratiam iuuanda ſit, *manſuri ſunt*, hos præſciuit Deus & prædeſtinauit. Quòd ad paruulos, quorum alij *per regenerationem* inter cæleſtis regni aſſumantur *hæredes*; alij ſine baptiſmo inter *mortis perpetuæ* tranſeant debitores; tales aiunt perdi, taleſque ſaluari, *quales futuros illos in annis majoribus*, ſi ad actiuam ſeruarentur ætatem, ſcientia diuina præuiderit.

Num paribus velis, num plenioribus, num vento deſertis cæcum hoc tumidumque fretum ſollicitauerit Molina, his è naufragis eius tabulis liquidò conſtat. Tales illæ ſunt. Peccatum Adæ *ſolùm* nobis nocuit, quòd nobis *deſint gratuita Dei dona*. Cùm naſcimur, *perinde* nos habemus in cæteris ac *ſi naſceremur in puris naturalibus*. Vt per aliena *tantùm* merita,

Comm. in 1 p q. 14. a. 4. & 5. d. 1. m. vlt. a. 13. d. 18. m. 1. & 2. q. 23. a. 4. d. 1. m. 4. 5 6.

Concor. q. 14.a.13. d.7. 8.9.10.14.15. 18. 40.44. vlt. ferme cæteris omnibus.

Chriſti videlicet ſeruatoris, prædeſtinantur paruuli: ita propter aliena *tantùm* demerita, nempe propter peccatum primi parentis *voluntate* commiſſum, *non ſua*, reprobantur. Qui moriuntur abſque baptiſmo, ij *ſupernaturaliter liberantur ab omni vitio corporis & animi*, ſummáque beatitudine potiuntur *in perpetuas æternitates*. Adulti quicunque prædeſtinantur, ij prædeſtinantur *omnes è præuiſis meritis. Vult Deus omnes omnino homines ſaluos fieri. Cunctis* hominibus *adultis* dat perſeuerandi gratiam. Qui perſeuerare non vult, hoc *adiutus* auxilio *perſeuerare poteſt*: vt poteſt *non perſeuerare*, qui perſeuerat.

Ita verò de gratia ſtatuit. Poſſumus è nobis naturæ ſolius opera aſſentiri omnibus articulis fidei chriſtianæ; poſſumus, quæ nobis in Chriſto ſeruatore promiſſa ſunt, omnia ſperare; cæteras omnes, quæ ſunt chriſtianæ pietatis, actiones edere poſſumus. Sed neceſſaria nobis eſt effuſa deſuper præuia mentis illuſtratio, vt ſequatur liber & ſupernaturalis aſſenſus, quem edendum imperet voluntas intellectui; neceſſarium deſuper auxilium eadem in voluntate, vt aſſenſum hunc eliciendum imperet; vtque ſpes, attritio, contritio & dilectio, quæ naturales ſint, euadant ſupernaturales. Quod ita fieri docet. Cura & opera matris Eccleſiæ, cura & opera formatorum vitæ diſcere poſſumus quæcunque nobis credenda ſunt, ſperanda, præſtanda. Quæ cùm nobis videantur eſſe credibilia & talia, vt ijs afficiatur voluntas, tum eis aſſentimur eiuſdem voluntatis imperio. Vbi verò quis illis articulis ita credit naturæ ſolius opera, qualis eſſet educatus inter nos iuuenis verè non regeneratus, & cum quo Deus ſolo generali concurſu, quod pro nutu ſuo poteſt, huc-vſque coöperatus eſſet, quia facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, iam inſeret ille ſe conatibus iſtius iuuenis, & fidem eius naturalem diuino afflatu ſuo ſupernaturalem efficiet. Non quòd nouas eius in mente notiones exprimat, nouos inſcribat characteres, ſed quòd naturalem aſſenſum acuat, vrgeat, & aptum ad ſuperiorem ordinem efficiat.

Gratia præueniens liberas & ſupernaturales operas voluntatis pius aliquis eſt voluntatis affectus, qui diuinum eius propoſitum antecedat, diuinam & liberam eius operam. Hic

Digitized by Google

affectus exempli gratia, non eſt amor, non amandi propoſitum, ſed affectus amandi, è quo, ſi volumus, ſequitur amandi propoſitum, indéque ſequitur amor. Quæ cæterorum propoſitorum omnium, omnium operum, quæ ad fidem, ſpem & iuſtificationem attineant, ratio eſt. Hic autem affectus actus eſt noſtræ voluntatis, vt præueniens deſuper illuminatio mentis actus eſt, non Dei ſolius. Eo nanque voluntas afficitur. Alioqui falsò diceretur eius affectus. Sed pius hic affectus, inquit, voluntatis actus eſt naturaliter agentis, non liberè. Quòd enim præueniat nos, non cadit in conſilium. Quare non eſt voluntatis propoſitum, non opus conſequens ex eius propoſito, ſed antecedens propoſiti & alius omnis actus è propoſito conſequentis. Itaque non eſt velle, non eſt operari ſeu perficere, ſed actus ab hoc vtroque diſtinctus.

Ceterùm hic actus eſt gratia ſufficiens. Quæ gratia præſtò ſemper eſt omnibus adultis, & per adultos præſtò pariter omnibus infantibus. Sed actus iſte nuſquam habet à ſeipſo, vt ſit efficax. Alioqui nullum eſſet in nobis ex illo meritum, nullus libertatis vſus in exercendis actionibus meritoriis æternæ vitæ. Quæ Pelagianorum & Maſſilienſium olim intenta in Dei gratiam machina ab Auguſtino & aliis Eccleſiæ patribus attrita fuit & exuſta. Quo verò fato, Deus ſcit, veluti ſopitæ fuiſſent, non extinctæ, quæ eius ſcintillæ reſiduæ ſunt, ſuperiore ſæculo ab inferis reflatæ magnas ſecum & tempeſtates & vaſtitates inuexerunt in ouile magni Paſtoris. Vt verò nunc cæteros prætercam, negant Caluinus & Molina conſiſtere poſſe victricem Dei gratiam cum libertate, quòd hanc, quam ſitam eſſe velint in indifferentia, cum illa conciliare nequeant. Sed libertatem negat Caluinus, vt aſſerat victricem Dei gratiam. Molina verò negat victricem Dei gratiam, vt libertatem aſſerat. Nos autem vt prouidentiam & præſenſionem Dei, ita, quæ beati patris Auguſtini & diſcipulorum eius doctrina eſt, gratiam Dei victricem cum libertate noſtra conciliandam eſſe contendimus in omni bono opere. Quod autem Molinæ placitum eſt, noſtræ libertatis eſt vt calamo, ſic vti gratia vel non vti. Si hac vtimur, eam reddimus *efficacem:* ſin minùs, *caſſam* facimus & *inefficacem.* Habet enim ab effectu, habet è nutu noſtro, quòd ſit

Digitized by Google

efficax; ſua natura non habet, non habet à ſeipſa; à Deo non habet, habet ab homine.

Eodem authore Molina, planè reprobatur diuiſio gratiæ in ſufficientem & efficacem per ſe. Sola gratia ſufficiens admittitur: nulla prorſus quæ natura ſua ſit efficax. Sed gratia ſufficiens euadit efficax, ſi volumus. Semper enim pendet è nobis, quòd auxilia quibus præuenimur, *efficacia* aut *inefficacia caſſáque* reddantur. Si quæ gratia per ſe efficax nos præueniret, nos libertate noſtra non conſentiremus, ſed vnius Dei libertate, vt dextrorſum mouetur lapis vel ſiniſtrorſum noſtro nutu, non ſuo. Quam eandem ob cauſam Chriſtus dominus, ſic abyſſus abyſſum inuocat, vixit indifferens ante mortem, qui benè viueret & malè. Quandoquidem enim, extante gratia quæ natura ſua ſit efficax, non eſt in poteſtate noſtra non conſetire, ſolus remanet titulus libertatis abſque re; ſolum libertatis nomen, non re ipſa libertas. Quare *non video*, inquit, *qua ratione* ſalua fide catholica, *admitti poſſit gratia per ſe efficax*. Cùm enim actus bonos elicit liberum arbitrium opera gratiæ quæ per ſe ſit efficax, eos non poteſt non elicere; alioqui gratia non eſſet efficax. Sic ergo manifeſtè perit libertas arbitrij. Quare *periculoſa eſt hæc opinio* in fide, inquit, *ne manifeſtum errorem eam appellem*. Si demum habet voluntas ab efficacia auxilij, quòd conſentiat, cooperetur, perſeueret, id certè non pendet ab innata & propria libertate, ſed à qualitate auxilij. Quare nihil eſt, quod illi cedat in laudem & meritum. Quin *perit omnino libertas ad ſalutem*. Quod cùm ita ſit, *non dubitarem*, inquit, *appellare ſententiam hanc* errorem *in fide*.

Etſi verò nulla detur efficax è ſe gratia, verè tamen par non eſt & eadem in omnibus. Nanque *Deus pro ſuo beneplacito ſpirat vbi vult, alijs parciùs, alijs abundantiùs, ſufficienter omnibus ad ſalutem*. Quod authoris exemplum eſt, conuerſi fuiſſent Sidonij, ſi ad interiorem eorum gratiam addita fuiſſet exterior, quæ ceſſit in maiorem damnationem habitatoribus Corozain. Neque his vel illis eſt, vnde conquerantur. Non enim pacta merces eſt, ſed gratia. Ne cui tamen deſit gratiæ cumulus, ſi velit, vt voluntas pro nutu ſuo auxilia quæ natura ſua non ſunt efficacia, reddere poteſt *efficacia*, vel *caſſa* facere

Digitized by Google

& inefficacia: ſic eadem *intenſiùs* pro nutu ſuo eis cooperari poteſt vel *remiſſiùs*. Quod ſi ita eſt, vt à voluntate habet gratia vt ſit efficax, ſic ab eadem habet vt ſit efficacior. Metimur enim efficaciam cauſæ ex effectu.

Demum elicere poſſumus è nòbis, inquit, è nobis edere ſolis viribus noſtris actiones omnes quæ ad fidem, ſpem & iuſtificationem attinent. Exempli gratia, è nobis credere poſſumus omnibus articulis fidei chriſtianæ; ſperare quæcunque nobis in Chriſto ſeruatore promiſſa ſunt; Deum totis viribus diligere, atterere nos & conterere, cæteras chriſtianæ pietatis operas omnes edere. Quæ tum actiones etſi naturales ſunt, neque meritoriæ ſunt æternæ ſalutis & gratiæ, nihilominus tales illæ ſunt, quibus nuſquam deſit Deus, ſuccedente concurſu ſupernaturali ad naturalem. Deus nanque gratiam non denegat facienti quod in ſe eſt. Quocirca ſe ſemper immiſcet illis actionibus, eas acuit, vrget & è naturalibus ſupernaturales efficit. Quòd igitur nobis illæ promptæ ſint quatenus ſunt naturales, promptæ ſunt conſecutione certa pariter perpetuáque ſupernaturales. Sed quòd hæc abſurdiora ſint, quàm vt nobis fides adhibeatur, audiendus eſt author.

Inter leges de auxilijs & donis quæ nobis Chriſtus promeruit, vna eáque rationi maximè conſentanea *fuit, vt* quoties *ex noſtris viribus* naturalibus *conaremur facere quod in nobis eſt,* præſtò *nobis eſſent* auxilia gratiæ, *vt ea ratione, dum eſſemus in via*, ſemper in manu *liberi arbitrij noſtri* poſita *eſſet* ſalus noſtra. *Quare ſicut Deus ſemper præſtò eſt per concurſum generalem libero arbitrio vt naturaliter velit aut nolit, prout placuerit: ita* præſtò *illi eſt per auxilium* gratiæ *ſufficiens, vt* quoties *ex ſuis viribus* naturalibus *aggredi voluerit opus aliquod ex ijs* quæ ad iuſtificationem ſpectant, *illud exequatur*, prout ad ſalutem oportet. Incredibile *nanque videtur &* indignum *infinita Dei clementia aſſerere eum qui ita mundum dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret, ſic propter* multitudinem & grauitatem criminum *alicui, dum eſt in hac vita, clauſiſſe viſcera miſericordiæ, vt conſtitueret quicquid talis peccator* ex ſuis naturalibus *facere attentaret, nunquam ſe laturum opem vt à peccatis reſurgeret.*

Quod totum ædificium tribus hiſce columnis præſertim innititur. Nempe non ſtare per peccatum, quin bonas è no-

Digitized by Google

bis actiones edamus. Deum cuius clementia ſit infinita, non poſſe quod bonum ſit, deſpicere. Victricem denique gratiam incompoſſibilem eſſe cum libertate. Sed iuuari libertatem hac gratia, non euerti magno conflictu applauſúque euicerunt patres Eccleſiæ aduerſus pelagianos & ſemipelagianos. Quod idem eorum vſi copiis euincimus aduerſus Caluinum. Deum verò non tam eſſe miſericordem prædicamus quàm ipſammet à ſeipſa miſericordiam: ſed eum eſſe iuſtum æquè pariterque negare non poſſumus. Miſeretur autem ille, cuius vult. Eſaü non inuenit pœnitentiæ locum, non Antiochus, quamuis eam vterque cum lachrymis inquiſiuiſſet. Molinæ quidem aſſentior eos non inquiſiuiſſe bene. Sed quis bene velle poteſt, niſi præparetur voluntas à domino? Nemo ſanè. Quæ porrò ſceleribus debitæ pœnæ ſint, è nobis liquet, liquet ex angelis, è Chriſto ſeruatore liquet. Nulli penitus angelorum parcitum eſt. Sed neque proprio filio pepercit Deus. Quas autem vnius peccato ſua ab origine calamitates trahat orbis, recenſere, minimè neceſſum eſt.

Quòd ad bonas actiones è nobis, ludus eſſe poteſt ambiguitatis. Non enim quæritur, num bonum ſit eleëmoſynam facere. Sed quòd eam bene facere poſſimus & malè, malum autem è quouis defectu, dubio procul malum eſt eleëmoſynam malè facere. Quare Molinam oporteret euincere poſſe nos, quod verè bonum ſit, è nobis facere bene. Sed ecquibus hoc argumentis è chriſtiano chriſtianus euincere contendet? Quia verò tales eſſe vult illas actiones, vt illis nunquam deſit gratia, certè vult eis flecti diuinam miſericordiam. Alioqui non ſemper adeſſet illis infallibiliter, nec indignum eſſet diuina clementia illis non ſuccurrere. Sed ecqua fretus authoritate docebit nos *indignum eſſe diuina clementia* non exaudire peccatores, qui ſolis è ſe petant, cùm nemo petere poſſit vt oportet abſque gratia? Si dicis eos bene petere indulgeri ſibi à Deo, etſi non petant vt oportet, verbo ludere vis. Sed neque bene velle poſſumus abſque gratia. *Bona* nanque *voluntas præparatur à domino*. Quid ſibi, quid ſuis viribus conceſſum voluerint Maſſilienſes, iam non ago; ſed hoc illis quod vſurpet Molina, ſi conceſſum fuiſſet ab Auguſtino, Proſpero, Fulgentio cæteriſque patribus Eccleſiæ, meo iudicio,

dicio, nihil conqueſti fuiſſent. Imò vel ipſe Iulianus fortaſſis acquieuiſſet.

Sic auguratur ipſe Molina. *Nos,* inquit, *pro noſtra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem cum diuina gratia, præſcientia & prædeſtinatione, ijs è principijs deduximus, quæ ſi* data explanatáque ſemper fuiſſent, *fortè neque* pelagiana hæreſis *exorta fuiſſet, neque lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, neque ex Auguſtini* concertationibus cum pelagianis *tot fideles fuiſſent* turbati, ad pelagianoſque defeciſſent; *faciléque* reliquiæ *illæ pelagianorum in Gallia fuiſſent extinctæ. Neque verò* dubito *quin ab Auguſtino & cæteris patribus* vnanimi *conſenſu* comprobata *fuiſſet hæc noſtra de prædeſtinatione ſententia ratióque conciliandi libertatem cum diuina gratia, præſcientia & prædeſtinatione ſi eis* propoſita *fuiſſet*. Moderatiſſimè quidem & reuerentiſſimè. Sed vnum tibi ſupererat optandum. Paulum nanque ſi diſcipulum habuiſſes, dubio procul habuiſſes Auguſtinum. Sed ad tua myſteria, quæ vel mulierculis per ſe prompta ſint, non expauiſſet Paulus, non exclamaſſet, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm* incomprehenſibilia *iudicia eius &* ininueſtigabiles *viæ eius*. Sed quandoquidem, vt quotidie mater Eccleſia, ſic Auguſtinus Pauli diſcipulus, non Molinæ, cum Paulo vbique profitetur *incomprehenſibilia* myſteria gratiæ, & ininueſtigabilia, quàm ab eis aliena oportet & abhorrentia, quæ ſibi comprehenſa velit Molina, quæque nullis planè mulierculis non poſſint non eſſe prompta?

Verùm vt redeam ad inſtitutum, nihil bene, quod bonum ſit, è nobis facere poſſumus. *Noſtra quidem voluntas*, inquit ſanctus Bernardus, *per ſe corruere poteſt, ſed de malo in bonum per ſe* reſpirare *non poteſt. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo,* inquit cum Auguſtino ſynodus Arauſicana: *nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet, vt faciat homo. Da veniam Apoſtole,* inquit ſanctus Auguſtinus, *propria* tua *non noui, niſi mala. Da veniam Apoſtole, dicimus quia tu docuiſti: audio confitentem, non inuenio ingratum: prorſus* tua à te *tibi* parata, *non nouimus niſi mala. Nihil habet mundus,* inquit beatus Ioannes, *præter concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ*. Si tamen verus eſſet Molina, haberemus è nobis, quod diuinam miſericordiam flectere poſſet. Habere- Homil. 14. c 50.

Digitized by Google

mus igitur è nobis,quod nos diſcerneret:haberemus è nobis primas æternæ vitæ ſementes aliquas: ſufficientes eſſemus è nobis aliquid cogitare : è nobis ſufficientes eſſemus orare. Haberemus enim è nobis quotidiana bona cõtinuáque,quibus non poſſet ſe non inſerere Deus,*niſi quid indignum infinita ſua clementia faceret*. Nos fateor, velle poſſumus & operari bene.Sed bene ſi quid volumus,*præparatur voluntas à domino*.

Vt verò quæſtionem de confictis bonis operibus abſque gratia prætercam, ſi quis à ſeipſo per ſe commiſeratione dignus eſſet apud Deum, præſertim infans ſibi abſque baptiſmo derelictus. Adultus etenim nemo ante fidem, qui ſe pluribus, iiſque plerunque fœdiſſimis ſordibus non inquinarit. Sed talia ſi quæ haberemus è nobis opera,*quibus opem non ferre indignum eſſet infinita Dei clementia*, maſſilienſium hæreſim non damnaſſet ſynodus Arauſicana, quam ideo damnauit, quia ſolus Deus operatur in nobis bonum velle, velle fructuoſum, ne quis in ſeipſo glorietur. *Non* enim *qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Quid oremus ſicut oportet*, inquit Apoſtolus,*neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Et ne locus reſtet euaſionibus, *nemo habet de ſuo*, inquit eadem ſynodus, *niſi mendacium & peccatũ*.Quod è beato Auguſtino depromptum eſt, qui nihil in Apoſtolo, quod eius*proprium* eſſet, agnouit, niſi malum. Quam eandem doctrinam ſuam eſſe negat Auguſtinus, ſed ab eodem Apoſtolo repetitam, cuius inter alia ſunt hæc verba. *Si linguis hominum loquar & angelorum, ſi habuero prophetiam & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam, ſi habuero omnem fidem itaut montes transferam, ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, ſi tradidero corpus meum itaut ardeam,charitatem non habuero,factus ſum velut* æs ſonans *aut cymbalum* tinniens,nihil *ſum*,nihil *mihi* prodeſt. Quod ita non eſt intelligendum, quaſi nihil omnino boni facere poſſint homines abſque gratia, ſed quòd illud bene non faciamus, eatenus malum eſt.Bene porro nihil fit, quod in Chriſto mediatore propter Deum non fiat.Non tamen æs ſonans, non cymbalum tinniens eſt,non nihilum,non ſterile penitus & infructuoſum tibi, quod eſt tale, vt *indignum ſit diuina clementia* ei ſe non adiungere,vt è peccato reſurgas. Impoſſibile ſiquidem eſt Deum non facere,quod non feciſſe *ſua* videat

Digitized by Google

indignum clementia. Quamobrem noſtras è nobis operas quas Molina velit eſſe dignas commiſeratione diuina, oportet eſſe Deo probatas. Alioqui ſuam illis gratiam alligatam non haberet *infallibiliter.* Sed aliter Eccleſia mater. *Dirigat corda noſtra quæſumus, domine, tuæ miſerationis operatio, quia tibi ſine te placere non poſſumus. Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.*

Sed Deus, authore Molina, duobus modis afflat noſtris voluntatibus. Vel enim eas torpentes excitat, vel illis iam operantibus ſe immiſcet. Quæ mentis illuminandæ ratio. Vel enim mentem expergefacit, vel extantem naturalem eius fidem acuit. Sic Deum illuminare dicit mentes noſtras & noſtras voluntates afficere. Sed quid hic affectus, non apertè definit. Scribit quidem gratiam præuenientem inſtrumentum eſſe, quo Spiritusſanctus concurrit efficienter cum libero arbitrio ad actus credendi, ſperandi, diligendi & pœnitendi. Quod inſtrumentum ante conſenſum noſtrũ, inquit, ita gratia præueniens eſt, vt euadat cooperans, quoties ei conſentimus. Sed vtrum hoc inſtrumentum actionem eſſe velit, an actiuam qualitatem aliquam, neſcio. Sed inſtrumentum ſi dicit agendi principium, actio verè non eſt inſtrumentũ. Quare ſi gratia præueniens eius opinione verum inſtrumentum eſt, vera qualitas actiua, verè non eſt affectus, ſed affectus principium. Qualis in nobis indoles quæque natiua bona malave, qualis bona mala-ve aſſuetudo. Quòd ſi gratia præueniens eſt actio, certè non euadit cooperans quoties conſentimus, niſi deſinit in conſenſum. Quod ſi conceditur, dubio procul affectus ille conſenſus eſt incoatus.

Verùm *affectus* nomen admodum ambiguum eſt. Latinis enim idem eſt, quod Græcis πάθος, quod ἴδιον. Omnis etenim paſſio & proprietas omnis illis eſt affectus. Et cùm dicimus quenque iudicare prout affectus eſt, etiam indoles & aſſuetudo vitæ, vt paſſio, hoc eodem nomine comprehenditur. Sed vt præcidam cætera, & dicam quod res eſt, vel certè quod eſſe mihi videatur, res incoatas, affectas bene dicimus, bene negamus effectas. Sic incoata volitio non tam volitio nobis eſt, quàm affectus. Verè nihilominus volitio eſt, ſed incoata, non plena. Plena nanque volitio propoſitũ eſt. Ita volumus impedita voluntate, non expedita, quoties hæremus. Hære-

mus autem quandiu deliberamus. Vt cum deliberat imperator de committendo certamine, ægrotus de haurienda potione, magiſtratus de ferendo iudicio. Sic autem illi cæterique deliberant omnes, quod certæ ſint remoræ mentibus & voluntatibus noſtris affixæ. Scio quidem noſtris in ſcholis vſurpatas eſſe has locutiones, *affectus amoris, affectus odij, affectus volitionis, affectus nolitionis.* Sed hæ, *affectus amor, affectum odium, affecta volitio, affecta nolitio*, nullo egent interprete. Aptæ nanque ſunt & apertæ, omniſque vacuæ ambiguitatis. Bene quidem dicimus *affectum vindictæ, affectum lucri, affectum victoriæ.* Nam affectus vindictæ, vindictæ voluntas eſt, non vindicta. Sed affectus odij odium eſt, & affectus amoris amor. Cùm itaque ſcribit Molina in nobis excitari *motionem affectus amoris amicitiæ*, ſi dicere vult affectam amicitiam, amicitiam incoatam, admitto ſententiam, locutionem repudio.

Quod etiam illi aſſentior, quæ gratia nos iacentes & ſopitos excitat, ea quidem dici poteſt gratia præueniens. Sed vbi iam extat fides, vbi iam ſpes eſt, vbi iam eſt dilectio, vbi iam propoſitum eſt, vbi iam adſunt operæ; his, inquam, actibus excitandis, quos eſſe naturales Molina ſtatuit, cùm eis inſerit ſe Deus, minimè iam opus eſt affectu præuio, quem gratiam eſſe dicit præuenientem. Iam enim propoſitum eſt, iam fides, iam ſpes, iam timor, iam attritio, iam amor, iam contritio. Quorſum itaque præuius amoris affectus vel propoſiti, ſi propoſitum iam eſt, ſi iam eſt amor. Si tamen ſatis eſt Deum immiſcere ſe his actibus, certè gratia præueniens ſupernaturalium eiuſmodi actuum nulla penitus eſt. Imò nos, quod maſſilienſes volebant, Deum præuenimus.

Neque valet occurrere verè non mereri nos ante diuinum afflatum. Non enim aiebant illi ſe ſuis conatibus verè mereri. Sed neque, quod obſeruauerim, ſibi præſtò ſemper eſſe diuinos afflatus contendebant, vti Molina, neque in manu ſui arbitrij poſitam eſſe ſemper ſalutem ſuam. Dicas autem nos è nobis verè mereri vel non mereri verè, certè ſi dixeris Deum non modò facienti quod in ſe eſt, non denegare gratiam, ſed præſtò nobis eſſe ſemper, ſéque omnibus iſtiuſcemodi actibus infallibiliter inſerere, ſiue intenti ſunt, ſiue remiſſi, id eſt dicere Deum à nobis præueniri, neque vllam prorſus eſſe neceſſitatem gratiæ præuenientis. Sed vbi iam hæc actio natu-

Digitized by Google

ralis, immiſcente ſe Deo, euadit ſupernaturalis, vt pariter vnáque euadat meritoria, ecquæ noua conſultatio, ecquæ noua electio, ecquæ noua, quæ ſit è nobis, applicatio? Certè nulla nobis eſt. Præiuit, non nego, naturale conſilium, naturale propoſitũ, ſi iam opus dicis vtriuſque conſequens, cui ſe Deus inſerat. Sed hæc omnia cùm dicis, fundamenta dicis feſtucaria, pedes teſtaceos dicis, impoſitas dicis arenę machinas.

Deinde vt actus illos omnes è nobis, authore Molina, elicere poſſumus, ſic eos pro nutu próque viribus edere poſſumus maximè intentos. Nos enim & ieiuniis & fletibus & mœrore atterere poſſumus è nobis & conficere; noſtras opes omnes erogare poſſumus egenis; poſſumus magna ſpe duci, magnáque fide; timere poſſumus & odiſſe ſupra modum; ſupra modum amare poſſumus & concupiſcere. Liquet è noſtris affectibus rerum terrenarum feréque leuium. Tum itaque immiſcens ſe Deus noſtris affectibus, quos è nobis eſſe fingis erectos erga Deum & rectos, quid acuet? quid vrgebit? Actus remiſſos vrgebit, inquies, & è tepidis feruentes efficiet. Sed, inquam, hos è nobis intendere ſi poſſumus vel iam habemus intentos, nulla nobis opus cote, nullo ſtimulo vrgendis illis & acuendis. Imò, quod Molina velit, vt è nobis pendet efficacia gratiæ; ſic è nobis intenta cooperatio vel remiſſa. Sed ita nos è nobis ſi currimus, quorſum illud Chriſti ſeruatoris, quod in Iulianum Auguſtinus intorquet, *nemo* poteſt *venire ad me, niſi pater qui miſit me,* traxerit *eum? Non enim ait* duxerit, *vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur,* inquit, *ſi iam volebat?* Deinde ſi facientis quod in ſe eſt tantus eſt apud Deum reſpectus, cur ait Apoſtolus neſcire nos *quid oremus?* cur dicit nos *non eſſe ſufficientes è nobis tanquam è nobis* cogitare? cur docet otioſos eſſe omnes conatus noſtros, ſi certa nobis eſt in illis omnibus gratia? Non ſic ille, huic datur gratia, quòd per naturam ſperet, quòd faciat quod eſt in ſe; non illi, quòd non faciat quod eſt in ſe, quod per naturam non ſperet. Sed is ipſe, quem angelus Satanæ colaphizaret, ne magnitudine reuelationum extolleretur, docet nos *neque volentis* eſſe, *neque currentis, ſed Dei miſerentis;* nihil habere nos, quod nos diſcernat. Et cùm ad altitudinem horum myſteriorum expauiſſet, exclamat; *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm* incomprehenſibilia *ſunt iudicia*

Digitized by Google

eius, & ininueſtigabiles *viæ eius!*

Cæterùm pius affectus, de quo iam antea, non eſt cogitare, non eſt perficere. Quare ſi non eſt velle, ſed abs eo planè diuiſus eſt, certè quartus actus aliquis eſt & diſcretus à tribus illis. Sed illos tres refert Apoſtolus; quarti non meminit. Si tamen quartus aliquis actus eſt, qui ſit gratia præueniens, quandoquidem is prima radix eſt & cardo aperiendæ nobis ad ſalutem viæ, eccur rem non expleuit Apoſtolus? eccur non dixit Deum operari in nobis *affici, velle* & *perficere?* eccur non dixit, neque *affectorum* eſſe, neque *volentium*, neque *currentium?* Illum, opinor, ignorantiæ, vt Auguſtinum & cæteros patres Eccleſiæ, non inſimulabis. Sed quia rem poſſides vnus pleniſſimè, dices (aliis vtaris verbis vel iiſdem, parum refert,) vni tibi reſeruatam eſſe clauem aperiendi huiuſce ſigilli. Sed præuenientem in voluntate gratiam incoatum velle dixeris, non dixeris, certè tuus hic affectus & conſequens tuus ex eo conſenſus, vterque ita diuinæ voluntatis opus eſt & humanæ, vt in illo diuina, in hoc noſtra dominetur. Nanque gratia vocans, quod velis, per ſe ſufficiens eſt, non efficax; ſed talis, vt pro nutu eam approbemus vel reſpuamus. Si conſentimus, noſtrum eſt quòd ſit *efficax;* ſi renuimus, quòd *caſſa* ſit & *inefficax*. Sed conſenſus tibi finis eſt vocationis. Quare ſi verum dicis, dominamur in maiore, in minore Deus. Præuius etenim hic affectus exordium perfectionis eſt; conſentire, perfectio exordij. Neque refert ſi conſentire tibi non eſt perficere ſeu operari, ſed velle duntaxat ſeu propoſitum operandi. Vt enim operari finis eſt conſenſus, ita conſenſus vocationis. Deinde par in vtroque dominium affectas.

Cauſa cæterùm eſt, cur hæc nouitas pleriſque videatur intollerabilior opinione maſſilienſium. Verè quidem maſſilienſes abſolutè ſuum eſſe dicebant velle; ſed perficere, in quo velit Molina dominari nos, ad Deum abſolutè referebant. Nos autem oportet cum Apoſtolo ſentire, qui & cogitare & velle & operari ſeu perficere ſic attribuit Deo, vt in nullo ſibi primas attribuat, qui ſibi vel minimas vix attribuere videatur. *Quid habes*, inquit, *quod te diſcernat? Deus operatur in nobis velle & perficere. Viuo ego,* non iam ego, *viuit verò in me Chriſtus. Gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui;* non ego *autem, ſed gratia Dei,*

Digitized by Google

qua mecum eſt. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, *ij ſunt filij Dei. Si ſpiritu* ducemini, *non eſtis ſub lege. Dominus* dirigat *corda &* corpora *noſtra in charitate Dei & patientia Chriſti. Deus pacis qui de mortuis eduxit magnum paſtorem ouium in ſanguine teſtamenti æterni dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, aptet *vos in omni* bono, *vt faciatis eius voluntatem*, faciens in vobis, *quod ſibi placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum.* Sed planiſſimè Chriſtus dominus, *ſine me* nihil poteſtis *facere. Nemo venire* poteſt *ad me, niſi quem* traxerit *Pater meus.* Quia nihilominus repugnat Deum quicquam facere, quod ſit indignum ſua infinita clementia, ſi ſuas habet è ſe Molina bonas operas, quibus claudi non poſſint viſcera miſericordiæ; ſi ſuam habet & in ſe poſitam efficaciam gratiæ, ſi ſemper in manu liberi arbitrij ſui poſitam habet ſalutem ſuam; habet profectò, quod illum maximè diſcernat. Natiuam habet ſuæ ſalutis clauem vnam; alteram habet ſibi ſuiſque manibus concreditam, qua vtráque nutu ſuo, ſi credere fas eſt, quocunque tempore volet, admittat apud ſe diuinitatem, vel excludat. Habet quòd agat, quòd ducat, quòd aptet, quòd regnet, cùm tamen diuina inſtitutione formati precemur in nobis *regnare* diuinam voluntatem.

ARTICVLVS QVARTVS

Superiorum trium de gratia & prædeſtinatione perſuaſionum comparatio.

AVthoribus pelagianis, Adami *præuaricatio* nihil attinet *ad poſteros; vt ortus eſt innocens Adamus*, ſic *naſcitur innocens*, quiſquis naſcitur; mors *naturæ debitum* eſt, *non pœna peccati; morientes abſque baptiſmo* infantes *non regnant cum Chriſto*, neque ſunt *in pœnis*, mediũ *æternæ ſalutis* locum obtinent. Hoc vltimum apertè probatum eſt moliniſtis. Quid autem illi de tribus alijs capitibus reuera ſentiant, qui ſuis in puris naturalibus tanti ſunt, eorum è commentationibus æſtimandum alijs permitto. Sed de quatuor illis capitibus apertè diſſentiunt maſſilienſes à pelagianis. Gratiam *præuenientem* omnino negant pelagiani, non maſſilienſes, non etiam moliniſtæ, etſi his minimè neceſſaria videatur. Sed in eo planè conueniunt Pelagius & Molina cum maſſilienſibus, quòd gratiam *ſuis dominantem voluntatibus abſolutè reſpuant*, nullam ad-

Digitized by Google

mittant *ſuis voluntatibus non ſubditam*. Quare ſummam rei, rei deciſionem, ſuæ deciſionem ſalutis ſuo ſubmittunt arbitrio. De ijs qui dicendi ſunt *filij Dei*, déque diuitibus baptizatis *qui ſuis opibus non abrenuncient*, apertè diſſentiunt à pelagianis moliniſtæ. Carnem omnis infantis *carni Chriſti ſeruatoris æquandam* non dixerunt maſſilienſes. Quid ea de re Molinæ viſum ſit, ſuo loco referetur. Quod Molinæ placet, Chriſtum dominum *ante mortem* indifferentem fuiſſe, *qui bene viueret & malè*, neque pelagianis, neque maſſilienſibus placuiſſe reperio.

Sed, miſſis quæ reſtant, ſordibus pelagianis, maſſilienſibus & moliniſtis maxima conſenſio eſt *de prædeſtinatione & perſeuerantia*; maxima *de auxilijs*, quæ *noſtris voluntatibus ſubjecta* velint. Hoc vnum diſcrimen eſt, quòd & velle & perficere noſtris voluntatibus ſubijciant moliniſtæ: maſſilienſes *ſuum* eſſe dicerent velle; operari verò ſeu perficere, *totum* Deo tribuebant. Placebat maſſilienſibus *primæ poteſtatis* in Adamo reſtare *nonnihil* in nobis, ideóque *poſſe nos* è nobis conſequi *cognitionem Dei & mandatorum* eius; poſſe nos *obedire, credere, velle ſalutem, ſanari velle*; petere, quærere, pulſare; abſolutè nos, quod hæc complectitur omnia, *eligere* poſſe. Volebant naſci nos omnes *in præuaricatione*; nos omnes, *Adamo* peccante, *peccauiſſe & periſſe*, factámque naturam *è ſana & integra*, amiſſis & perditis viribus, *vitiatam & proſtratam*, non ita tamen deprauatam eſſe & *extinctam*, vt *non debeat* vel *poßit* ſe *velle* ſanari. Placet moliniſtis peccatum Adæ *ſolùm* nobis nocuiſſe, quòd *nobis deſint gratuita Dei dona*; cúmq; naſcimur *perinde* habere nos *in cæteris ac ſi naſceremur in puris naturalibus*. Placet moriẽtes abſque baptiſmo paruulos *ſupernaturaliter* liberãdos *ab omni vitio corporis & animi*, ſummáq; beatitudine *potituros* in perpetuas æternitates. Placet nos *ſolis viribus noſtris* non modò velle, nõ modò credere, ſed poſſe nos *actiones prorſus omnes*, quæ ſpectent ad *fidem, ſpem & iuſtificationem*, è nobis edere: *poſſe nos* è nobis credere *omnibus articulis fidei*; ſperare *quæcunque* nobis *in Chriſto promiſſa* ſunt; Deum diligere *ſuper omnia*, vtque verbo cõplectar, elicere *cuncta* chriſtianæ *pietatis officia*. Quæ nõ videntur dixiſſe maſſilienſes. Certè ſi dixiſſent poſſe nos è nobis diligere Deum ſuper omnia, quod maximum opus eſt & ſingulare, id non præteriſſent Proſper & Hilarius.

Scio

Digitized by Google

Scio quidem Molinam dicere nos è nobis ita petere poſſe, vt petere *nequeamus* ſicut oportet. Sed neque ſuum velle tale voluerunt è nobis eſſe maſſilienſes. Dicebant enim *neminem ſibi ſufficere poſſe* ad vllum opus *incipiendum* vel *perficiendum*. Sed, quod Molinæ placet, *omnibus* illis *actionibus* noſtris *ſemper immiſcet* ſe Deus & eas *è naturalibus ſupernaturales* efficit, quia *facienti quod in ſe eſt, non denegat gratiam*. Quæ non videtur alia fuiſſe doctrina maſſilienſium. Suo nanque *velle* ſolo ſeu credere, quod illis eſt *eligere*, ſe mereri volunt. Meritorum autem hominis, inquiunt, *comes* eſt gratia: quòd *bono naturæ* bene quis vtatur, meretur, inquiunt, *ſaluantem* gratiam *initialis* gratiæ opera. Sic adiuuatur qui *cœpit* velle, etſi *non datur*, vt velit. Non itaque negabant cooperari Deum illo in velle ſuo, ſed in eo nos à Deo determinari negabant, ne nobis excideret libertas, ne meritum excideret.

Sed ne quid intactum abire ſinam, gratiam præuenientem cùm negabant maſſilienſes, nō negabant gratiam ſine qua non, quam *in Adamo neceſſariam fuiſſe* dicebant, ſed eam negabant præuenientem gratiam, quæ nos ita præueniret, vt *operaretur velle, operaretur eligere*. Hanc enim cum libertate & merito incompoſſibilem eſſe contendebant. Suæ verò poſſibilitatis eſſe dicebant, ſuæ dicebant eſſe poteſtatis gratiam ſine qua non, quòd vt voluntati primorum parentum, ita ſuæ pro modulo ſubeſſet. Nam etſi faterentur vitiatam eſſe hanc in nobis poſſibilitatem, *quæ humana voluntas eſt habens gratiam ſibi ſubditam*, extinctam nihilominus eam eſſe negabant. Vt enim *Adamum, integris viribus voluntatis, iuuabat gratia volentem; ita nos,* inquiebant, *amiſſis viribus & perditis, proſtratos erigit & ſuffulſit ambulantes.* Sic autem credentes & volentes dicebant ſe mereri *ſaluātem gratiam initialis gratiæ opera*; ſeu, quod idem eſt, ſe *gratiam propoſiti*, ſe *medicinam*, ſe *augmentum fidei* & *totius ſanctitatis* effectum *electione ſua* mereri. Quocirca ſuæ voluntati & gratiæ ſine qua non tribuebant maſſilienſes quod ſoli naturæ tribuit Molina, cùm ſcribit bonis actionibus noſtris, quas nulla præuenerit gratia, quæque ſint purè naturales, ſemper inſerere ſe & immiſcere Spiritumſanctū. Qui purus putus eſt pelagianiſmus. Adiuuantem etenim gratiā admittit Iulianus.

Quod ad illud *vt oportet*, non videtur eorum aliam fuiſſe mentem quàm Molinæ, niſi forſan quòd huic pulſanti *ſemper* aperiatur. Non enim ita confidenter maſſilienſes ſuis petitionibus *flecti ſemper* & annuere Deum aſſerere videntur. Quicquid id eſt, ſibi

Digitized by Google

quærentibus,pulſantibus, lachrymantibus ſubuenire Deum *miſericorditer* contendebant:ſed adiuuantem gratiam & ſaluantem *titulo iuſtitiæ* ſibi debitam eſſe nõ dicebant. Molina verò non modò ſcribit *facienti quod eſt in ſe per naturam* Deum non denegare gratiam, non modò *ſemper inſerere ſe* bonis *actionibus* noſtris *naturalibus*, ſed incredibile & *indignum* infinita Dei *clementia* dicit *ſuis è naturalibus ſaluari* cupientes à Deo deſeri, *quæcunque* ſit in eis *grauitas & multitudo* ſcelerum. Sed, eius pace, petit *vt oportet*, qui dignus eſt vt exaudiatur: dignus autem eſt, vt exaudiatur, quem *indignum* eſt non exaudiri. Nihil porrò Deus admittere poteſt, quod ſit indignum ſua vel iuſtitia vel clementia. Quapropter *naturalem* illam petitionem *aptam* eſſe ſemper oportet *flectendæ* diuinę *miſericordiæ*. Alioqui non diceret orator vt oportet, qui ſemper ſuaderet: non qualia ſit opus remedia adhiberet medicus, qui curaret ſemper: ſe talem nõ haberet mercator, qualem oportet, qui iuſtè lucrum ſemper faceret: non coleret agros vt oportet agricola, cui nuſquam deeſſet vbertas fructuum.

Quod maſſilienſibus & moliniſtis æquè placet, *neminem repellit Deus a vita*, ſed *indifferenter* vniuerſos ſaluos fieri vult: vult omnes *omnino* homines ſaluos fieri. Ad hoc vocantur omnes *vniuerſaliter*, ſiue per legem *naturalem*, ſiue per legem *ſcriptam*, ſiue per *prædicationem* euangelij, vt *qui voluerint*, fiant filij Dei. Nulla voluntas adeo *deprauata vel extincta*, quæ *non poſſit* ſe velle ſaluari. Molina quidem admittit gratiam *præuenientem*. Sed fateatur oportet hanc vel non adeſſe *ſemper*, vel certè non eſſe *neceſſariam*. Contendit enim *adiuuantem* non deeſſe facienti *per naturam*, quod in ſe eſt; non deeſſe bonis *actionibus* noſtris *naturalibus*. Quicquid ſit, neque præuenientem gratiam negauerunt maſſilienſes, ſed eam, quoties adeſſet, *ſuis voluntatibus ſubditam* eſſe voluerunt. Quod idem eſt Molinæ placitum. Imò, quod iam obſeruatum eſt, ſeu *velle*, ſeu *perficere* operetur Deus in nobis, ſuam in vtroque volũtatem *regnare* vult Molina, cùm è contrario maſſilienſes ſuam regnare velint in *ſolo velle*. Inſpirationem diuinam vult Molina. Sed neque hanc negarunt maſſilienſes. Sic inter illos nobilis athleta Gennadius. *Manet*, inquit, *ad quærendam ſalutem arbitrij libertas; id eſt, rationalis voluntas; ſed admonente* priùs *Deo &* inuitante *ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt,* inſpiratione *Dei. Vt autem conſequatur quod elegit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit,* Dei eſſe, *liberè con-*

De dogm. Eccleſiaſt. c.21.

Digitized by Google

fitemur. Initium ergò ſalutis noſtræ, Deo miſerente, *habemus: vt acquieſcamus ſalutiferæ* inſpirationi, noſtræ poteſtatis *eſt: vt adipiſcamur quod acquieſcendo admonitione cupimus*, diuini eſt muneris: *vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſollicitudinis* noſtræ *eſt, celeſtis* pariter *adiutorij: vt labamur*, poteſtatis noſtræ *eſt & ignauiæ.*

De morientibus paruulis, ſentiebant maſſilienſes eos quos præſciuiſſet Deus ab æterno *ſua libertate ſuiſque beneficijs bene vſuros*, ſi vixiſſent, prædeſtinaſſe, eoſque *per ſacramentum regenerationis* aſſumere: cæteros, quos *ſua libertate ſuiſque beneficijs* præſenſerit *abuſuros*, reprobaſſe & *excluſiſſe* ab illa ianua ſalutis. Hoc quidem repudiatur à Molina; meo certè iudicio, quòd inde pateat, ſuum quod iactitet inuentum, inuectam audiat à maſſilienſibus ſcientiam mediam. Sed Molina, quod dicitur, euitata Charybdi, incidit in Scyllam. Sic enim ſtatuit de prædeſtinatione & reprobatione paruulorum, vt *ſummam rei* refferat *ad cæcum cæcæ fortunæ caſum*. Adeo ſe præbet ignarum fortunæ, quam vel gentiles philoſophi aliam eſſe nullam agnouerunt præter Dei prouidentiam, qua dirigantur cunctæ res factæ ad fines ſibi conſtitutos. Deinde quas habet ille fabulas de beatitudine morientium abſque baptiſmo paruulorum, hæ maſſilienſibus inauditæ videntur. Sed & maſſilienſium & moliniſtarum de paruulis ſententiam pleniſſimè refutauit beatus pater Auguſtinus.

Sed miſſis omnibus *naturæ bonis operibus*, quibus *infallibiliter*, authore Molina, *inſerit ſe* Spirituſſanctus, de velle maſſilienſium ita ſanctus Proſper. *Se adiuuari dicebant*, inquit, *quòd vellent, non ſe velle, quòd adiuuarentur. Quæ pelagianæ prauitatis virulenta fibra: illam verbis abiurabant, cuius intima viſcera ſenſu viperino fouebant.* Et quidem ſuæ ſalutis exordium ſeipſos habebant, non Deum. primam in ſe vim, non in vite, non in capite, non in radice. Velle quidem adjacere ſibi ſcribit Apoſtolus. Sed nihil ad rem. Si nanque de ſe vno loquitur, non de nobis, perficere dicit ſuperiorem conſilij gradum & beneplaciti, non inferiorem. Cupiebat enim liberari, diſſolui cupiebat, & eſſe cum Chriſto. Quæ plena conſummatáque libertas ſanctos ab omni captiuitate vindicat. Sed illis expectanda dies quam dominus conſtituit. Sin omnibus de nobis placet eſſe dictum illud velle, de velle ſterili & infructuoſo dictum eſt, non de bono ſanctóque velle. Alioqui ſibi contradiceret Apoſtolus. Scribit enim operari Deum in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

Digitized by Google

Quod autem liquet, ex iis quæ retulimus, ſic in pluribus conueniunt maſſilienſes & moliniſtæ, vt in pleriſq; diſcrepent. Et certè nollem ego (etſi me ſuſpenſum habet, quod auſus eſt inſinuare Molina, vel potiùs ſcribere, cum Auguſtino conuenturos non ſolùm maſſilienſes, verumetiam pelagianos, ſi quas cũ illis concertationes habuit de gratia & libero arbitrio, ad ſuas aptæ fuiſſent) aſſerere maſſilienſium & moliniſtarum eandem eſſe de gratia & libero arbitrio cõmentationem. Nanque maſſilienſium hæreſis, quod indubitatum eſt, fulminibus Arauſicanis olim exuſta tota fuit & ſuis conſepulta cineribus. Eandem, quam, elapſis aliquot ſæculis, ab inferis reuocare tẽtaſſet Hincmarus, attriuit ſynodus Valentina, attriuit eccleſia Lugdunenſis, ſuũ retruſit in antrum ſumma totius Eccleſiæ conſenſio. Cætera vt præcidam, ſic Arauſicana ſynodus. *Si quis inuocatione* humana *gratiam Dei dicit* poſſe *conferri, non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti:* inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant.

Articvlvs qvintvs

De gratia ſufficiente & efficaci vulgatæ in ſcholis theologorũ ſententiæ.

Vna non eſt & eadem de gratia vocante ſententia doctoribus orthodoxis. Hi tres actus, *cogitare, velle* & *operari* probantur apud omnes. Expreſſus nanque ſacer contextus eſt. Conſtat item inter omnes *cogitare,* de quo Apoſtolus, cùm ſcribit nos non eſſe ſufficientes è nobis cogitare tanquã è nobis, gratiam eſſe vocantem, propriã intellectus & nobis planè neceſſariã. Ignoti nanque nulla voluntas. Sed non deſunt, qui pios affectus velint in voluntate antequam Deus in ea operetur *velle*, quod *velle* conſenſum eſſe dicunt, dicunt eſſe propoſitum. Sed cauenda nominum ambiguitas. Si enim hic affectus illis eſt incoata voluntas, incoata volitio, incoatus conſenſus, quem diximus affectum conſenſum, affectam volitionem, voluntatem affectam, ſententia nobis maximè probatur. Extraordinarias nanque vocationes ſi demimus, ita ſenſim Deus in nobis ſua dona promouet.

Sunt quibus *velle* ſit gratia vocans propria voluntatis; & *operari* ſeu *perficere,* conſenſus. Sed hi meo iudicio velle malè dirimunt à conſenſu, & conſenſum cum eo quod eſt operari, malè confundunt. Verba ſunt Apoſtoli. Ὁ Θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν. *Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & operari.* Quòd autem operari, quod conſequens eſt volitionis, ſit officij conſum-

Digitized by Google

matio, bene redditur *perficere*. Hæc enim tria præſertim operatur Deus in nobis, cogitare, velle & operari. Cogitatio eſt vocatio, volitio eſt conſenſus, operatio eſt conſummatio. Quod autem velle ſit conſentire, & operari perficere, docent infiniti contextus beati patris Auguſtini & diſcipulorum eius. Et certè velle piè ſanctéque eſt Deo vocanti conſentire; & conſentire Deo vocanti, eſt ſanctè piéque velle. Velle nanque quæ velit Deus, neque conſentire Deo; vel Deo conſentire, neque velle quæ velit, impoſſibile. Velle igitur & conſentire, vt operari & perficere hoc in negotio, dictiones ſunt vniuocæ. Neque nos conſenſum requirimus alio ſignificantiore vocabulo vel declaramus. Sic mater Eccleſia, *vis* baptiſari; *volo*. Sic inſtanti leproſo; domine, *ſi vis*, potes me mundare, Chriſtus dominus, *volo*, qui conſenſus eſt; *mundare*, quod eſt opus.

Cæteris, quæ videatur eſſe doctrina beati patris Auguſtini & diſcipulorum eius, cogitare eſt gratia vocans: velle, conſenſus eſt voluntatis ſeu propoſitum: operari ſeu perficere, eſt adimplere quod à nobis exigitur, quod præſtandum nobis eſt, quod nobis faciendū eſſe proponimus. *Hoc totum opus eſt liberi arbitrij*, inquit S Bernardus, *hoc ſolum eius meritum, quòd conſentit. Non quidem quòd ipſe conſenſus, in quo omne meritum conſiſtit*, ab ipſo ſit, *cùm nec cogitare, quod minus eſt quàm conſentire, aliquid à nobis quaſi ex nobis ſufficientes ſimus. Verba ſunt, non mea, ſed Apoſtoli, qui omne, quod bonum eſſe poteſt, id & cogitare & velle & perficere pro bona voluntate attribuit Deo*, non ſuo *arbitrio. Sic ergo Deus tria hæc; hoc eſt, bonum cogitare, velle, & perficere operatur in nobis: primum profectò* ſine nobis; *ſecundum nobiſcum; tertium* per nos *facit*. Scilicet, abſque nobis operatur in nobis cogitare, quòd nos vocet abſque noſtræ voluntatis opera. Sed nobiſcū operatur velle. Nobis etenim volentibus, conſentiētibus nobis, illud operatur. Denique per nos, quod eſt noſtrū per conſenſum, adimplet in nobis opera iuſtitiæ. Oper. de grat. & lib. arb.

Iam verò pleriſque theologis, quæ videatur eſſe doctrina eiuſdem beati patris Auguſtini & diſcipulorum eius, primis parentibus, vt angelis, data ſuo in ſtatu primo gratia, quæ ſatis eſſet pro conditione ſtatus, quæque voluntates eorum reliquerit æquilibres. Sed ex quo cum illis corruimus omnes, factique ſumus ſerui libidinum & Satanæ, tot in nos egeſtates inciderunt & infirmitates, tot nos funes impediuerunt, ſic verſæ ſunt in nos noſtræ voluntates, & ſui ſuæque ſedis amantes factæ, vt nobis vberiore

Digitized by Google

gratia ſit opus, nobis opus victrice gratia, quæ pronas in ſe voluntates, inque terram curuas, diruptis vinculis, per contemptum ſui ſuas trahat ad origines reuehatque.

Non pauci ſunt, quibus gratia vocans ſufficiens eſt vel efficax. Huic ſemper aſſentimur, non illi. Quamobrem efficax è ſe gratia victrix in nobis eſt; non verò, quæ ſufficiens eſt duntaxat. Quòd autem illa victrix, non hæc, Dei donum eſt, inquiunt, non opus noſtræ voluntatis, etſi liber eſt eiuſdem noſtræ voluntatis conſenſus. Sed hi, ſaltem vt plurimùm, gratiæ efficacis nomine eam ſolùm comprehendunt, ad cuius conſenſum ſequitur infuſio gratiæ ſanctificantis: illi verò gratiam efficacem abſolutè dicunt, ad cuius auditum ſequitur conſenſus, ſiue ſanctorum eſt iſte conſenſus, ſeu peccatorum; ſiue conſequens eſt ſanctificatio, ſeu quæuis ad eam ſancta diſpoſitio: conueniunt autem inter ſe, quòd gratia victrix non detur omnibus.

Sed eorum quibus probatur gratia ſufficiens, alij volunt eam abſolutè dari cunctis hominibus: alij nolunt. Deinde gratiam hanc qui probant cum efficace, hi vulgò docent eius nullum vſquam effectum eſſe. Pauci tamen eam volunt aliquando fieri efficacem, non quòd talis illa ſit per ſe, ſed quòd bonæ voluntatis vſu (extabit etiam ante triduum fortè, qui gratiam efficacem malo voluntatis vſu nõnunquam caſſam effici ſomniet & inefficacem) talis euadat. Non vſu voluntatis per ſe bonæ dicunt, ſed adiutæ gratia. Quod ſi ſic eueniret, tum haberemus, quod diſcerneret nos; tum primas in meliore teneremus, Deus ſecundas. Quod autem nos docet ipſa veritas, *dominus cuſtodit nos ab omni malo* (cuſtodit enim ille nos, à quocunque cuſtodimur,) *dominus protectio noſtra ſuper manum dexteram noſtram.*

Eam certè gratiam quæ ſufficiens eſſet, non efficax, in primis parentibus & angelis docuit nos gratiæ doctor Auguſtinus. Sed eius cuius efficacia ſpectanda ſit è nobis, ex quo factus eſt epiſcopus, atque res illi fuit cum pelagianis & maſſilienſibus, meminiſſe nuſquam mihi videtur. *Multos venire videmus ad filium,* inquit, *quia multos credere videmus in Chriſtum; ſed vbi & quomodo à patre audierint hoc & didicerint, non videmus. Nimirum gratia iſta ſecreta. Gratiam verò eſſe quis ambigit? Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo pater intus auditur, & docet, vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, &*

Lib. de præ-deſt. ſanct. c. 8.

Digitized by Google

dat cor carneum. Non enim fruſtra ſcriptum eſt, & erunt omnes docibiles *Dei;* omnis *qui audiuit à patre &* didicit, *venit ad me.* Hæc apud ſanctum Auguſtinum gratia victrix *potentiſſima, efficaciſſima, omnipotentiſſima,* quæ voluntates noſtras *indeclinabiliter, inſuperabiliter,* & *inuictiſſimè* moueat. Sed eccur huic datur, non illi? *ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm* incomprehenſibilia *ſunt iudicia eius &* ininueſtigabiles *viæ eius!*

ARTICVLVS SEXTVS.

Opinio Caluini de libertate.

SCRIBIT Caluinus primos parentes noſtros ſumma libertate potitos eſſe, vbi primùm conditi ſunt, eiſque plenam eſſe factam mortis & vitæ, benedictionis & maledictionis optionem; ſed eorum grauiſſimo ſcelere extinctam penitus & ademptam illis libertatem & nobis omnibus. Non quòd mentem nobis aut voluntatem exſectam velit, ſed extinctum omnino vult liberum arbitrium, iniecta has in vires noſtras quouis in earũ opere catena neceſſitatis. Quod totum duobus è principiis euicturum ſe confidit. Eorum vnum eſt libertatem in electione poſitam eſſe: alterũ nullam eſſe in nobis electionem vllo penitus in opere. Anima, quod Cap. 15. ipſe docet ſuæ inſtitutionis opere primo, primis in parentibus noſtris duabus viribus inſtructa fuit, ijſque liberrimis, mente ſcilicet & voluntate. Dux ſiue directrix erat mens, qua bonum à malo, iuſtum ab iniuſto, diſcernerent; quid ſequendum, viderent, quid-ve fugiendũ. Sequax erat voluntas, quæ dirigeret appetitus omnes, omneſq; motus organicos temperaret. Sed hæc, penes quam eſſet electio, velut in lubrico poſita, vtranuis in partem æquè flexibilis. Hac autem in integritate, inquit, libero arbitrio pollebat homo, quo potuiſſet adipiſci vitam æternam, ſi voluiſſet. Suæ eiuſdem Cap. 2. inſtitutionis opere ſecundo ſcribit arbitrium eſſe referendum ad rationem, cuius eſt diſcernere inter bona & mala: & liberum ad voluntatem, quæ ad vtrunque flecti poſſit.

Deinde propoſitis ſanctorum, Auguſtini, Bernardi, Anſelmi definitionibus, aliam è ſancto Thoma velut aptam magis inſtituto ſuo refert: videlicet, liberum arbitrium vim electiuam eſſe, quæ mixta ſit ex intelligentia & appetitu, atque magis ad appetitum inclinet. Hanc demum, quam eandem ex Origene retulerit, ſuæ fabricandæ totius inſtitutionis incudem his verbis aſſerit, nulla vſus ratione, nulla, quam flocci faceret, vſus authoritate. *Quotus, quæſo, quiſque eſt,* inquit, *qui dum aſſignari homini* liberũ arbitrium

Digitized by Google

audiat, non ſtatim concipit illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in vtranuis partem è ſeipſo poſſit? Sed, inquam ego, quotus quiſque his è ſolis duobus vocabulis conciperet hanc libertatis particulam, ſi nullum eius haberet experimentum, argumentũ omnino nullum? Obmuteſcere Caluinum oportet. Certis etenim experimentis nobis nos eſſe liberos liquet, nõ nudis è vocabulis. Quicquid id eſt, ſpreta hac definitione, liberũ arbitrium eſt *facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur aſſiſtente gratia, malum ea deſiſtente*, quam ab Auguſtino repetitam eſſe dicit, & quam Petro Lombardo cæteriſque ſcholaſticis vſurpatam magis eſſe prædicet, quòd & apertior ſit, & gratiam Dei non excludat, ſuam ad vtrunuis indifferentiam, quam arbitratus ſit aptiorem ſuis illuſionibus, vſurpat, vt concludat, ſi poſſit, nihil nobis reliquum eſſe libertatis.

Addit appellationem hanc *liberum arbitrium*, cauendam eſſe, quòd in exitialem errorem inducat. Et quanuis fateatur amoueri poſſe periculũ, quod, libertate conceſſa, imminere ſibi fingit orbi chriſtiano, ſi modò plebs diligenter admoneatur de dictionis ambiguitate, ecquo demum abreptus turbine homo deuius & præceps conſilij, neſcio, ſe cenſorem Eccleſiæ & luminũ eius omnium ſtatuit, pronunciatque nullum in nobis eſſe liberum arbitrium; quòdque λογομαχίας abominetur, etſi nomen iſtud vſurpatũ ſemper eſt, abolendum. Sed eius pace, liberum arbitrium idem nobis eſt, quod optio, quod electio; delendum porrò nihil eſt è ſacris paginis; nihil quod nos illæ doceãt, è cordibus noſtris delendum. Nobis autem, quibus non eſt authoritas oris condendi, velimus nolimus, diſtinguendæ ſunt ambiguitates nominum. Quod ſi feciſſet Caluinus, ſéq; cum Auguſtino ſentiẽtem re, non verbo ſolùm habuiſſet, tot ille turbas nõ mouiſſet in Eccleſia de libertate. Sed oportet hæreſes eſſe, eſſe ſchiſmata neceſſum eſt & ſcandala.

Concludit autẽ nos non eſſe liberos, quòd nulla nobis ſit vtranuis in partem electio. Sic ex negatione partis ſummam per ignorantiã concludit negationem totius. Quaſi concluderes non eſſe literam, vbi non ſit conſonans.. Sed hoc vt prætercam, concludit nullam in nobis electionem eſſe, ſed agi nos omni prorſus in opere ad nutum diuinæ voluntatis, non ad noſtrum, etſi nobis conſilio & electione videamur agere res noſtras. Si nanque bonum quid facimus, gratiæ victricis opus illud eſt, inquit, non noſtræ voluntatis. Non quòd mente tum & voluntate non agamus,

Digitized by Google

agamus, ſed ita tum agimus, vt agamur verè, neque poſſimus non agere. Deinde quod tum è nobis eſt, etiam cùm nos agit ſpiritus, malum illud eſt, non bonum, etſi quod agit ſpiritus, bonum eſt. Nulla quidem, fateor, omnis expers imperfectionis actio noſtra, ſed nihil ad ſententiam Caluini, qui nihil è nobis, etiam adiuuante quacunque gratia, niſi fœdum velit & inquinatum. Quaſi lutoſa diceres amaráque dilutum aqua vinum: ita quod è nobis eſt & è ſpiritu, ſi Caluino credimus, confuſum illud eſt è bono malóque.

Quòd ſi gratia nos deſerit, tum nihil niſi malum operamur. Sed non ideo nobis reſtat è nobis malorum electio. Nos etenim, quod eiuſdem Caluini placitum eſt, Deus arcano ſuo impulſu ſic agit intrinſecus, vt non poſſimus non agere; vel niſi nos agit, ſubijcit nos Satanæ qui dominetur in nobis. Eccæcat autem nos Deus, indurat nos, & nos inducit in malum: non quod ipſe velit malum titulo mali, ſed quodam bono fine. Qualis vindicta priorum delictorum, qualis improborum coercitio, qualis exercenda fides ſanctorum. Sic Deus, inquit, volebat mortem Chriſti ſeruatoris, volebat ipſe Chriſtus. Vterque bono ſanctóque propoſito: malo Satanas, Iudas, Annas, Caïphas. Sed liberum in Deo propoſitum illud, in Chriſto ſeruatore liberum, neceſſarium in Satana & eius miniſtris.

Caluinus eandem aſſerit neceſſitatem ijs in rebus, quas ait indifferentes. Mortem Reguli, exempli gratia, tam opus eſſe diuinæ prouidentiæ ſtatuit, tam aliud quoduis opus, quàm vocationem Auguſti ad imperium. Contendit omnia fieri mouente nos, agente nos, ducente nos latente manu Dei, ſiue nos illa ducit in portum, ſiue præcipites agit nos, ſiue loca per deſerta ducit & inuia. Minùs quidem audacter concludit de rebus indifferentibus, verè tamen de omnibus abſolutè concludit, nec vllas, quas nobis eſſe liberas concedat, actiones excipit.

Sic extinctum ille vult in nobis liberum arbitrium, factum illud mancipium vitiorum, ad bonum inutile peni-

Digitized by Google

tus, valens ad malum duntaxat; non quòd nos eius ſenſu magis agamus ad malum è nobis quàm ad bonum, ſiquidem ad vtrunque neceſſitate agimur extrinſecus;ſed quòd è nobis nihil vſquam effundamus niſi malum, quaſcunque nos in partes agat Deus. Quæ abolendæ gloriæ ſanctorum, abolendorum Eccleſiæ meritorum omnium ratio, eadem eſt abolendorum, vnum in Adamo ſi demeris, demeritorum omnium. Si nanque neceſſitas, quod ille vult, meritis obeſt, obeſt demeritis. Neque primam ad originis ſentinam recurrere, vnde malitia cæterorum hauriatur, ſatis eſt. Cùm enim par illa ſit in omnibus,pares eſſe noxas omnes oporteret, quo nihil ineptius. Sed etſi nos è nobis ad malum valemus, non ad bonum quod facere bene poſſimus è nobis, verè nihilominus cum opitulante gratia valemus ad bonum. Primas quidem tum obtinet Deus, nos ſecundas, ſed nihil ad Caluini propoſitum, ſi ſuas quodammodo partes hoc in diuino concentu tenet noſtra voluntas. Seruos eſſe nos inutiles non nego. Sed nobis ideo commendanda magis eſt diuina bonitas, commendandus magis auctor Deus, qui nos tales velit probetque fructuoſos nobis, ſibi non fructuoſos.

Sectæ caluinianæ non paucos audies, qui nos liberos fateantur à coactione. Sed neque Caluinus id ipſum negauit. Non enim vult cogi nos intrinſecus à Deo, ſed agi neceſſitate. Cæterùm hi, vt plerique alij, formam à genere diſtinguere neſciuerunt, vel prætexerunt ignorantiam cauillandi cauſa. Quaſi verò quòd liberi ſimus à coactione, alia nobis libertas nulla ſit, quàm lapidibus & brutis animantibus. Quo nihil abſurdius. Nanque ſpontaneum abſolutè liberum eſt à coactione. Sed illud vel omnino cæcum eſt, qualis in lapide caſus: vel brutum, qualis in equo curſus: vel rationale, quale nobis proprium eſt. Hoc autem eſt voluntarium. Quod voluntarium certè liberum eſt, ſi præſertim conſultum eſt, non inconſultum.

Pleroſque politos magis minúſque ſeueros audies, qui libertatem retineant in ciuilibus officijs, negent in ijs quæ ſpectant ad actiones meritorias vitæ æternæ. Quod ſi ita

Digitized by Google

haberet, meritum ſanctis nullum eſſet apud Deum. Nam actiones gratia vacuæ, etſi fortaſſis illæ bonæ ſunt, verè nihilominus otioſæ ſunt & mortuæ. Suis facinoribus eximijs, quæ prædicent hiſtoriæ, laudem meriti ſunt apud ſuos Camillus, Fabricius, cæteri ſuæ ciuitatis amantes fortiſſimi quique duces & fortunatiſſimi; nullam verò penitus apud Deum. Quare ſi meritum, quod nullum velit Caluinus, è libertate pendet quoquo modo, ſocianda nobis eſt libertas cum gratia. Sed & delictorum electionem, ſaltem in pleriſque, meo iudicio concedent, qui nobis concedunt electionem rerum indifferentium. Quicquid ſit, duo hîc maximè diſtinguenda ſunt. Num ſcilicet, ex quo primi parentes exciderunt, quæ fiunt in nobis omnia, quæ videantur electione fieri, ea fiant omnia, præſentiente Deo & impellente; an præſentiente quædam & impellente; quædam præſentiente duntaxat, non impellente. Primum vult Caluinus. Sed id qui voluerit ante ipſum, nullum planè refert authorem. Paucos è ſancto Bernardo contextus refert, plures è beato Auguſtino, ſed & ambos per occaſionem carpit, quoties diſtorquere nequit eorum ſententias & ad ſuam flectere. Alios hoc in negotio nullos refert authores, quos non penitus aſpernetur. Sacris è codicibus innumerabiles ferme contextus colligit, verè vt dicam & ingenuè, inutiliter omnes.

Articvlvs septimvs

Refutatur opinio Caluini de poſita in flexibilitate ad vtrunuis libertate, déque libertatis repugnantia cum neceſſitate rationali.

SVA ſemper eſt homini quouis in ſtatu libertas inconcuſſa, ſi maximè compos eſt rationis. Commutatum quidem in deterius Adamum docet nos Eccleſia, ſed negat extinctum in nobis liberum arbitrium, negant eius doctores omnes. Neque pluribus opus. Nanque Caluinus ingenuè fatetur ſemper extitiſſe nomen liberi arbitrij apud Latinos; Græcos autem vocabulum arrogantius

vſurpaſſe, dixiſſéque hominem αὐτεξούσιον; omnes denique magno conſenſu hominem feciſſe ſui iuris. Chryſoſtomum, Hieronymum & alios ſcriptores eccleſiaſticos hac de re locutos eſſe nimis philoſophicè ſcribit; additque id eos feciſſe ne carni ſua ſponte nimis ad bonum torpenti nouam occaſionem deſidiæ præberent. Sic in eo excuſat alios, in quo ſe plurimùm accuſet. Quantam enim occaſionem deſidiæ ſubijciat Caluinus, qui neceſſitate ſemper agi nos velit, nunquam libertate, ſui viderint. Cuncta libertati concedenda volebant Pelagiani; libertatem extinctam omnino vult Caluinus, & ſolam in nobis regnare neceſſitatem. Quæ mediam tenendam eſſe viam ſciuerit Eccleſia, & hos & illos peræquè damnauit. Neque tutum vſquam eſt vel potiùs vllum hac in re Caluino præſidium. *Vbi libertas*, inquit ſanctus Bernardus, *ibi voluntas; vbi voluntas, ibi libertas; vbi voluntarium, ibi liberum. Semper eſt in nobis voluntas libera*, inquit beatus Auguſtinus, *ſed non bona ſemper. Aut enim à iuſtitia libera eſt, quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala: aut à peccato libera eſt, quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona.* Cæterùm his authoribus vnis vtar aduerſus Caluinum, quibus vnis vſus ille ſit hoc in negotio. Cæteros etenim omnes fatetur ſibi contrarios.

Quòd autem velit Caluinus cum Pelagianis ſitam eſſe in æquilibritate libertatem, id planè negant Bernardus & Auguſtinus, pluribuſque contrarium euincunt: non quòd negent libertatem indifferentiæ, ſed libertatem abſolutè poſitam eſſe in indifferentia negant. Qua de re ſatis antea. Sed imprimis è particula libertatis, quam Caluinus vtranuis in partem velit à ſeipſa flexibilem, perineptè concludit cum Pelagianis & eorum abortionibus nullam in nobis libertatem eſſe, ſi nobis deſit è nobis hæc flexibilitas. Ea certè fœlicitas hæreſium eſt, quæ vulpium Sanſonis. Nam etſi diſtractæ videntur, cauda nihilominus attinent inuicem, attinēt contagione. Sed illas omnes exurit media lux, media veritas. Sic enim aduerſus Auguſtinũ indifferentiã arbitrij æqua lance ad bonum & malum aſtruebant Pelagiani: is è contrario liberrimum eſſe Deum, qui veritatem

Digitized by Google

amet, odiſſe nequeat; liberrimum his in locis inferioribus extitiſſe Chriſtum ſeruatorem, qui bene viueret, non qui malè; liberos in cælis ſanctos omnes, qui vitium oderint, amare nequeant; liberos qui fœdè viuant, dæmones, non honeſtè; liberos eſſe nos, ſi nobis deſerimur, qui malè viuamus, non qui bene; liberos denique qui bene viuamus, ſi nos adiuuet filius atque liberet.

Si Caluinus qui ſe vnius Auguſtini doctrina gloriaretur hoc in negotio, cæteros prædicaret Pelagianos, ſibi hæc objeciſſet ex Auguſtino, cæteráque vel expreſſa magis infinita, illum abſque dubio atque Bernardum planè rejeciſſet, vel ſe fatuum præbuiſſet & abſurdum. Cætera vt prætercam, ſi non vult nos eſſe liberos, quòd eius iudicio nobis deſit illa pars libertatis, vilem ſe ſophiſtam præbet, qui totum genus ablatum eſſe concludat, ablata eius minima parte, eáque viliſſima, ſi modò calamitoſiſſima dæmonum libertas excipitur. Liberum etenim eſſe Deum, liberum eſſe Chriſtum ſeruatorem, liberos eſſe optima libertate ſanctos omnes in cælis, negare non audebit. Nos itaque liberos eſſe negabit Caluinus, quòd nobis deſit, vt ipſe vult, iactata toties in bonum & malum flexibilitas: quibus autem illa deſit, nobis duntaxat exceptis, eos fatebitur eſſe liberos? Sed quàm indignum id & abſurdum, nemo non videt.

Neceſſitatis ambiguitas non minùs turbauit Caluinum, quàm libertatis. Qui nanque cum ſancto Bernardo & diſcipulis eius libertatem diſtribuunt in libertatem à neceſſitate, à peccato, & à miſeria; ij tum omnes nomine neceſſitatis nunquam comprehendunt confictam hîc à Caluino neceſſitatem è gratia victrice vel alio quouis adiutorio Dei noſtris in voluntatibus & conſiliis. Nanque voluntarium illis & liberum reciproca ſunt. Quare cum libertatem à neceſſitate dicunt, dubio procul indifferentiam & æquilibritatem vtranuis in partem dicere nolunt, qui ſanctos omnes in cælis cum Deo & Chriſto ſeruatore maximè liberos eſſe velint, & liberos in inferis dæmones, & nos hîc liberos quouis in opere conſulto. Sed libertatem dicunt

Digitized by Google

à coactione, à cæco lapidis *impetu, ab appetitu* ſenſuque *bruto*, ab *inconſulta* denique ratione. Quicquid enim voluntate conſulta volumus, id liberum eſſe ſtatuunt. Sed rem planè diriment inter nos & Caluinum, quos ipſe velut arbitros accepit, Auguſtinus & Bernardus.

Sic autem Auguſtino Iulianus inſultat. *Non minore ſtultitiæ profeſſione, quàm profanitate liberum vocas, quod dicis* nisi vnum *velle non poſſe*. Cui Pelagianorum coryphæo ſic occurrit Auguſtinus. *Dicturus es, vt video, Deum neceſſitate premi, vt peccare non poſſit, qui vtique nec poteſt velle, nec vult poſſe peccare. Imò, ſi neceſſitas dicenda eſt, qua neceſſe eſt aliquid vel eſſe vel fieri, beatiſſima eſt omnino neceſſitas, qua neceſſe eſt feliciter viuere, & in eadem vita neceſſe eſt non mori, neceſſe eſt in deterius non mutari. Hac neceſſitate*, ſi neceſſitas etiam ipſa dicenda eſt, *non premuntur ſancti Angeli, ſed fruuntur; nobis autem futura, non præſens. Vnde nec illa neceſſitas formidanda nobis eſt*, inquit, *quam formidando ſtoïci laborauerunt cauſas rerum ita diſtinguere, vt quaſdam ſubſtraherent neceſſitati, quaſdam ſubderent: atque in his quas eſſe ſub neceſſitate noluerunt, poſuerunt etiam noſtras voluntates, ne videlicet non eſſent liberæ, ſi ſubderentur neceſſitati. Si enim neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etianſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam viuitur, ſub tali neceſſitate non eſſe. Multa enim facimus, quæ, ſi nollemus, non vtique faceremus. Quò primitus pertinet ipſum velle. Nam ſi volumus, eſt: ſi nolumus, non eſt. Non enim vellemus, ſi nollemus. Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, vt ita ſit aliquid vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis. Neque enim & vitam Dei & præſcientiam Dei ſub neceſſitate ponimus, ſi dicamus neceſſe eſſe Deum ſemper viuere & cuncta præſcire; ſicut nec poteſtas eius minuitur, cùm dicitur mori fallique non poſſe*. Denique beatus Auguſtinus è libertate Dei, qui ea neceſſitate verax eſt & iuſtus, ſe quoties offert occaſio, concludit libertatem per ſe non eſſe ſitam in indifferentia ad vtrunuis. *Vbi neceſſitas*, inquit ſanctus

Lib. de nat. & grat. c. 46. & lib. 1. oper. imp. n. 102. 105.

Lib. 5. de ciuit. c. 10.

Digitized by Google

Bernardus, *iam non voluntas. Neceſſarium opponitur voluntario. Quod ex neceſſitate fit, non fit ex voluntate: & quod ex voluntate ſit, non fit ex neceſſitate.* Vt verbo dicam, Libertatem à neceſſitate cum Bernardo, qui dicunt, ij rationalem & conſultam neceſſitatem, quam dicendam eſſe neceſſitatem ille neget cum Auguſtino, non dicunt, ſed irrationalem & inconſultam neceſſitatem, quæ naturalis eſt neceſſitas, quæque vna verè propriéque neceſſitas eſt, & abſolutè neceſſitas. Oper. de grat. & lib. arb.

Sed referendus eodem è Bernardo contextus, quem non puduit Caluinum in ſuæ ſententiæ confirmationem inducere. *Quòd ſolus homo ratione viuat*, inquit, *ſolus inter animalia liber. Et tamen, interueniente peccato, patitur quandam vim, ſed à voluntate, non à natura, vt ne ſic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim* voluntarium, *etiam* liberum. Et paulò poſt. *Ita neſcio quo prauo & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, vt nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem: nec voluntas cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria.* Poſtea dicit *nos premi iugo, non alio tamen quàm voluntariæ cuiuſdam ſeruitutis, ideo nos pro ſeruitute eſſe miſerabiles, pro voluntate inexcuſabiles. Voluntas enim eſt, quæ cùm eſſet libera, ſe fecit ſeruam peccati.* Tandem concludit. *Ita anima miro quodam & malo modo ſub hac voluntaria quadam ac malè libera neceſſitate & ancilla tenetur & libera: ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem: &, quod magis mirum magiſque miſerum eſt, eo rea quo libera, eóque ancilla quo rea; ac per hoc eo ancilla, quo libera.* Hucuſque Caluinus è Bernardo. Suam autem ad ſententiam quàm aptè, nemo non videt. Cum hac enim qualicunque neceſſitate & cum hac ſeruitute peccati libertatem ſuo quóque contextu iungit Bernardus, quam toto opere ſuo Caluinus velit ab vtráque diſiunctam. Sed & Caluino addenda erant, non reſecanda hæc verba. *Miſer ego homo, quis me liberabit à calumnia huius pudendæ ſeruitutis? miſer, ſed liber: liber, quia homo: miſer, quia ſeruus: liber, quia ſimilis Deo: miſer, quia Deo contrarius,* Ser. 81. in cant.

Mirus certè Caluinus. Profert authoritatem ſanctorum Auguſtini & Bernardi, vt euincat neceſſitatem cadere in voluntates noſtras. Quòd autem illi cum hac qualicunque neceſſitate libertatem concilient, quódque negent veram eſſe neceſſitatem, id apertè reſpuit. Sed illos ſi volebat ſui qualiſcunque dogmatis authores, cur cum eis non ſtatuit de libertate, quod & ſacer contextus & ratio è nobis euincit? Vterque docet in nobis indifferentiam ad bonum & malum, nos tamen ad malum nobis eſſe ſatis è nobis, non ad bonum. Sed negat vterque libertatem per ſe ſitam abſolutè hac in indifferentia. Quod è Deo, è Chriſto ſeruatore, è beatis mentibus & miſeris euincitur. Calamus his refutandis exercendus erat Caluino, ſi nullam ille libertatem eſſe vult aliam à ſua vtranuis in partem flexibilitate. Sed illi volumus & ſuis ea de re reſponſum eſſe, quod Iuliano cæteriſque Pelagianis & eorum abortionibus ab Auguſtino reſponſum eſt. Libertas, inquit Caluinus, authore Auguſtino, eſt *facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſsiſtente, malum ea deſiſtente*; &, authore Bernardo, *conſenſus ob voluntatis inamiſsibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium*. Sed vtranque definitionem negligit: hanc quidem, meo iudicio, quòd per eam libertas amitti nequeat, & quod indeclinabile ſit iudicium mentis: illam verò, quòd per eam libertas cum gratia & peccato conſiſtat, quòd aſſiſtente gratia bonum *eligatur*, & malum ea deſiſtente.

Cæterùm quaſi ſolam veritatem impeterent hæretici vel è ſola veritate concluderent, negaret autem Caluinus nos eſſe liberos, quòd nulla nobis eſſet eligendi poteſtas, indifferentia vtranuis in partem nulla, ab eius ætate præſertim vſurpatum eſt per ſe ſitam eſſe libertatem in indifferentia. Et quia libertas vel voluntas eſt vel propria voluntatis, etiam additum eſt, ne quid officere videretur huic indifferentiæ, libertatem ita propriam eſſe voluntatis, vt hæc, poſito vltimo iudicio, reſtet vtranuis in partem æquilibris. Si tamen electio ſolius voluntatis eſt, quod ſuæ inſtitutionis opere primo ſcripſit Caluinus, cum quo iam

Cap 15.

vno

vno mihi res eſt, atque, poſito vltimo iudicio, reſtat æquilibris voluntas & flexibilis vtranuis in partem; vel potiùs ſi talis erat in primis parentibus antequam amitteretur, poterat in illis voluntas obluctari iudicio. Alioqui, poſito iudicio, nihil ſupererat in illis indifferentiæ. Si nihilominus poterat reſiſtere voluntas, poterat non eſſe conſentanea moderationi rationis. Quod illa in integritate penitus abſurdum, & cuius ipſe Caluinus, cum quo mihi res eſt, contrarium expreſsè docet.

Si dicis ab Ariſtotele cæteriſque veteris memoriæ philoſophis commendatam nobis eſſe hanc indifferentiam, à me referes, quod poſtea docebitur, nuſquam à Platone vel Ariſtotele ſcriptum ſitam eſſe libertatem in indifferentia. Sed vt verbo concludam, neque diuertam ab inſtituto, è Caluino ſcire cuperem, num ab Ariſtotele, cuius ipſe minutias eodem ipſo loco aſpernetur, ſperanda libertatis expoſitio communis omnibus cauſis liberis pro quouis earum ſtatu, qui vnicum hominis ſtatum falsò cognouerit? Id nemo de Ariſtotele vel vniuerſa de gente ſophiſtarum ſibi promittere poteſt. Sed cùm definitio Caluini nec è ſacro contextu hauſta ſit, nec vllis è teſtimoniis quæ vel flocci faciat, cuperem abs eodem audire, cuius illa ſit authoritatis. Deinde cùm ipſe, quod planè velit, nullum omnino libertatis experimentum habeat, ſi nec authoritate conſtat hæc definitio, nec ortum habet ab experientia, ecquos & quales hoc è ſomnio, hoc è figmento ſuæ vaſtiſſimæ inſtitutionis condet articulos fidei? Imò, cùm & ſenſus & ratio & teſtimonia diuina humanáque prædicent nos eſſe liberos, quàm indignus author cuius vel mentio fiat hoc in negotio; quàm indignus dico, qui cùm patres Eccleſiæ nimiùm hac de re philoſophicè ſcripſiſſe contendat, repetitam nihilominus è principe ſophiſtarum ſuo iudicio definitionem vſurpet, eamque, quod ipſe fateatur, ſuo ſæculo minùs vſurpatam, quam ſuæ totius inſtitutionis antichriſtianæ fundamentum habet, reiecto angulari lapide Chriſto Ieſu, qui ſuos diſcipulos quos liberauerit, quique maneant in vite, ſeruos eſſe negat, verè liberos aſſerit & amicos.

Digitized by Google

Articvlvs octavvs

Neque ſcelerum authorem eſſe Deum in nobis, neque rerum indifferentium omnium arcana vi promotorem intrinſecus, euincitur aduerſus Caluinum.

Calvinvs occinere ſibi contendit ſacros codices, quibus hæc tria ſe probaturum confidit. Primum eſt, quod illi cum Pelagianis & eorum abortionibus commune, nullam in nobis eſſe conſenſus & operæ libertatem, poſita victrice gratia. Alterum eſt, Deum non minùs peccatorum omnium cauſam eſſe latentem in nobis vel per ſe vel opera dæmonum cæterarumque cauſarum quas applicet, quàm operum gratiæ victricis. Vltimum eſt, Deum ita prouidiſſe cunctis rebus futuris apud nos, & operas indifferentes omnes arcana vi ſua latente ita promouere intrinſecus in nobis, vt nihil niſi neceſſitate faciamus, etſi nobis videmur agere liberè. Sed his omnibus vt paucis occurratur, imprimis non negamus Deum ita dirigere nos, nos ita ducere pleriſque in rebus, alioquin indifferentibus, vt eius nutu fiat, vt fiat, inquam, ordine diuinæ eius prouidentiæ, quod vno noſtro conſilio, vna noſtra opera nobis fieri videatur. Conſtat è regum electionibus & pontificum, cæterarumque politicarum omnium & eccleſiaſticarum præfecturarum, quæ ſuam à Deo ſolo poteſtatem habent. His enim in conſiliis, quod nos docent ſacri codices, quod patres Eccleſiæ, præſidet Deus. Sic armis præſidet aliiſque, vt plurimùm, conſiliis omnibus. Sic magnis rebus aliis & infimis & mediis, quibuſcunque vult. Sed cùm præfecturarum omnium quæ ſunt his in terris, aliæ ſint à Deo proximè, quales epiſcopatus & regia maieſtas: aliæ non niſi per has à Deo, quales epiſcoporum vicarij, quales magiſtratus in quouis imperio: vtraſque autem det nobis Deus hominum opera, præſidere eum plenè in creatione primarum neceſſum eſt; non pariter in creatione cæterarum, etſi reges & epiſcopi precari teneantur, vt Deus

eorum mentes & voluntates dirigat in eligendis idoneis & vtilibus miniſtris. Dirigat autẽ Deus & pręſideat in creandis his officiis, ſiue non, confertur illis poteſtas per ſuperiorem intermediam, cuius eſt vicaria vis. Sed epiſcopatum confert Deus immediatè, non per aliam authoritatem intermediam. Hæc omnia diſtinguere Caluinum oportuit, non confundere. Si nanque vocauit Auguſtum Deus, ſi Neronem vocauit ad imperium, non ideo vocauit omnes eorum miniſtros. Quod itaque certum, cooperatur ſemper Deus. Sed vtrum ita præſideat omnibus in negotiis publicis priuatiſque, vt præueniat, ducat & dirigat, id Caluino probandum fuit. Si nanque concurrebat Deus cum primis parentibus & angelis primo in ſtatu, quo placet Caluino eos fuiſſe liberrimos, non præueniebat, cur non in pleriſque nunc effectis, quæ vires noſtras non exuperent, & quibus ſatis eſſe videatur concurſus, non pariter cooperabitur nobiſcum? Expectandum è Caluino reſponſum eſt. Loquebatur apoſtolorum ore Deus, qui diuina eius myſteria promulgarent. Sed an eodem afflatu loquatur ore poëtarum omnium, omnium rabularum ore, ore cauponantium ſacra eius eloquia, non probat Caluinus. Pauli calamus vel Ioannis, calamus Dei: non Caluini calamus, non Iuliani. Quod autem oportet eſſe ratum, ſeu illis in rebus, quas Caluinus dicit indifferentes, ducimur agimurque ſpiritu Dei, ſeu non, has conſilio ſi tractamus, tum operamur liberè.

Quòd autem quicunque peccant, ij peccent latente & arcano impulſu Dei, id docere cum Caluino non ſolùm chriſtiano homine, ſed vel gentili philoſopho perindignũ eſt. *Malorum cauſam eſſe Deum,* inquit Plato, *cùm bonus ille ſit, omnino refellendum eſt. Culpa non eſt Dei, ſed præligentis.* Quotidie poſtulamus à patre luminum, ſcio, ne nos inducat in tentationem, ſed aliud tentationem dicere, aliud peccatum. *Tentatio non vos apprehendat*, inquit Apoſtolus, *niſi humana. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere.* Quia nihilominus nos de

Digitized by Google

nobis ſemper humillimè ſentire debemus, neque præſumendum è nobis eſt poſſe nos vllam penitus tentationem bene ſuperare, vel etiam cum vlla pugnare bene, ſi nobis gratia deſit, Deum etiam atque etiam oramus quotidie, vt liberet nos à malo, & ne nos inducat in tentationem. *Sed intelligendum eſt*, inquit beatus Auguſtinus, *duas eſſe tentationes: vnam, quæ decipit; alteram quæ probat. Secundum eam quæ probat, vti liquet ex Abrahamo, tentat nos dominus Deus noſter, vt ſciat ſi diligimus eum. Quod eſt, vt nos ipſi ſciamus nos, & cùm nos didicerimus, non negligamus nos, non præſumamus, ſed eripi nos & iuuari ſempiternis orationibus noſtris efflagitemus. Secundum alteram quæ decipit, Deus neminem tentat. Nemo cùm tentatur, dicat*, inquit beatus Iacobus, *quoniam à Deo tentatur. Vnuſquiſque tentatur à ſua concupiſcentia abſtractus & illectus*. Deus itaque non impellit nos ad peccandum, nec adiuuat. Sic beatus Bernardus. *Notam fecit dilectionem ſuam Deus, experiatur & tuam. In multis enim tentat te dominus Deus tuus, declinat ſæpius, auertit faciem, ſed non in ira. Probationis illud eſt, non reprobationis*. Porrò tentationem quæ ſit ad peccatum, impedire poteſt Deus vel permittere. Eam ſi permiſerit, iuuare nos poteſt pro bona voluntate ſua, vel iuſto iudicio ſuo deſerere.

Tract. 43. in Ioan.

Serm. de aquę ductu.

Caluinus plures coaceruat contextus, quibus probet Deum excæcare mentes impiorum, & eorum corda obdurare. Sed imprimis obduratio & excæcatio, interprete beato Auguſtino, ſunt pœnæ peccati. Deinde *obdurat Deus & excæcat*, authore eodem, *denegando miſericordiam, non impertiendo malitiam*. Sic reprobis media denegat Deus, quibus, ſi vellet, ſalutem conſequerētur. Denique *vt gratuito dono miſeretur Deus*, ſic *obdurat iuſtiſſimo merito & reprobat. Miſeretur*, inquit, *magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur*. Sed lepidus hîc Caluinus, vbi veterum ſobrietatem exoſculatus eſt, atque ſuperſtitionis incuſauit Auguſtinum, quòd dixiſſet excæcationem non ad operationem Dei, ſed ad præſcientiam ſpectare, *has*, ſic enim idem ipſe Caluinus, *aſpernatur ar-*

Ench. c. 99.

Digitized by Google

gutias. Duas itaque cauſas excæcationis habet Caluinus & obdurationis. Primam ablationem luminis & ſpiritus; alteram, qua per ſe & per miniſtrum iræ ſuæ Satanam voluntates excitat & firmat conatus. Hanc reprobant omnes, omnes illam concedunt. Quod autem certum eſt, vincere noſtras voluntates potens eſt Deus, Satanas impotens. *Diabolo noſtra nos mancipat voluntas*, inquit ſanctus Bernardus, *non ipſius poteſtas: Deo ſubijcit nos ipſius gratia, non noſtra voluntas.*

Sed placet Caluino Deum ſpurcitias omnes & nequitias, quæ principem tenebrarum ſatorem habent, noſtris in voluntatibus excitare, ne quæ vel inquinatiſſimæ ſunt & fœdiſſimæ, nobis liberæ concedantur. Quo dogmate fœdius nullum eſt & execrabilius. Quod Dei opus eſt, ſi neſcit Caluinus, Deo complacet, diſplicet alienum. *Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Quantò minùs itaque nequitiam pariet ipſa ſanctitas? Odio ſummo Deus, quod ipſe nos edocet, odit ſcelera. Amabilis fœditas apud hircorum principem, Deo deteſtabilis: fœtoris vltor Deus, author Satanas. *Omnis arbor, quam non plantauerit pater*, inquit Chriſtus dominus, *eradicabitur;* ex fructibus autem cognoſcitur arbor. Quæ veritas indubitata. Sed, authore Caluino, arbor omnis, omne ſemen & fructus omnis à Deo pariter. Deteſtabile ſomnium. Quaſi verò fallax eſſet Deus & impoſtor, qui malæ vitæ neceſſitatem faceret intrinſecus in nobis, quam vetaret extrinſecus. Sed & hanc intrinſecus vetat Deus ijs omnibus quos erudiat. Via, veritas & vita Deus: non error, non mors, non mendacium. Diabolicæ ſunt igitur nequitiæ, diuinæ non ſunt: erumpunt è baratro, deſurſum non veniunt: non pus è puritate, non è luce caligo, non è bonitate malitia, non fœditas è ſanctitate. Si dicis Deum non amare nequitiam nequitiæ titulo, verum dicis. Sed neque nos quicquam amare poſſumus eo titulo. Imò nec amabilis illa prætextu boni. Quod enim bonum ex integro, & è

Digitized by Google

quouis defectu malum, modicum nanque fermentum totam maſſam corrumpit, ne quidem nobis, quibus malum abſolutè prohibetur, per naturam conceditur facere mala, vt inde bona ſuccedant. Quæ natiua diuinitatis impreſſio ſuis in imaginibus eſt. Deus nanque ipſum eſt à ſeipſo fœditatis odium, vt amor ſanctitatis. Deum quidem nouiſſe dicimus eruere bonum è malo, ſed illud eruit è bonitate ſua, non è ſterilitate mali, non ex eius ariditate. Sic felicem culpam ſi canit Eccleſia, commendat illa ſuperabundantem Dei bonitatem, culpam non commendat.

Sed quàm alienus hîc à ratione Caluinus, ſatis exprimere nequeo. Quod illi placet, primi parentes noſtri, quibus inflexa nondum erat in malum voluntas, ſibi ſatis erant ad peccatum, ad malum ſatis. Nos autem ſic affecti ſumus & inflexi, vt licet, cùm nos agit Deus ſua gratia victrice, bona ſit actio quatenus eſt à Deo, mala ſemper eſt, authore Caluino, quatenus eſt à nobis. Et tamen, hoc eodem authore, in malis præuenit nos Deus & agit, vt in bonis. Excæcati certè hominis ſibique derelicti profana mens & fanatica. Si nanque ſibi ſatis erat homo rectus ad malum: ſi corpus peccati, etiam agente in contrarium & retrahente ſpiritu, ſibi ſatis ad malum eſt: profectò ſibi derelictus vetus Adam ſibi ſatis eſt ad peccandum, ſibi ſuper quàm ſatis cum domino Satana, cuius in nexu ſit, ſi nouus homo nobis abeſt. Quorſum itaque nos ad peccandum præueniet Deus & impellet, ſi quod inſuper indubitatum eſt, bene bonum è nobis facere non poſſumus, non poſſumus bene cogitare? Sed indigna refutatione profanitas. Brutas animantes ſemper non præuenit Deus, non res inanimas ſemper; nos autem noſtris in ſpurcitijs omnibus præueniet!

Digitized by Google

ARTICVLVS NONVS

Gratia victrice iuuari libertatem, non tolli, non impediri, contra Caluinum euincitur.

DENIQVE Caluinus coaceruat omnes illos ferme contextus, quos beatus pater Auguſtinus collegit aduerſus Pelagianos & Maſſilienſes de gratia victrice & de prædeſtinatione Sanctorum. Sed etſi, quod velit ſibi conceſſum eſſe Caluinus, hoc vtrunque donum præſenſionis opus eſt & prouidentiæ, nihil ad rem, niſi probet hoc vtroque dono nobis eripi libertatem. Quod ſi non probauerit de gratia, neque de prædeſtinatione probabit. Hæc enim gratia, quæ donum eſt perſeuerantiæ, nihil in nobis operatur niſi gratiæ titulo. Imò nihil vſquam operatur in infantibus. De gratia porrò gratiæ doctor Auguſtinus ita ſtatuit. *Scimus gratiam Dei nec paruulis, nec maioribus dari ſecundum merita noſtra. Scimus maioribus* ad ſingulos actus *dari. Scimus* non omnibus *hominibus dari, & quibus datur, non ſolùm ſecundum merita operum non dari, ſed nec ſecundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maximè apparet in paruulis. Scimus eis quibus datur*, miſericordia *Dei* gratuita *dari. Scimus eis quibus non datur*, iuſto iudicio *Dei non dari. Sic autem*, inquit, *oportebat priùs hominem fieri, vt & bene velle poſſet & malè: nec gratis, ſi bene: nec impune, ſi malè. Poſtea verò ſic erit, vt malè velle non poſſit, nec ideo* libero *carebit arbitrio. Multò quippe* liberius erit *arbitriũ, quod omnino non poterit ſeruire peccato. Deſinant ergo ſic inſanire*, inquit idem, *& ad gratiam intelligant habere ſe quantum poſſunt* liberum *arbitrium, non vt ſuperba voluntate reſpuant adiutorium, ſed vt pia voluntate inuocent dominum. Fateantur*, inquit, *adiuuari* liberum *arbitrium per Dei gratiam, vt rectè faciamus atque ſapiamus, vt cùm venerit Dominus reddere vnicuique ſecundum opera eius, inueniat opera noſtra bona, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Hoc qui ſentiunt, bene ſentiunt,*

Epiſt. 107.
Enchir. c. 105. 106.
Epiſt. 89.
Epiſt. 46.

Itaque Caluino concedemus, quam vnicam velit victricem Dei gratiam. Addemus cum Apoſtolo neminem voluntati diuinæ reſiſtere poſſe, & cum Auguſtino Deum multa facere poſſe, quæ facere nolit: nihil autem velle, quod non efficiat. Cor noſtrum in manu Dei concedemus, concedemus omnes qui audiuerint & didicerint à patre, venire ad filium. Neminem autem venire, cui non ſit à patre datum, quemque pater non traxerit. Concedemus regnare Spiritum in illis omnibus, qui Spiritu viuant, operentur, ducantur, agantur. Concedemus oues Chriſti cognoſcere Chriſtum, & vocem eius audire. Concedemus ita datam eſſe Chriſto domino poteſtatem omnis carnis, vt omne quod datum eſt illi, det ei vitam æternam; nec eorum quos dederit pater, amiſiſſe quenquam: eos autem qui abierunt retro, ideo abiſſe, quòd de ſuis non eſſent. Denique concedemus Chriſtum datos ſibi filios redditurum Patri: illoſque ſecum omnes quos dederit pater, habiturum ſemper in regno Patris. Sed nihil ideo proficit Caluinus. His enim nobis non eripitur libertas, quibus iuuatur. *Ecquid ergo,* inquit beatus Auguſtinus, *miſeri homines aut de* libero *arbitrio audent ſuperbire antequam* liberentur, *aut de ſuis viribus, ſi iam* liberati *ſunt? Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrij vtique libertatem ſonare; vbi autem Spiritus Dei, ibi* libertas? *Agis quidem, Deo non adiuuante,* libera *voluntate, ſed malè. Ad hoc idonea eſt votas tua, quæ vocatur* libera, *& malè agendo fit damnabilis ancilla.*

Lib. de ſpirit. & litera c. 30.

Sed abiret res in infinitum, ſi nobis omnes hanc in rem coaceruandi forent beati patris Auguſtini contextus. Cæterùm idem è ſancto Bernardo pariter euincitur. Illi nanque reciproca ſunt voluntas & libertas, voluntarium & liberum. Voluntarium autem & neceſſarium contraria, contraria voluntas & neceſſitas. Quamobrem libertas, authore ſancto Bernardo, vt voluntas, quouis in ſtatu inconcuſſa manet & inamiſſibilis: non quidem titulo quouis, ſed quæ dicitur libertas à neceſſitate. Quæ libertas, hoc eodem authore, creſcit, ſi ſuccedit libertas à peccato:

Digitized by Google

demũque cumulatur vbi, quod maximũ donum eſt, ſuccedente libertate à miſeria, liberamur ab omni captiuitate. Sed præ cæteris adhuc expreſſus eſt hic eiuſdem authoris cõtextus. *Quia voluntatẽ impoßibile eſt de ſeipſa ſibi non obedire, nemo quippe non vult quod vult, aut vult quod non vult, etiam* impoſſibile *eſt* ſua priuari libertate. *Poteſt quidem mutari voluntas, ſed non niſi in aliam voluntatem, vt nunquam amittat libertatem. Tam ergo non poteſt illâ priuari, quàm nec ſeipſa. Si poterit homo aliquando aut nihil omnino velle, aut velle aliquid, & non voluntate; poterit & carere libertate voluntas.* Oper. de grat. & lib. arb.

Sed mirari ſatis Caluinum nequeo, qui cæteris omnibus planè reiectis, ſolos laudet Auguſtinum & Bernardum, non abſolutè quidem, ſed aliquando, quòd non ita malè, quòd non ineptè locuti ſint, vnicam ſibi authoritatem propoſuiſſe, à qua ſe tam alienum præbuerit. Imprimis libertatem ſitam eſſe vult in flexibilitate vtranuis in partem. Hoc illi referendum erat è ſacro contextu, & eodem è contextu referendum ea potitos eſſe primos parentes, atque eodem è contextu illos abs ea ita decidiſſe, vt eius in illis nihil planè reſiduum ſit, nihil in nobis, ſiquidem aliam quanuis authoritatem aſpernatur. E ſacris, inquam, fontibus Caluino haurienda fuit expoſitio libertatis, quam è lacunis philoſophorum mutilam (non enim explet illa τὸ ἐφ' ἡμιν, καὶ τὸ κύριον Ariſtotelis; τὸ αὐτεξούσιον non explet) nobis reddidit; eximium certò dignumque caluinianæ fidei præſidium. Decipere nos voluit per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi; non erudire nos, non formare nos & alere verbo veritatis.

N

Articvlvs decimvs

Aſſeritur libertas indifferentiæ contra Caluinum authoritate ſacri contextus & ſanctorum patrum Auguſtini & Bernardi.

SED ne reſtemus in ijs quæ per ſe clara ſunt, ſuam ille flexibilitatem propriam eſſe voluntatis in lubrico poſitæ ſcribit, eiuſque munus proprium electionem. Quod ſolius libertatis indifferentiæ proprium eſt, non libertatis abſolutè, alioqui talis eſſet Dei libertas omnis, omnis Chriſti ſeruatoris libertas, & ſanctorum omnium libertas omnis. Quo nihil ineptius. Firmitatis etenim libertas & conſtantiæ poſita non eſt in lubrico, non in æquilibritate. Sic ignarus generis & præſtantioris longè partis Caluinus inferiorem longè partem ſummam per inſcitiam totum eſſe perſuaſum habuit. Sed & illi concedendam eſſe hanc liberi partem in nobis, apertè conuincitur è ſacro contextu.

Sic Caïnum alloquitur dominus Deus. *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim pro foribus peccatum tuum aderit?* Sub *te erit appetitus eius & tu* dominaberis *illius*. Sic in Deuteronomio. *Teſtes hodie inuoco cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem;* elige *ergo vitam, vt viuas & diligas dominum Deum tuum.* Sic Iſraëlem alloquitur Ioſue. *Si malum vobis videbitur, vt domino ſeruiatis*, optio *vobis datur*, eligite *hodie quod vobis placet.* Sic ore Prophetæ Dauidem alloquitur Deus. *Trium tibi datur* optio, elige *vnum quod volueris ex his, & faciã tibi.* Sic ore Iſaiæ Deus. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: ſi nolueritis & me ad iracundiã prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Sic Eccleſiaſticus. *Reliquit Deus hominem* in manu conſilij ſui, *appoſuit illi ignem & aquam, ad quodcunque volueris, poterit porrigere manum: erit illi gloria æterna, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit.* Sic pſaltes. Elegi

Pſal. 83.

Digitized by Google

abiectus eſſe in domo domini magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Certè vertibilis vtranuis in partem voluntatis tam expreſſa mentio nulla primis in parentibus, nulla dominij, electionis nulla & optionis è ſacro contextu, qualis habetur his contextibus. Suas euaſiones eſſe Caluino, ſuos eſſe ſpecus, ſuáque diuerticula non ignoro. Sed imprimis ducere nos eadem manu Deum ad maledictionem & mortem, qua nos ad vitam & benedictionẽ ducit, caluinianum dictum impium eſt & planè refutatum. Ducere nos latente manu ſua, vbi ſit optio rerum terrenarum & indifferentium, qualis propoſita Dauidi, poteſt Deus. Sed nobis nos ijs in rebus non eſſe ſatis è nobis, nullo penitus è ſacro contextu Caluinus vſquam euincet. Nobis quidem neceſſariam eſſe manum Dei, vt bene bonum, quod eſt ſanctè, faciamus, omnino concedendum eſt. Sed nihil ideo proficit Caluinus. Vel enim vnius oppoſitorum electio munus non eſt libertatis, quod abſurdum, vel concedenda nobis eſt his è contextibus libertas. Sit penes caluinianos optio, ſi modò vlla ſit quam confeſſam eſſe velint, apud illos optionis poteſtas.

Sed ecquæ his Chriſti domini verbis eſſe poteſt apta reſponſio? *Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Ecquæ autem hæc vera libertas & vna verè nobis optanda? Num æquilibritas eſt vtranuis in partem? Sed vbi creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei veniet-ne in libertatem indifferentiæ? Nonne qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, nos liberauit? Nonne qui difrupit vincula noſtra, qui deſtruxit diabolum in nobis, liberauit nos? Nonne qui reſipiſcunt à laqueis diaboli, à quo tenentur, ij verè liberantur? Nonne dominus ſpiritus eſt, vbi autem ſpiritus domini, ibi libertas? Nonne igitur liberi ſumus, ſi modò habitat in nobis, ſi nos habet pro templo ſuo, ſi nos ſeruos eſſe negat, ſi verè liberos aſſerit & amicos? A quo quis ſuperatus eſt, fateor, eius quidem ſeruus eſt, ſed non ideo

Digitized by Google

abſolutè ſeruus. *Cùm* enim *eſſetis ſerui peccati*, inquit Apoſtolus, *liberi fuiſtis iuſtitiæ: nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem*. Nunquid autem ſeruire Deo regnare eſt; & vnâ, quæ verè neceſſaria ſit, potiri libertate? Imò qui ſerui ſunt peccati, quod iam ex Auguſtino referemus, liberi ſunt à iuſtitia, liberéque peccatis inſeruiunt. Sed nonne hoc è contextu duplex libertas?

1. ad cor. c. 7. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus*, inquit idem Apoſtolus, *non habens* neceſſitatem, *poteſtatem autem habens* ſuæ voluntatis, *& hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuam, bene facit*. Exoluat ſe hoc è nodo Caluinus. Firmitatem dicit Apoſtolus, non lances vtranuis in partem æquilibres. Neceſſitatem excludit; addit cordis iudicium, docetque Græcorum illud arrogans αὐτεξούσιον. Illum nanque dicit, qui dominium habet ſuæ voluntatis, neceſſitatem non habet. Dicit itaque liberum arbitrium. Nullus eſſe poteſt euaſioni locus. Libertatem hanc agnoſcere Caluinum oportuit, non cum impietate nomen eius abolendum ſcribere. 3. inſtit. c. 19. Libertatem fingit, quam chriſtianam vocet, qua nos fiducia noſtræ iuſtificationis quærenda coram Deo, nos ſupra legem omnẽ efferamus, iugo cuiuſcunque legis liberi. Sed caluinianus iſte faſtus faſtu Pelagianorum intollerabilior, nihil facit ad inſtitutum. Cæteros ille Pelagianos dicit, qui ſe liberos in ſpiritu Dei legis obſeruatores, quòd ita veritas euangelica doceat, profiteantur: ſe humiliorem ille profitebitur, qui, non cum timore & tremore ſalutem operetur, ſed certa cum fiducia ſupra legem omnem elatum ſe habebit & liberum.

Scripta quidem lex iuſtis vehiculum eſt & veluti ſcala, qua conſcendant ad legem æternam viuamque, quæ diuina voluntas eſt & maieſtas, ſed illis tenenda ſemper in Chriſto via, ſeruandáque mandata. Iuſto poſitam non eſſe legem docet nos Apoſtolus. Sed libertatem id aſſerit, non euertit. Imprimis autem lex quæ pædagogus apud Apoſtolum vulgóque lex, nobis impoſita non eſt. Iam enim non ſumus ſub pædagogo. Deinde iuſto non eſt impoſita

lex, quæ magis illum terrore ducat, quàm amore. Denique aſſuetis bene viuere iuſtis ita leue iugum Chriſti ſuauéque, vt illis non videatur eſſe iugum. Tum enim his charitatis lex eſt, non ſeruitutis. Quæ ſumma libertas eſt & optima. Firma ſiquidem eſt & ſtabilis voluntas, non indifferens, non æquilibris. Sic aſſuetis latinè loqui vel ludere cythara, facilis promptáque regularum obſeruatio, non dura, non grauis. Imò, verſa in naturam aſſuetudine, magis iam naturalis obſeruatio, quàm artificialis.

Accedit authoritas beati patris Auguſtini. *Quis noſtrum dicat*, inquit, *quòd primi hominis peccato perierit* liberum arbitrium *de humano genere? Libertas quidem perÿt per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam, propter quod natura humana indiget gratia, dicente domino, ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: vtique liberi ad bene iuſtéque viuendum. Nam liberum arbitrium vſque adeo non perÿt, vt per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati; hoc eis placet, quod eis libet.* Vnde Apoſtolus, *cum eſſetis*, inquit, *ſerui peccati*, liberi *fuiſtis* iuſtitiæ. *Ecce oſtenduntur etiam in peccato minimè potuiſſe niſi* alia libertate *ſeruire. Liberi ergo à iuſtitia non ſunt niſi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non ſiunt, niſi gratia Saluatoris. Liberum arbitrium*, inquit, *& ad malum & ad bonum faciendum, confitendum eſt habere nos. Sed in malè faciendo* liber *eſt quiſque* iuſtitiæ, *ſeruuſque peccati: in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit, ſi vos filius liberauerit, tunc* verè *liberi eritis*. Sic docet Auguſtinus nos eligere Deum quem diligamus, ſi eum diligimus. Sed negat poſſe nos eligere Deum, niſi Deus ante nos elegerit. *Non enim*, inquit Chriſtus dominus, *vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Sic beatus Bernardus. *Arbitrÿ libertas*, inquit, *hæc eſt planè diuinum quiddam* præfulgens *in anima tanquam gemma in auro. Ex hac ineſt inter bonum & malum, inter vitam & mortem, inter lucem & tenebras* cognitio iudicij & optio. *Ne quis tamen ita putet*, inquit ille, *ideo dictum liberum arbitrium, quòd* æqua *inter bonum & malum poteſtate verſetur.*

Lib. 1. ad Bonif. c. 2.

Lib. de corr. rept. & grat. c. 1.

Tract. 86. in Ioan.

Ser. 81. in cant.

Oper. de grat. & lib. arb.

Alioqui nec Deus, nec angeli, cùm ita boni ſint, vt non poſsint eſſe mali; nec præuaricatores angeli, cùm ita mali ſint, vt iam non valeant eſſe boni, liberi eſſe dicuntur. Sed & nos illud per reſurrectionem amiſſuri ſumus. Cæterùm nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus, quoniam quòd ille non poteſt eſſe malus, non infirma facit neceſsitas, ſed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas: quòdque is non valet ad bonum reſpirare, non aliena facit violenta oppreſsio, ſed ſua ipſius in malo obſtinata voluntas ac voluntaria obſtinatio. Qui volent, plura colligent ex vtroque. Ex his enim ſatis liquet, quàm alienus ſit ab vtriuſque doctrina Caluinus.

ARTICVLVS VNDECIMVS

Argumentis theologicis & philoſophicis apertiſſimè concluditur libertatis indifferentiæ & gratiæ victricis perfectiſſima conciliatio.

SED mirari ſatis nequeo Caluinum, hominem alioquin eruditum ſe patrum omnium & matris Eccleſiæ doctorem correctoremque vltro protuliſſe ea in re, cuius ipſe craſſiſſima laboraret ignorantia. Quid enim ſit abſolutè libertas, verè neſciuit, neſciuit quid vera plenáque libertas, qui nobis pro genere tantillam particulam edidit, & quam verè neſciuit non tam eſſe veram in nobis plenamque libertatem, quàm veræ plenæque libertatis impedimentum. Sed ne nobis euadat, eſto, quod ille vult, etſi perabſurdum illud eſt, libertatem eſſe poſitam in æquilibritate; eſto gratiam Dei victricem, quod eſt indubitatum, ſuum effectum ſemper obtinere; inde-ne concludet non optare nos, non eligere, non agere libere? Nihil minùs. Cætera nunc vt ſileam, ſuis quidem electis inuigilat Deus, & eos cuſtodit in finem omnes, vt pupillam oculi; ſed præ cæteris omnibus inuigilauit Chriſto domino, qui tamen potitus ſemper eſt ſumma libertate, etſi peccare illum poſſibile non fuerit. Sit itaque propoſitum Dei, ſit diuinæ eius prouidentiæ decretum, vocatio

Digitized by Google

noſtra & ſanctorum electio : ſit impoſſibile falli Deum : ſit impoſſibile, quod ille futurum eſſe decreuit, non euenire; nihil ideo proficiet Caluinus, niſi probauerit decreuiſſe Deum ſe noſtram in nobis ſalutem non operaturum libertate noſtra. Sed contrarium euincunt ſacræ paginæ, è quibus liquet agere nos non modò liberè, verumetiam ea libertate quæ ſit electionis. Quodque bene merentes hac in vita ſanctos omnes certa docet experientia, ſuam illi ſalutem operantur, non iudicio ſimplice duntaxat & virtute conſultatiuo, ſed & explicito per occaſionem, & re conſultatiuo. Neque mirum id. Quod enim certum eſt, nemo niſi dono reuelationis, verè ſcit vtrum ſit odio vel amore dignus. Operari nos ſalutem noſtram cum timore vult Deus & tremore : quodque fatetur Caluinus, diuinus ille raptus, quo nos ſpiritu ſuo ducit Deus agitque, nobis occultus eſt. Quare cùm vocamur, vtrum è nobis an è ſpiritu verè ſit affectus ille, certa fide neſcimus. Imò, ſaltem vt plurimùm, perinde nos habemus iudicio conſilióque noſtro, ac ſi noſter eſſet è nobis hic affectus. Quod enim nos continua vitæ totius experientia docet, Deus vim omnino nullam noſtris voluntatibus infert. Alioqui vellemus & corde curreremus inuiti in odorem vnguentorum eius. Quod eſt impoſſibile. Sed Deus & ſapientiæ & potentiæ theſauros omnes poſſidet : poſſidet mentes, voluntates, ſenſus noſtros & appetitus omnes. Quod autem nos ratio docet & experientia, aduerſæ cauſæ, quales calor & frigus, ſibi inuicem obſunt ; non ſubalternæ, quales mens & voluntas. Porrò nos noſtræ voluntatis dominium habemus. Sed noſtrum qualecunque dominium ſubalternum eſt, non ſummum. Sunt enim in manu Dei cunctæ res factæ. Sed omnia diſponere nouit Deus ſuauiter, nouit à fine ad finem attingere fortiter. Quare nouit cum cauſis liberis agere liberè, cum neceſſariis neceſſariò, & cum contingentibus contingenter : alioqui non ageret cum illis ſuauiter. Ageret enim contra propriam earum naturam.

Vocetur itaque, ſi placet, ad quod voles ſanctum opus,

Digitized by Google

quis à Deo, cuius etiam, ſi vis, penitus aduerſum cor & adamantinum. Sic autem vocetur ad grande quoddam opus, vt & ſecum & cum amicis multo tempore conſulat de vertenda vita, vertendo conſilio, ſuſcipiendóque, quod illa manu ſibi fortaſſis oblatum neſcit, diuino chariſmate. Hic, quod ſole clarius, multus eſt in deliberando. Quæ nihilominus hypotheſis eſt, agit illum Deus quoties & vſquequo vult intrinſecus latente tractu. Sed quod antea iam obſeruatum eſt, non paucis hominibus tanta ſuadendi vis eſt, vt cæteris quæcunque velint, ea fere ſuadeant omnia, ſi maximè recta ſuadeant iucundáque, & cum verbis coniuncta ſit authoritas. Cæterùm, quod nemo non fatebitur, electioni nihil obeſt illa ſuaſio, etſi non ita raró dicimus nobis ab ijs ſuaſoribus extortum, quod alioqui nolebamus. Sed extrinſecus mouent nos illi duntaxat, non intrinſecus. Eorum ſermo materialis eſt & in auribus noſtris mortuus. At ſermo Dei viuus & efficax & acutior omni gladio ancipiti, & perſtringens vſque àd diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medularum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Hic eſt ſermo de quo Chriſtus dominus, *omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Reſonat autem hic ſermo apud docibiles Dei, & concipitur in cordibus eorum, velut illis è ſolis emanaret intrinſecus. Sic quencunque Deus ſermonem & qualencunque vult, excitat è nobis, qui nobis è nobis eſſe videatur, niſi nobis ſui diſcretionem dederit. Neque modò quaſcunque vult, notiones in nobis excitat Deus, ſed & quaſcunque vult, impedit. Quos metus & terrores volet, euocabit è nobis: euocabit quos volet, ſuauiſſimos aſpectus & iucundiſſimos. Erumpentes è nobis libidines attemperabit pro nutu vel omnino compeſcet. Quoſcunque volet bonos affectus noſtris in voluntatibus, inque renibus noſtris, abſolutéque ſenſibus & appetitu quouis enutriet. Dabit cor ardens, & ex algenti concretóque feruidum efficiet, vel è ferreo mollius aqua & tractabilius. Malas aſſuetudines, ſi volet, impediet omnes: ſin ita placet, eas ſenſim abſterget, vel ad nutum

ſimul

Digitized by Google

ſimul omnes. Neque nos horum quicquam omnium & ſimilium, ſi volet, ſentiemus è diuina manu latentéque proficiſci; vel ſinet id nobis eſſe dubium. Nobiſcum interea toties quoties conſultabimus, vel etiam, adhibito prudentum & amicorum conſilio; quodque demum nobis ſic affectis hîc & nunc melius eſſe videbitur & expeditius, vt mente probabimus, ita ſenſim in id voluntate propendebimus, firmabimuſque propoſitum & operabimur. Quod autem per ſe notum eſt & inter omnes confeſſum, quicquid deliberatione concludimus, ea præſertim iudicio vulgi, quæ ſit explicita, id ratiocinio concludimus. Sed vt ſpeculatiuæ ratiocinationis clauſula abſolutè nobis eſt concluſio, ita conſultationis electio. Speculatiuam hîc ratiocinationem dicimus quanuis aliam à conſultatione. Nihil autem, quod ad propoſitum intereſt, ſimplex-ne conſultatio ſit an euoluta, breuis an longa, iterata ſæpius ante captum conſilium, nec-ne.

Quod totum ita paucis abſoluo. Libertati non repugnat ſuaſio, deliberationi non repugnat, nō repugnat electioni. Sed noſtrum arbitrium ſuaſione mouet agitque Deus, non vi, non affectu cæco, non bruto, non impotente. Nos fidentes agit & ſperantes, non fidentes omnino, non intuentes. Supereſt enim velamen fidei, ſupereſt occaſio metus & tremoris. Totum vt verbo contraham, hortatur nos Deus, vim non infert. *Oramus ſemper pro vobis,* inquit Apoſtolus, *vt dignetur vos vocatione ſua Deus: Deus & pater noſter qui dilexit nos & dedit conſolationem æternam & ſpem bonam in gratia,* exhortetur *corda veſtra &* confirmet *in omni opere & ſermone bono.* Trahere quidem & compellere dicitur. Sed id duntaxat intelligendum eſt de ſuaſionis efficacia. Quod enim nemo negabit, nulla tum nobis vis infertur. Inuiti nanque non volumus, non currimus inuiti in odorem vnguentorum eius. Sed diuina ſuaſio tanta ſemper eſt, quantam eſſe vult eius author Deus. Hæc vna nobis abſolutè flexanima vis eſt, cum qua comparabiles aliæ nullæ ſunt. Nos autem latenter ita flectit illa ſuaſione ſua, quæ nobis inexplicabilis eſt, ſanctis autem experimento cognita, vt

Digitized by Google

& vincat nos & nos noſtra libertate vincat, vincatque nos in ſua manu bene merentes, quam non videmus, & in qua ſolùm ita ſperare nos oportet, vt cum metu & tremore noſtram in ea ſalutem cooperemur incerti, num adſit nobis vel abſit, ſaltem vt plurimùm. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & ininueſtigabiles viæ eius!* Sic cooperamur nos, vt ſoli nos nobis operari videamur: & cùm nihil poſſimus è nobis, meremur in ea manu quam fortè ne quidem cogitamus adeſſe nobis. Sed vt ſuaſio diuina noſtræ non obeſt libertati, ita neque dominium. Subalternans etenim dominium in ſubalterno adiuuans eſt, non repugnans. Sed ille truncus eſſet & excæcatus, qui ſeriò negaret Deum ita cum ſuis cauſis omnibus operari poſſe, vt, manente proprio earum operandi modo, primas cum illis partes ageret pro nutu, non ſecundas. Docet ſummum eius quouis titulo dominium: noſtra docet quouis titulo dependentia. Sed rationes metaphyſicas, quæ contineantur lege contradictionis vt prætercam, noſtra concluſio luce clarior eſt. Proprius etenim hominis viuendi modus eſt ratione viuere & libertate. Sed ſuaſio non repugnat rationi, neque libertati ratio. Liberum nanque regitur arbitrio. Quæ cùm ita ſint, ſuaſio non repugnat libertati. Sed nulla planè veritas eſt, quam nobis perſuadere non poſſit Deus quotieſcunque volet. Non enim fruſtra ſcriptum eſt, *& erunt omnes docibiles Dei;* neque fruſtra, *omnis qui audiuit & didicit à patre, venit ad me.* Sed nos noſtro cùm ducit arbitrio Deus, noſtróque conſilio, nos liberrimè ducit; ſi præſertim, quod velit Caluinus, accedit electio. Sed nemo ſuaſionem negare poteſt ſeu exhortationem. Hanc etenim nos docet Apoſtolus. Deinde cùm nos vocat Deus, conſilio ſemper cooperamur, eóque vt plurimùm euoluto. Clauſula porrò deliberationis eſt electio. Raptu nos extraordinario, vt liquet è beatis, agere poſſet Deus. Sed raptus iſte viuentium hominum non eſt in corpore peccati. Nemo nanque Deum vidit vnquam, & viuit. Extraordinorius Pauli raptus. Sed neque Paulus cùm viueret, nouit

Digitized by Google

modum omnem eius proprium. Raptum itaque dicimus ordinarium. Sed inexhauſta diuina vis. Quamobrem hic alius eſſe poteſt & alius. Neque rem impedit, ſi Deus cor ferreum aqua flexibilius effecerit; ſi impeditis malis aſſuetudinibus vel etiam eradicatis, bonas inſeuerit: ſi Satanæ vias omnes obſtruxerit, & impediuerit eius ſtimulos omnes: ſi fortè velit nos cum tentatione prouentum facere. Mitto cætera. Rem etenim ſola nunc è libertate meditor. Cæterùm è ſolo iudicio conſenſus, vt è ſolo conſilio iudicium. Sit autem conſilium illud re conſultatiuum vel virtute, quod iam obſeruaui, nihil intereſt. Quicquid ſit, fateâris oportet impotentem eſſe Deum qui nobis ſuadeat quancunque veritatem volet, quod impium: vel ſuaſione quicquid volet, obtenturum è nobis. Suaſionem autem euertere libertatem indifferentiæ, vbi iudicio conſultatiuo locus eſt, ſi dicis, ipſi meridianæ luci repugnas, téque, quid electio ſit, quid conſultatio, neſcire profiteris. Denique vt nos Deus agit ſuaſione, ſic eum regentem nos & gubernantem electione ſequimur.

Sed, inquies, ſi ita res habet, penes nos eſt non ſequi vocantem, non conſentire, non operari. Verum dicis, inquam, ſi metiris nos ex inſtabilitate & infirmitate noſtra: ſin è ducente manu & dirigente greſſus noſtros, tam impoſſibile eſt non ſequi nos, quàm falli Deum & impotentem eſſe, qui per nos vitium vincat in nobis. Infirmi quidem ſumus & inſtabiles è nobis, ſed omnia in eo poſſumus, qui nos confortat, qui nobis à dextris eſt. *Sic velle & nolle*, inquit beatus Auguſtinus, *in volentis aut nolentis eſt poteſtate; vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Non eſt itaque dubitandum voluntate Dei, qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, facit. Niſi fortè, vt ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraëlitarum ſubdere ſe memorato viro ſiue non ſubdere, quod vtique in eorum erat poſitum voluntate, vt etiam Deo valerent reſi-* De corrept. & grat. cap. 14.

ſtere. Qui tamen hoc non fecit niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium quò placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam *poteſtatem.* Quo toto contextu nihil illuſtrius. Quod autem hucuſque docuimus, id ſole clarius eſt; non ſtare per gratiam Dei victricem quominus operemur liberè, liberéque conſentiamus. Tum enim, quæ hypotheſis eſt, conſilio viuimus, eligimus iudicio, & voluntate conſentimus. Quod totum liberi
Epiſt. 107. arbitrij proprium munus eſt. *Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium,* inquit beatus Auguſtinus, *qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate? cùm potiùs illi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, qua* verè *ad bona* eligenda *ſit liberum.*

Verùm, inquies, ſi gratiæ debetur, quòd bene bonum eligamus, meritum nullum eſt. Imò, inquam, tantum eſt in nobis meritum, quantum in nobis eſſe vult author gratiæ. E gratia nanque metiri nos meritum oportet, non è voluntate noſtra. Totum quidem noſtrum eſt demeritum, totum malæ noſtræ voluntatis. Solis enim è nobis eſt, nobiſque propria fœditas. Quicunque verò ducuntur & aguntur ſpiritu Dei, ij bonam habent in ſe ipſis arborem, non à ſeipſis, ſed à patre qui plantauit illam. Hæc autem arbor malos fructus facere nequit. Ergo quandiu manemus in ea radicati, bonos illa fructus edit in nobis, perque nos ſuos veluti per palmites agit. Nam eos edit è libertate noſtra, è noſtra voluntate. Pater equidem cultor vitis, fateor: è vite vis in palmite, non nego: arboris propria ſanctitas omnis in fructu, aſſentior. Quia nihilominus fundum viuificat pater, eumque vſu libero fructificare facit, ſanctæ porrò libertatis proprium meritum eſt, vbi locus eſt merito, tum certè meremur. Meritoria ſiquidem apud Deum omnis operatio ſancta, quandiu currimus in odorem vnguentorum eius. Dei magis eſt iſte curſus, quàm currentium in eo ſanctorum, non nego. Sed pro certo non meretur Deus. Quid enim & à quo mereretur ipſa à ſeipſa ſanctitas? eccuius gratia ipſa à ſeipſa fælicitas mereretur?

Digitized by Google

Sed ea Dei voluntas eſt, vt & gratia, quam nobis ille confert, ſic efficiatur noſtra, vt noſtrum efficiatur totum ex ea meritum. Gratia porrò noſtra fit, quo titulo nobis datur. Meritum verò totum noſtrum eſt. Eius nanque capax humana voluntas, non diuina.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Peccato non extinctum eſſe penitus in Adamo liberum oſtenditur, aſſeriturque hæc veritas è legibus, merito, præmijs.

VVLGO docent patres Eccleſiæ primos parentes noſtros & ſibi & nobis amiſiſſe libertatem. Sed etſi grauiſſima nobis eſt, nihil ad inſtitutum hæc iactura. Adamus quidem bene viuendo, quod illi minimè laborioſum erat, ſe ſuoſque poſteros omnes liberos aſſeruiſſet à peccato, à morte liberos & ab omnibus incommodis, quam libertatem & ſibi & poſteris amiſit ſuo noſtróque ſcelere maximo. Sed non ideo libertatem amiſimus alio nomine quouis & titulo. Sic libertatem fori ſuique corporis quòd amittat captiuus, non amittit libertatem animæ. Hoc enim & illud velle poteſt & nolle pro nutu. Quod itaque confeſſum eſt, ſe malo libertatis vſu peccato mancipauit Adamus & Satanæ. Sed non exuta priuatáque fuit eius anima omni prorſus electionis iure. Neque probatione nobis opus. Satis etenim experimur è nobis, loqui nos & ambulare pro arbitrio; vel, occaſione facta, rapere nos & erogare. Deinde, quæ baſis officiorum omnium eſt, ſublata libertate, corruerent leges, iudicia, virtutes, vitia, præmia, pœnæ, laus, vituperatio, exhortatio, minæ, conſultatio, & abſolutè conſilium vitáque rationalis. Quo nihil abſurdius. Non quòd leges ad eos duntaxat ſpectent, quibus voluntas flexibilis eſt ad vtrunuis. Nanque ſanctis in cælo iubet quæcunque vult Deus, & miſeris in inferno. Permittit Satanæ Deus fortunas & corpus Iobi, vetat animam attingere. Legioni dæmonum iubet exire Chriſtus

ab humano corpore, vnáque concedit gregem porcorum. Spiritus omnes, vt verbo dicam, Dei miniſtros eſſe, nos apertè docet ſacer contextus.

Quòd ſi iam neque Satanæ demeritum vllum eſt, neque meritum beati Michaëlis vllum, cauſa non eſt, quòd libertate careant, ſed quia ſunt extra merendi viam & demerendi. Nanque Chriſto ſeruatori data ſunt à Patre mandata, quæ hac in via exequeretur; ſumméque meritus eſt, quòd obediuerit Patri, etſi nequiuit non obedire, quem impoſſibile fuit peccare. Sed infirmis nobis omnibus poteſtas eſt ad vtrunuis. Nanque nos parentes honorare poſſumus & non honorare pro nutu, vel etiam deſpicere. Præceptum illud eſt, hoc vtrunque vetitum. Quare nobis libertas eſt ad bonum & malum. Nanque bonum honorare parentes;eos deſpicere,vel etiam non honorare, malum.Sed nobis ad malum plena libertas eſt è nobis,non ad bonum. Non quòd bonum facere non poſſimus è nobis, ſed illud facere bene non poſſumus. Ne quidem enim ſufficientes ſumus è nobis bene cogitare, tantum abeſt vt è nobis perficere poſſimus, vel etiam velle bene. Quare nullas è nobis actiones elicere poſſumus meritorias æternæ vitæ, nullas apud Deum verè meritorias.

Concluditur quidem in Timæo Platonis eſſe penes vniuſcuiuſque arbitrium bene vel malè viuere. Quam ſententiam Serranus, homo de Caluini ſecta, retulit inter næuos doctrinæ Platonicæ. Sed, quod inficiari nemo poteſt, etſi Plato neſciuit verum bene viuendi principium, atque ſuo in Eüthyphrone fatetur ingenuè,neſcire ſe quid verè ſanctum, quid verè ſanctitas; is attamen cum Socrate & aliis pleriſque philoſophis, non pauca ſatis aptè ſcripſit de ſimulachris ſeu cadaueribus veræ virtutis. Has tales dico, quas vulgò dicimus virtutes humanas. Sed gliſcens è nobis cautè cauenda Pelagiana lues. Vt enim anima vita corporis eſt, ita ſanctitas vita eſt animæ, & vera ſoláque veræ virtutis forma: non, quam è ſe repetitam velint gentiles philoſophi, recta ratio. Quod denique velim obſeruatum,etſi bonum bene facere non poſſumus apud Deum,

Digitized by Google

nec apud eum verè mereri, ſi nobis deſit charitas, verè tamen bonum quodammodo bene facere poſſumus inuicem & mereri. Sic ingratam erga patriam bene meritus erat Camillus. Sic erga patrem bene meritus Cornellius Scipio, qui, quòd cæco patri Scipio verus eſſet, primus id cognomen ſortitus eſt & tranſmiſit ad poſteros.

Præmia, dices, & pœnæ quibus aſſeritur libertas, locum habent in brutis animantibus. Verè, inquam, recordatio doloris & voluptatis, quæ cadit in ſenſum, eas afficere poteſt, quæ memoria valent. Sed mente ſola cernuntur veritas & falſitas. His autem & ſolis continetur iudicium. Cæterùm de confictο brutarum animantium ratiocinio qui ſcribunt, hiſtorias de præclaris illarum geſtis non paucas congerunt inaniter. Sed quæ propria ſunt totius generis, qualis in apibus mellificatio, & præciſio germinis in formicarum horreo, ea abſque dubio neceſſitati tribuenda ſunt, non rationi. Sin eo in genere ſunt extraordinaria quædam, qualis aſinæ locutio, hæc Deo & angelis tribuenda ſunt. Liquet è ſacris paginis & è memorabilibus ſanctorum. Quòd ſi hominum corpora poſſidere poſſunt & agere mali dæmones, poſſunt & brutarum animantium corpora. Sic arbores & brutas animantes inficiunt arte magica faſcinatores. Sic hominum cura miteſcere poſſunt feræ : poſſunt, quæ dociles, aliter aſſueſcere & aliter, non in rebus infinitis, ſed pauculis admodum, ijſque ſolos ad ſenſus attinentibus. Quod autem indubitatum eſt, hiſtorias vt plurimùm falſas audimus, vel auctas & omnino mendoſas. Omnis etenim narrator rerum inanium, ſe grandium narratorem eſſe cupit & admirabilium, is autem præſertim qui ſe hoc in negotio ratione cum brutis animantibus coniunctum eſſe probare vult.

Vt verbo concludam, ſolum iudicium apud nos ratione concluditur è iudicio. Non clarum per ſe iudicium & apertum, hoc enim nobis effatum eſt, ſed obſcurum. Concluditur autem depellendæ caliginis ergo & aperiendæ veritatis, vbi nobis aperta non eſt extremorum coniunctio vel diſiunctio. Sed veritas & falſitas ſola mente capiuntur,

Digitized by Google

ſola iudicium & eius omnis nexus. Quare ratiocinium in brutis animantibus è iudicio nullum in gratiam iudicij. Sed actio libertatis, quæ conſulta voluntas eſt, conſequens eſt iudicij. Alioqui non eſſet conſulta voluntas. Quæ cùm ita ſint, neque liberum, quod ſolius eſt voluntatis; nec arbitrium, quod mentis vnius eſt, brutarum eſt animantium. Sua, non nego, indifferentia quædam eſt phantaſiæ. Quod nos illarum obſeruatio docet. Nobis enim aliquando hærere videntur, quaſi conſultarent apud ſe. Sed omnis in illis indifferentia continetur æſtimatione iucundi & moleſti, quod è ſola qualitate patibili capitur, idque ſolo affectus titulo, non bonitatis & malitiæ, non vtilitatis & damni, multò minùs turpitudinis & honeſtatis, vel etiam nexus iudicij. Hæc etenim omnia ſola ratione videntur. Sed quia patres & doctores Eccleſiæ, omnes vno ore, negant brutas animantes libertate viuere, quòd ratione non viuant, tanta nos authoritate freti, meritum & demeritum in brutis animantibus, quod eſt libertatis proprium, non commendabimus; non præmia decernemus, non laudes & encomia; ſed neque boui pabulum denegabimus, neque ſuam portionem canibus, præda capta; non his & cæteris, quæ poſtulet occaſio, ſenſus inuitamenta.

Articvlvs decimvstertivs

Hoc Apoſtoli contextu, non quod volo bonum, facio; ſed, quod odi malum, *non probari liberum in nobis extinctum.*

SIc de ſe ſcribit Apoſtolus, *non quod volo bonum, facio; ſed, quod odi, malum.* Nulla itaque, dices, in illo libertas, in nobis nulla. Cauillaris, inquam, à dicto ſecundum quid. Quod enim Apoſtolus inordinatam legem membrorum non pacaret ad nutum, illum non fuiſſe liberum concludis. Quaſi non liberè voluiſſet angelum Satanæ prohibitum, liberè noluiſſet ſtimulum carnis in ſe reſiduum. Itaque reſtabant in beato Paulo corpus peccati,

lex

Digitized by Google

lex concupiſcentiæ, angelus Satanæ. Quæ tria pugnant in nobis cum nouo homine, cum gratia, cum ſpiritu Dei. Quam in ſententiam ſcribebat idem Apoſtolus ſentire ſe legem membrorum repugnantem legi mentis ſuæ. Quo certè toto contextu cùm dicit corpus peccati, cùm peccatum dicit, & legem membrorum, ſolam non dicit partem inferiorem, qualem cum Platone cæteri vulgò philoſophi ſolam in nobis partem brutam. Quæ enim apud illos ſuperior pars, hæc, vt inferior, æquè mancipata Satanæ. Vetus Adam totus eſt venundatus peccato. Quamobrem Apoſtolo lex membrorum abſolutè, abſolutè peccatum & corpus peccati, tam eſt ſuperbia vitæ & oculorum concupiſcentia, quàm concupiſcentia carnis: & è contrario lex mentis in chriſtiano lex eſt noui hominis, gratiæ lex eſt, lex eſt viuificantis ſpiritus. *Dabo leges meas in cordibus eorum*, dicit dominus, *& in mentibus eorum ſuperſcribam eas.* Hic viuus & efficax ſermo: hunc quiſquis audiuit & didicit à Patre, venit ad filium; hæc vna veráque lex mentis; hæc vna quæ chriſtiana ſit, lex verè ſalutaris: hæc ſpiritualium hominum lex, non animalium. Scutum extinguendis telis Satanæ nobis ſemper vbiuis neceſſarium. Nanque chriſtianis colluctatio perenis eſt aduerſus mundum & pompam eius, aduerſus colaphos omnes & inſultus Satanæ, aduerſus legem membrorum, quæ concupiſcentia carnis, quæ oculorum concupiſcentia, & ſuperbia vitæ. His enim omnibus continetur vetus Adam, continetur corpus peccati, & abſolutè peccatum. Quamobrem datus Apoſtolo angelus Satanæ, qui colaphizaret eum, ne extolleretur magnitudine reuelationum.

Sed, quæ corporis infirmitas erat ex diuturnitate moleſtiarum & ærumnarum huius vitæ, veluti tædio confectus, ſic exclamat; *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.* Et idem ipſe qui nos docuit neſcire nos quid oremus, ſicut oportet, id ipſum nobis in ſeipſo declarare non erubuit. Nam etſi quoties bona voluntas eſt, bene ſemper oramus, cùm oratione dominica poſtulamus fieri Dei voluntatem

Digitized by Google

Expoſit. pſal. 85. & Epiſt. 121.

in nobis, non tamen ſemper, cùm quid diſtinctè nobis fieri poſtulamus. *Diabolus exauditur,* inquit beatus Auguſtinus, *non exauditur Apoſtolus. Petierunt dæmones ire ſe in gregem porcorum, & conceſſum illis eſt. Petiit diabolus tentandum Iob, & accepit. Sic carnes dedit Iſraëlitis, & regem ſecundum cor eorum, non ſecundum cor ſuum. Quomodo verò tantus vir non eſt exauditus? Ne magnitudine reuelationum extollar,* inquit, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet, propter quòd ter dominum rogaui, vt auferret eum à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Sic exaudiuit eum quem diſponebat damnare, & non exaudiuit eum quem volebat ſaluare. Nam multa petit æger à medico, quæ non dat medicus: non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſanitatem.* Neſcientes quid & quantùm nobis profuturæ ſint tribulationes, illas ſi patiẽter in Chriſto ſufferimus, optamus nos ab omni tribulatione liberari.

ARTICVLVS DECIMVSQVATVS

Solutio ſophiſmatis, quo videatur concludi nos non agere liberè, quòd impoſſibile ſit non eligere nos, dum eligimus.

SI quis agit liberè, inquies, vel cùm nondum determinatus eſt, vel cùm iam eſt determinatus. Primum dici non poteſt. Nondum enim agit. Alioqui iam eſſet determinatus. Sed neque ſecundum dici poteſt. Iam enim non eſt indifferens. Inanis, inquam, obiectio. Primùm enim indifferentia per ſe non eſt libertatis propria, ſed vnius eius partis, vt rationale proprium eſt animalis, vel potiùs, vt creatæ voluntatis proprium eſt habere ſe indifferenter ad bene maléque viuendum. Sed miſſa nunc libertate ad vnum, qualis in Deo, qualis in Chriſto ſeruatore, qualis in ſanctis omnibus ad iuſtè viuendum, vt rem ad ſolam indifferentiæ libertatem referamus, neceſſitas hypothetica nihil officit electioni. Cùm enim apud nos conſulimus vel etiam apud alios, iam aliquis libertatis vſus eſt. Vt enim ex oculis apertis illuſtratiſque viſio, ſic è conſultatione

Digitized by Google

procedit electio. Omnis autem conſultatio iudicium practicum eſt in gratiam electionis. Cæterùm electio abſolutéque conſenſus, qui verè rationalis eſt & conſultus, liber eſt, & quo puncto temporis incipit, & quo puncto fit. Quod alterum dictum nolo de ſola continuatione, quatenus potens eſt liberum quoddam agens actionem interrumpere, ſed quatenus liberè fit actio tum cùm fit. Semper enim intelligitur in nobis libertas à neceſſitate. A coactione dicimus, à cæco impetu naturæ, ab impetu bruto & inconſulto. Imò quoties libertas eſt electionis è iudicio conſultatiuo, etiam intelligitur indifferentia ad actionem contrariam, vel ſaltem ad negationem actionis. Cùm enim iuſtitiam amamus, ſemper eſt in nobis voluntas potens odiſſe iuſtitiam, & potens occludere ſe, non aperire. Sic intelligimus Deum ab æterno decreuiſſe ſe producturum mundum hunc ea libertate quæ electionis eſt & indifferentiæ, quatenus intelligimus ab æterno poſſibile decretum in eo contrarium, etſi ſua Deus decreta vertere nequit vel interrumpere. Sed neque fingendum illic inſtans à quo conſilij. Diuinis nanque decretis verè prius nihil eſt. Sed & eadem veritas planè concluditur è merito. Quod etenim certum, neque meritum intelligi poteſt, neque demeritum, niſi tum cùm operamur. Alioquin intelligeretur ſine actione. Quod abſurdum. Sed pariter intelligenda libertas tum cùm operamur, ſi meriti quid eſt vel demeriti. Alioquin haberentur meritum & demeritum abſque libertate. Quod alienum eſt à ratione.

Neque prodeſt objjcere moueri voluntatem à rebus objectis. Imprimis enim proprium finis illud eſt, non efficientis. Deinde ſi quæ voluntas ita mouetur, maximè beata voluntas. Hæc autem, cuius actio conſultiſſima ſit atque iucundiſſima, nec vſquam vllo prorſus impedita modo, præ cæteris omnibus liberrima eſt. Sed & in Chriſto ſeruatore iucundiſſima fuit dilectio patris, dum his in locis viueret, eáque liberrima, & vna per ſe infinitè meritoria. Vt verò concludam de flexibili vtranuis in partem libertate, ſicuti nunc à rebus objectis mouetur noſtra voluntas:

Digitized by Google

ita, quod nos de Eua docet ipſe textus, ſuo modo moue-batur in primis parentibus & angelis, vbi primùm orti ſunt. Quare nihil ad rem objectio. Poſito quidem vltimo iudicio, quæ mea ſententia eſt, non poteſt non conſentire voluntas. Sed in illa primorum parentum integritate, vel authore Caluino, non poterat voluntas non eſſe conſentanea moderationi rationis, quæ nihilominus, eo ipſo authore, tum liberrima foret.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS

Soluitur ſophiſma de præſenſione diuina, quæ verè nihil obeſt libertati.

QVICQVID præſciuit Deus, inquies, neceſſariò futurum eſt: ſed ab æterno præſciuit omnes actiones noſtras. Quare neceſſariò futuræ ſunt. Quod ſi ita eſt, vti docet iſta ratio, earum nullæ futuræ ſunt liberæ. Hac machina deterriti gentiles philoſophi, eorum alij præſenſionem diuinam ſuſtulerunt, alij libertatem. Quod vtrunque pariter abſurdum. Sed vel eorum hominum iudicio, aduerſus quos hodie diſputemus, otioſiſſima cauillatio eſt. Quod enim illi nobiſcum fateantur, quæcunque Deus vſquam operatur, ea præſciuit omnia ab æterno, etſi nihil operatur, quod non operetur liberrimè. Sic Adami & Euæ præuiſas habuit actiones omnes, omnes angelorum omnium ſuo in ſtatu primo. Sic præuiſas habuit actiones omnes Chriſti ſeruatoris & beatorum omnium. Quamobrem, velint nolint partes aduerſæ, concilianda libertas eſt cum præſcientia. Quæ cùm ita ſint, hæc objectio ſophiſma eſt, non ſyllogiſmus. Quandoquidem enim vera concludendi forma, inquit dialecticus, eadem ſemper eſt & æterna, quæcunque ratiocinatio talis eſt, vt ex ea perinde concludatur euerſio confeſſæ veritatis & quæſtionis controuerſæ, contemnenda cauillatio eſt. Ea nihilominus ſoluenda peritis. Sed eius, quæ ſe offert, prompta ſolutio.

Quoniam enim conſequentis nihil eſt, quod non ſit antecedentis, modus concluſionis nullus eſſe poteſt, niſi propoſitionis ille ſit & aſſumptionis. Cuius rei cauſas ape-

Digitized by Google

rit ſuo loco dialecticus. Et certè concluditur extremorum connexio ex eorundem connexione cum medio. Quamobrem hæc neceſſitate complecti non potes in concluſione, quæ cum medio complexus non ſis in propoſitione & aſſumptione. Cæterùm aſſumptionis propoſitæ nullus, quod nos eius inſpectio docet, modus eſt. Quare nullus eſſe debet concluſionis. Liquet ex hoc altero ſophiſmate. Quicquid candidum eſt, neceſſariò diſſipat aſpectum: ſed noſter hic paries candidus eſt: itaque noſter hic paries neceſſariò diſſipat aſpectum. Quæ concluſio nulla. Nulla nanque neceſſitas eſt aſſumptionis. Alioquin iſte paries neceſſariò candidus eſſet. Quod eſt abſurdum. Non itaque neceſſaria concluſio. Alioqui partis melioris inſuper eſſet, non deterioris. Quæ primæ bene concludendi regulæ vel indigna tyronibus inſcitia. Neceſſaria ſiquidem enunciatio, authoribus dialecticis, vniuerſalis eſt, & contingens particularis. Quare melior illa, hæc vilior. Qualis autem illa cauillatio de pariete candido, talis hæc eſt de præſenſione diuina: omne à Deo præuiſum neceſſariò futurum eſt: ſed Antichriſtus à Deo præuiſus eſt impius: Antichriſtus itaque neceſſariò futurus eſt impius. Quod ineptè concluditur. Sua nanque libertate futurus eſt impius, non neceſſitate.

Rem demum è materia ſoluere ſi vis, non è ſola forma, ſubijcies veram eſſe propoſitionem, non abſolutè, ſed adjunctione hypotheſeos. Quandoquidem enim præſcientia Dei, quæ ſcientia viſionis eſt, hoc nomine veluti conſequens eſt rei futuræ, non antecedens, cùm dicis neceſſariò futurum eſſe, quicquid præſciuit Deus, nihil dicis, niſi futurum eſſe neceſſariò, quod futurum eſt. Ne porrò quæ diſtinguenda ſunt, inuoluam, Deus, quod ſuo loco concluditur, ſuis in decretis videt res omnes futuras. Sed vel illas futuras eſſe decernit titulo prouidentis, quales ſanctorum electio & victoria gratiæ victricis: vel ſolo concurrentis titulo, quales proditio Iudæ & negatio Petri. Eas autem ęquè pariterque præſcit omnes: ſed non omnes pariter ordinat. Non enim quæcunque fiunt, opera ſunt

Digitized by Google

diuinæ prouidentiæ. Gratia victrix, quod conceſſum eſt Caluino, prouidentiæ quidem effectus eſt, ſed euictum eſt eam non obeſſe libertati. Quid autem ſibi velint caluiniſtæ, qui nobis objectent pugnare diuinam præſenſionem cum noſtra libertate, verè neſciunt. Nanque Caluinus qui docet primos parentes ante caſum ſumma libertate potitos, non ſolùm docet eorum caſum à Deo præuiſum fuiſſe, ſed idem ipſe docet peccatum Adami, quæ ratio Satanæ & angelorum eius, opus eſſe diuinæ prouidentiæ, opus eſſe diuinæ voluntatis. Quod etſi profanum eſt & iniurioſum diuinæ iuſtitiæ, ideóque nobis execrandum, rem nihilominus planè conficit aduerſus caluiniſtas. Nam ſi cum præſenſione diuina, ſi cum diuina prouidentia ſtetit libertas in primis parẽtibus & angelis ante caſum, perinde ſtare poteſt in nobis, etſi præſentiat Deus omnes actiones noſtras, eiſque, quod velit Caluinus, omnibus prouideat.

Inſt. lib. 3. c. 23.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS

Docetur ſydera non obeſſe libero, vanáque & periculoſa iudiciariorum inertia reprobatur.

RES futuræ, dices, ſæpe prædicuntur ex aſtris: non quæ ſolùm his ex inferioribus elementis, verumetiam quæ pendent è libertate. Cuiuſmodi ſunt ſeditiones, bella, cædes. Magni quidem facimus aſtrologiam, non nego, quæ deſcribit vniuerſam cælorum œconomiam pro quóque temporis articulo. Nec illam aſpernamur, quæ communia quædam effecta naturæ, quales ſiccitas, tempeſtas, pluuiæ, ſterilitas, ſalubritas, vtcunque conijcit. Experientia nanque conijciendi mater eſt, vt ſciendi. Quo nomine Tauri cæleſtis caput, in quo hyades, nobis pluuioſum. Sic funeſtos eſſe cometas docent nos hiſtoriæ, non aſtrologia docet. Sed cùm ad res ſingulares deſcendit aſtronomus, & ſpe lucri vel gloriæ ſtudio prædicere vult, quæ rarò contingunt & pendent è libertate, leuitatem artis ſuæ & temeritatem perpetuis euincit mendaciis. Neque

Digitized by Google

mirum. Proximę nanque & ſingulares cauſę conjungendę ſunt cum cauſis communibus & remotis. Quo in obeundo munere longè firmior phyſionomia & conſtantior omnibus artibus aliis diuinatricibus. Rimatur etenim cauſas proximas. Temperiem dico propriam, & quæ cum ea complicata ſunt in nobis. Quales tempeſtas, habitatio, vitæ genus, conſuetudo. Hæc enim & ſimilia intimiùs longè conſpirant & efficaciùs ad actiones humanas. Non quòd nos illa cogant vel nobis imponant neceſſitatem, ſed bonas propenſiones inſerunt & malas. Illæ promouendæ ſunt, hæ corrigendæ. Non quòd aſſuetudine contraria euertatur naturæ pronitas, ſed emendatur, ſi volumus, & attemperatur. Quodque rationis imperio ſubſit in eo, qui rationis compos eſt, ſeu fræno eget ſeu ſtimulo noſtra quæuis indoles, ſuus cuique modus eſſe poteſt, niſi ſibi deſit ſui ſuarumque rerum moderatrix ratio. Sic animaduertunt Plato & Ariſtoteles, docentque neminem eſſe naturâ malum. Quod verum eſt. Sed neſciebant ſe natos eſſe malos fœdo originis commercio, non natura. Quare etſi nobis moderari poſſumus, ſanctè nobis moderari non poſſumus è nobis.

Quod ad iudiciarios attinet, eorum non ita rarum eſſe, qui nimiæ curioſitatis fructus eſt, cum dæmone commercium, quis neget? Eos quis neget imperitos vt plurimùm omnes & ignaros veræ & conſtantis aſtrologiæ? Quæ cæterùm euentura ſunt, quanuis è ſolo nutu Dei pendeant, ea ſæpe nota dæmonibus, qui ſunt iræ diuinæ miniſtri, quis ignorat? Docent hiſtoriæ Iobi & Achabi. Docet Apollonij ſophiſtæ exclamatio apud Epheſeos, quo temporis articulo Domitianus Romæ trucidabatur. Docent quæ Iannes & Mambres coram Pharaone maleficia ſuis incantationibus ediderunt. Neque noſtris hiſce temporibus otioſus Satanas. Quare cum diuinatoribus illis iuſtè ſanctéque commercium inhibet mater Eccleſia. Quod enim certum, iudiciarij his in rebus quæ pendeant è nutu, ſi pythonica deſit inertia, omnino cæci ſunt, etſi, quod ex occaſione bellorum ſimiliumque capitur, eorum aliquis fortè verum

Digitized by Google

quid effutiat. Nanque tum captas vrbes vel receptas, obtentaſque victorias; vel principis alicuius viri hac vel illa tempeſtate obitum, nobis tanquam vaticinium vel artis experimentum obtrudere, ludere eſt. Si tamen cæcorum eas legiones quis haberet, quas famelicorum orbis iudiciariorum, eoſque ſagittis inſtrueret omnes, quas illi mitterent indeſinenter, eorum fortè quis aliquando ſcopum attingeret. Vendibilium ludus is eſt horoſcoporum.

CAPVT QVARTVM

De præcipua determinatione liberi arbitrij.

ARTICVLVS PRIMVS

Num arbitrij & liberi ſolubile coniugium, vel indiſſolubile.

LIBERVM ſeorſim non dico vel arbitrium, ſed totum ex vtroque complexum. Sic enim loquitur ſacra ſynodus Tridentina, ſic beatus Auguſtinus, cæterique vulgò patres Eccleſiæ. Sed cauenda nominum ambiguitas. Arbitrium nanque nutum ſi dicis & dominium, idem dicis cum libero, neque propterea rerum complexum dicis hoc nominum complexu: ſin arbitrium dicis iudicium vltimum, qui proprius eſt nominis ſignificatus, verum dicis complexum, liberum arbitrium cùm dicis. Differt quidem iudicium ab arbitrio vſu forenſi, quòd legibus magis teneantur iudices quàm arbitri. Sed nihil ad inſtitutum ea diſtinctio. Noſtrum nanque nos arbitrium non ſoluit à legibus. Miſſo verò nunc inferiore appetitu, miſſis voluntariis omnibus organis, ſolùm hîc de mente & voluntate diſputatur. Vno autem omnium iudicio & menti & voluntati, ſua quædam eſt vtrique quibuſdam in rebus indifferentia, in quibuſdam non eſt. Quod vtrunque abſolutè dicitur vel ex conditione. Indifferens Deus abſolutè qui iudicet creandum eſſe Michaëlem, non qui iudicet iuſtè ſibi viuēdum, quem impoſſibile

impoſſibile ſit iniuſtè viuere. Nos autem indifferentes hac in via, qui iuſtè viuere velimus, & iniuſtè. Sed beati, poſito lumine gloriæ, etſi per ſe ſunt indifferentes, non poſſunt non iudicare colendam eſſe iuſtitiam, neque miſeri poſſunt non iudicare eam eſſe deteſtandam.

Cæterùm arbitrium hîc deliberationem non dico, non abſolutè conſilium, ſed latam mente ſententiam, quæ vulgò philoſophis eſt iudicium vltimum. Sed quia cùm de rebus conſultamus, puta, de vouenda Deo virginitate, vel ineundo matrimonio, neceſſitatem non habentes, poteſtatem autem habentes noſtræ voluntatis, & hoc iudicamus in corde noſtro, in eóque firmi ſtatuimus, ſeruare virginitatem, vt iudicium mentis eſt & propoſitum voluntatis, ita menti ſua eſt indifferentia & voluntati ſua. Vt enim indifferens es, qui vouere velis; ſic indifferens, qui tibi vouendum eſſe iudices. Cùm itaque iudicas tibi vouendum eſſe, déque voto ſtatuis, matrimonio virginitatem mente præfers & voluntate. Quod cùm ita ſit, ſua quædam eſt electio menti, & voluntati ſua.

Sed quæſtio ſupereſt, num, poſito arbitrio iudicio-ve vltimo, voluntas ita reſtet indifferens, vt penes eam ſit ſtatuere contrarium, vel occluſam habere ſe; puta reijcere cælibatum vel habere ſe ſuſpēſam à velle quouis & nolle: an è contrario tanta ſit harum inter ſe virium affectio, vt ſemper concordes inter ſe ſint, nuſquam diſcordes. Sed quandoquidem ignoti nulla voluntas, nullus conſenſus niſi vltimo è iudicio certè ſi de amore & odio conſultatio eſt exempli gratia, non de vtriuſque ſuſpenſione, ſe tum ſuſpenſam habere nequit voluntas, ſtante iudicio. Alioqui vellemus, quod nobis in mentum non venit, non venit in conſilium. Quare neceſſum eſt eorum vnum velle nos, quæ in conſilium veniant. Quæ cùm ita ſint, nequit eſſe liberum abſque arbitrio, vel arbitrium abſque libero. Sed non ideo concors vtrunque, ſi fieri poteſt, vt vnum ab altero diſſentiat.

Nanque neceſſitatem qui volunt cum libertate penitus incompoſſibilem, quòd illi libertatem poſitam eſſe velint

in propria ſolius voluntatis indifferentia, etſi concedunt neceſſarium eſſe iudicium practicum quoties vnum è multis eligimus, ita nihilominus præcipuam eſſe voluntatis indifferentiam ſtatuunt in eo munere obeundo, eamque talem eſſe contendunt, vt è duobus quæ mente proponantur, qualia cælibatum diceres & matrimonium, quorum vnum, puta cælibatum, iudicemus melius eſſe nobis nobiſque conſultius hîc & nunc & expeditius, velint poſſe nos opera voluntatis eiuſque proprio nutu, ſtante illo iudicio, nolle cælibatum, & velle matrimonium, quanuis vt plurimùm eas in partes voluntate propendemus, in quas inclinet mens. Sic effutiunt ore, quod in ſe nuſquam experti ſunt. Si tamen, quod nos Auguſtinus, Bernardus cæterique magni nominis theologi docent, datur libertas ad vnum, qualis in Deo voluntas iuſtè puniendi, non iniuſtè: qualis honorandi Deum in beatis mentibus, non deſpiciendi: qualis deſpiciendæ virtutis in dæmonibus, non amandæ: qualis obedientiæ ſelectio in Chriſto ſeruatore, non rejectio: otioſæ ſunt euaſiones aduerſæ.

Sed earum inanitas planè conſpicitur è quouis iudicio virtute conſultatiuo, non re. Tum enim vnicum re proponitur. Vt cùm ſcribo, ita ſeligo literas, vt aptæ ſuccedant è calamo abſque comparatione vel etiam cogitatione cæterarum. Imò, quod nos experientia docet, impediret aliarum comparatio vel etiam citiſſima quæcunque cogitatio, non iuuaret. Diſtraheret enim. Quare tum velle non poſſumus, niſi quod vnum in mentem venit. Nulla ſiquidem ignoti volũtas. Sed neque ſuſpẽſioni locus eſt, cùm intenti ſumus operæ. Tum enim illa nobis non venit in mentẽ. Quod attamen nos actus vitæ continuus edocet, vno fere hoc iudicio viuimus. E mille ſiquidem actionibus noſtris, ne vnam reuocamus ad deliberandi trutinam. Quod autem nemo negare poteſt, liberè tum eo iudicio viuimus, delectuque viuimus, etſi comparatione non deligimus. Alioqui nec intemperantes, occaſione facta, ſe precipites agunt liberè ſuas in libidines; nec ab ijs fœditatibus abſtinent liberè temperantes, cùm nulla conſultatione facta,

Digitized by Google

eas abhorrent. Quod cùm abſurdum ſit, hæc qualiſcunque neceſſitas non obeſt libertati. Sed neque, quod nos antea è ſanctis patribus Auguſtino & Bernardo aduerſus Caluinum euicimus, vera neceſſitas eſt. Rationalis etenim eſt & conſulta, non violenta, non cæca, non bruta, non inconſulta.

ARTICVLVS SECVNDVS

Num aptè Socrates, virtutem eſſe bene viuendi ſcientiam?

SED obſeruandæ melioris notæ philoſophorum ſententiæ. Virtus, authore Socrate, eſt bene viuẽdi ſcientia. Quæ Socratis opinio ſi valeret, virtus omnis reſideret in mente. Scire nanque ſolius mentis eſt, non voluntatis. Quare reprehenditur à Platone & Ariſtotele. Nanque voluntati ſuæ ſunt veræ virtutes, quæ pro certo ſcientiæ non ſunt. Quod nobis chriſtianis planiſſimè conſtat è charitate & vniuerſo eius comitatu. Deinde prudentia, quæ cæterarum virtutum oculus eſt, vt mens voluntatis, verè non eſt ſcientia. Prudentia nanque conſultandi habitus eſt, non demonſtrandi. Si quo vſquam in eximio viro, qualis eſt habitus ſocrates, ſapientiæ nomen promeretur, eatenus virtute conſultatiua eſt, vt ſapientia in ſcientiis demonſtratiua virtute. Sed hæc illos inter philoſophos controuerſia, meo certè iudicio, grammatica magis quàm philoſophica. Suam etenim bene viuendi ſcientiam non dicebat Socrates differendi ſubtilitatem, non mathematicas artes, non ſpeculatiuas abſolutè, ſed qualem dicimus ſcientiam medendi & peritiam, vel qualem dicit Ariſtoteles beatitudinem practicam. Non quòd vniuerſam hanc animi ſupellectilem, vt conſtat è dialogis Platonis, negligeret Socrates; ſed bene viuendi ſcientiam, quæ doctrina morum continetur, eorumque peritiâ maximè, quæ nobis eſt prudentia, ſatis eſſe duceret ad bene beatéque viuendum. Quandoquidem enim omnis prauus ignorans, quicunque peccat, eatenus imprudens eſt. Ne quidem enim aliter peccauerunt primi parentes noſtri & angeli

Digitized by Google

præuaricatores. Non quòd peccauerint ignorantia diuinæ legis, vti liquet ex Euæ colloquio cum Satana, ſed, obtenta diuinitatis larua, peccauerunt.

Quòd itaque nullum numē abſit, ſi nobis adeſt prudentia, hāc fortaſſis vnā, quæ cæteras virtutes definiat, virtutem dicere voluit Socrates, vnūque ex aduerſo vitium imprudentiam. Vt enim nos vulgò negamus bonas aſſuetudines appetitus veras eſſe virtutes: ita fortaſſe Socrates virtutis nomine dignas eſſe negabat aſſuetudines omnes prudentiæ ſubjectas. Sed quod neque Socrates obſeruauit, nec eius diſcipuli Plato & Ariſtoteles, vt mens eſt in gratiam voluntatis, ita prudentia nobis eſt in gratiam cæterarum virtutum. Quæ ratio non eſt aſſuetudinum brutæ partis. Hæc etenim eſt in gratiam ſuperioris partis animæ. Quæ voluntatis ad mentem alia planè ratio. Nemo nanque dicere poteſt eſſe voluntatem in gratiam mentis, vel operas voluntatis ad illas mentis eſſe referendas. Quòd itaque virtutes & vitia negarit in voluntate Socrates, malè ſenſit: bene verò, quòd voluntatem affirmarit ſuo quouis in opere ſequacem eſſe rationis.

Articvlvs tertivs

Quæ felicitatis cauſa Platoni, quæ miſeriæ?

10. de Republ. Protag. Phædr. Theag. &c.

Nostra fœlicitas omnis & miſeria, ſi Platoni credimus, pendet è iudicio. Illo ſiquidem authore, viri prudentis eſt bona cum bonis committere, cum malis mala, & bona cum malis. Bona dicit, quæ voluptatis ergo cupiamus & lætitiæ: mala dicit iniucunda, quæ doloris & moleſtiæ cauſa metuamus. E bonis vincere maius oportet. Alioqui nati non eſſemus ad bonum affecti. Minus nanque bonum eo titulo defectus eſt & quodammodo priuatio majoris. Quare ſi malorum optio ſit, vincit leuius. Quòd enim minus malum ſit priuatio boni minoris, quodammodo bonum eſt. Sed apud nos quouis in munere complexa ſunt bonum & malum. Malæ ſiquidem actiones, quæ primùm voluptuoſæ ſunt, deſinunt in grauiores

Digitized by Google

moleſtias. Quales immoderatæ potationes. Alioqui non habendæ ſunt malæ. Actiones bonæ, quæ primùm moleſtę ſunt, quales curationes medicæ, majores in voluptates deſinunt. Alioqui bonæ non eſſent. Quamobrem indigna sũt bona vincere, ſi minora malis: digna vincere, ſi majora.

Neque refert, ſi præſens eſt voluptas & dolor futurus, vel præſens dolor & futura voluptas. Si nanque nos bene metiendi peritos haberemus abſque vllo prorſus errore, ſemper vinceret in nobis maior voluptas, vinceretque moleſtia minor. Sed quòd eædem magnitudines cominus viſæ maiores appareant, eminus minores, de his bene ſtatuere ſi volumus & errores obſeruare, egemus arte geometrica. Quandoquidem ergo ſalus humanæ vitæ conſiſtit in recta comparatione doloris & voluptatis, neceſſaria nobis eſt ſcientia, quæ bene comparet moleſtias & voluptates inter ſe. Hac bene viuendi ſapientia, quæ prudentia vulgò philoſophis eſt, diuinius apud Platonem nihil (non nouerat ille charitatem, non eius comitatum, non lumen de lumine,) nihil potentius. Sed quia remotæ voluptates & moleſtiæ habent ad ſenſus noſtros, vt ad oculos pendentes è cælo faces, ea miſeriæ noſtræ, noſtræ cauſa calamitatis.

Sciuit quidem Plato bellum pecudis cum ratione grauiſſimum: ſed, quod ſocraticum eſt, voluntatis cum ratione nullum vſquam agnouit. Cæterùm è turpitudine & honeſtate repetita comparatio, vel, quod idem eſt, è bonitate & malitia, videretur magis decere philoſophum. Sed in vnum verè recidunt hæc omnia. Vitium nãque ſua manet acerbitas, ſuáque virtutem iucunditas. His autem præſertim afficitur homo pecus, vix honeſtatis & fœditatis appellatione. Sed etſi docet Plato neminem malum maius eligere, cùm minus eligere poteſt, docetque nos conſilio quærere ſemper quod melius, ideóque conſulendos eſſe peritos, alioqui nos aberraturos eſſe ſemper, noſtramque conſultationem talorum iactui ſimilem; quodque liquet ex eius dialogis, toties electionis & voluntarij mentionem faciat, ita nihilominus, quod per occaſionem

Digitized by Google

obſeruandum eſſe cenſeo, hæc, ſi bene memini, promiſcuè ſemper vſurpat, vt nuſquam liberum apertè dirimat à voluntario.

ARTICVLVS QVARTVS

Ariſtotelis ecquæ doctrina de libertate, ecquid eius προαίρεσις? Inuoluta certè quæſtio, ſed è profundiſſimis ſophiſtices adytis pro viribus euoluenda.

NEQVE mens Ariſtotelis alia quàm Socratis de ſempiterna neceſſariáque rationis & voluntatis concordia. Eo ſiquidem authore, ſi nobis adeſt prudentia, nulla virtus abeſt. Omnis etenim homo prauus, ignorans. Sed à Socrate diſſentit, quòd alias præter prudentiam virtutes admiſerit cum Platone & aliis philoſophis. Cæterùm Ariſtotelis doctrina de propoſito ſeu delectu talis eſt. Προαίρεσις, quæ conſilium promiſcuè dicitur & delectus & propoſitum & electio & optio & liberum & αὐτεξούσιον apud interpretes, non eſt volitio ſeu appetitio, inquit, non intellectio, non opinio, non conſultatio, ſed *appetitus conſultatiuus, intellectus appetitiuus, appetitus intellectiuus*, abſolutè *totum ex appetitu & opinione conſultatiua.* Addit προαίρεσιν ita dictam eſſe, quòd ſit delectus, *delectum autem melioris eſſe ſeu majoris, non minoris, non vilioris:* concluditque tum enaſci *impetum* aliquem in nobis ad agendum, vbi *de meliori conſtat* inter conſultandum, atque nos ſecundum illud iudicium appetere.

Ethic. lib. 3. cap. 1. 4. 5. 8. lib. 6. cap. 2. & 5 Magnor. moral. lib. 1. cap. 18. Eudem. lib. 2. cap. 8. 10. 11. lib. 5. c. 9. lib. 3. de anima cap. 11. 2. phyſic. c. 4. 6.

Sed vtrum hæc Ariſtotelea προαίρεσις liberum arbitrium expleat, expleat τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ ἑκούσιον, τὸ αὐτεξούσιον, dignum eſt obſeruatione. Suam nanque προαίρεσιν delectum eſſe vult; delectum autem totum eſſe ſtatuit ex appetitu & opinione conſultatiua. Quam alteram partem talem eſſe dicit, quòd cùm de pluribus mediis (vias ſeu rationes & cauſas dicimus obtinendi finis) conſultamus, de meliori non omnino conſtet. Si nanque nobis planè conſtat de meliori, nec vllus eſt, quod eſt opinionis proprium, du-

Digitized by Google

bitationi locus, nulla tum opus eſt conſultatione. Imò eſſe nulla poteſt. Siquidem habetur, quod ea perquiritur. Sed vbi demum ita perquiſitum eſt, vt de meliori nobis iudicio noſtro conſtet, quod melius eſſe iudicamus opinione conſultatiua, idipſum vnà volumus; non alterum, quod vilius eſſe videatur & deterius. Qua certè doctrina planè conficitur, quod nos hoc capite volumus. Nimirum voluntatem iudicij ſequacem eſſe ſemper, nuſquam abſolutè repugnantem, ideóque liberum nuſquam eſſe ſeparandum ab arbitrio, concors ſemper vtrunque, nunquam diſcors. Hunc autem totum delectum ſemper eius eſſe medij, quod nobis hîc & nunc ſic affectis melius eſſe videatur.

Sed non ideo libertatem explet ariſtotelea προαίρεσις. Alioqui nulla Dei libertas, nulla beatorum, nulla Chriſti ſeruatoris. Dubitationi ſiquidem locus illic nullus, nullus opinioni, conſultationi nullus, vbi pleniſſima dies æternitatis. Deinde, quod nobis certum eſt, rerum delectus in Deo non repetitur è rebus ipſis. Non enim voluit nos è nihilo vocare Deus, quòd præſtemus aliis hominibus infinitis, quos inde vocare noluit. Quare ſuorum è ſe conſiliorum rationem habet, non è nobis. Si dicis Ariſtotelem liberum è nobis explicuiſſe, non abſolutè liberum, non repugno. Magna ſiquidem hîc ariſtotelea nubes. Vt enim quæ gratiæ ſunt & diuinæ reuelationis myſteria ſileam, num author rerum & motor electione Deus, an neceſſitate ſecundum Ariſtotelem, perquirere ſi vis, purum hac è ſentina nihil vſquam hauries.

Sed neque liberum ſatis explicuit iſte Genius è nobis, ſi, quod velint aduerſæ partes, is ſuum cum libertate delectum reciprocum eſſe voluit. Primùm nanque liberum abſolutè non eſt electio. Non eſt, inquam, illa popularis electio, quæ propria ſit indifferentiæ. Seu nanque finem mihi propono, ſeu medium eius obtinendi, quod fortè ſit vnicum, perinde ſum ἀυτεξούσιος. Neque neceſſitas obeſt. Si nanque rationalis eſt & conſulta, non pugnat cum dominio. Alioqui Deus verè non eſſet dominus ſuorum

operum. Nam eorum neceſſitate dominus eſt, non optione. Sic Deus, quod nos antea docuit beatus pater Auguſtinus, ſumma libertate veritatem amat, mendacium odit: odit iniuſtitiam, amat iuſtitiam. Deinde nulla προαίρεσις ariſtotelea, ſi nulla ſit obſcuritas, dubitatio nulla: ſed non ideo nulla libertas, vel etiam indifferentia nulla. Si nanque, quod Ariſtotelis exemplum eſt, mihi ſcribendum eſt nomen *Archilis*, quòd mihi notæ ſint omnes eius literæ, illas liberè non ſeligo inter ſcribendum, certè eas liberè non ſeliget niſi dubius & ignarus. Sic, quod perinde fatuum, tyronem in grammaticis liberum dicemus in faciendo contextu, quod hæſitet dubius & conſultet, grammaticum negabimus. Quæ tyronum & peritorum in bellicis, forenſibus & medicis ferme ratio. Quæ temperantis & intemperantis ad incontinentem. Denique ſi valent προαιρέσεως ariſtoteleæ deſcriptiones, ignoratio ſola, ſoláque dubitatio, quod plenæ libertatis verum impedimentum eſt, cardo verſus eſt & vnus libertatis ariſtoteleæ. Quo nihil inſulſius. Obex nanque libertatis illi libertas eſt, ſi modò ſua illi ſola προαίρεσις abſolutè libertas eſt. Hæc ariſtoteleos obſeruare deceret, non de lectis his è littoribus conchis triumphos agere.

Authore ſiquidem Ariſtotele, quod inculcandum cenſeo, *προαίρεσις appetitus eſt conſultatiuus*. Quod autẽ certum eſt, & quod ipſe toties inculcat, de ijs ſolùm conſultamus, quæ nobis dubia ſunt, & quorum incertus nobis eſt exitus. Quòd ſi res magnæ ſunt, nobiſque diffidimus, alios adhibemus in conſilium. Quamobrem, inquit ille, non conſultamus de ijs omnibus quæ ſpectent ad finem. Alioqui res abiret in infinitum. Non itaque de ſingulis deliberat medicus, non mercator, non patronus. Neque famis explendæ cauſa, ſi panem comedis, vel iter facis lucri cauſa, de quoque paſſu vel fruſto conſultas. Quæ cæterorum ratio. Hæc nihilominus omnia libertate facimus. Imò quæ ſimplice iudicio facimus, vbi præſertim nullus eſt conſultationis vſus, ea maiore libertate facimus. Tum enim expedita mens, non impedita. In his autem locum non habet

cunctabunda

cunctabunda προαίρεσις ariſtotelea. Sed nullam ideo electionem eſſe ſi dixeris, vbi meliorum optio, ridiculum te præbebis & abſurdum.

Quæ citra cōſultationem facimus, ea, fateor, *voluntaria* dicit Ariſtoteles, negat *eligibilia*. Sed oculis ille ſuis videbat, nos noſtris omnes, ſi volumus. Quaſi verò non eligeret Deus, quòd nihil ignoret, non eligeret Chriſtus dominus, beatæ mentes non eligerent. Quaſi verò mouendorum in alueolo latrunculorum artem abſolutè qui poſſident, quòd illis in mouendis non hæreant, non deliberent; deliberent autem tyrones & hæreant, eligerent iſti, illi non eligerent. Profectò dicere non eligere nos meliora, quæ certò nouimus; incertos autem & dubios eligere quæ meliora conijciant, abhorret ab omni iudicio. Cæterùm eligibilia ſunt, quæcunque nos eligimus, vt quæ videmus, viſibilia.

Authore eodem Ariſtotele, *ſitum in nobis eſt ea facere & non facere, quorum principium in nobis eſt.* Sed ita ſcribit ille, quòd verum ſit vt plurimùm, veluti diceres animal incedere. Alioqui propoſitio apertè falſa. Quod neque partes aduerſæ negare poſſent. Alioqui eas fateri oporteret omnem voluntatis operam eſſe liberam. Cuius contrarium planè velint. Eodem authore, προαίρεσις ad eas res attinet, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Sed non ideo quæcunque ſunt in noſtra poteſtate, ſpectant ad illam προαίρεσιν. Contrarium nihilominus vulgò concludunt, quicunque nomine προαιρετέος ariſtoteleæ liberum abſolutè comprehendi volunt. Sic authoritate ſua reciproca faciunt, quæ neque reciproca ſint, neque dixerit vſquam Ariſtoteles eſſe reciproca. Quinimo ſic de illius ſuæ προαιρέσεως obiecto concludit. *Quandoquidem*, inquit, *obiectum electionis, & conſultationis obiectum, & obiectum appetitionis eorum eſt, quæ ſunt in poteſtate noſtra*, προαίρεσις, *quæ eſt appetitio conſultatiua, eorum eſt quæ ſunt in noſtra poteſtate.* Quæ concluſio perinepta eſt, niſi voluerit Ariſtoteles omnia quæ eligibilia ſint, & deliberabilia, & appetibilia, eſſe ſita in noſtra poteſtate. Alioqui tale foret illius ratiocinium: quædam

Digitized by Google

appetibilia ſunt in noſtra poteſtate: ergo electio, quæ eſt appetitio, eorum eſt, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Quaſi coruum eſſe quadrupedem concluſiſſet, quòd aliquod animal ſit quadrupes.

Sed aliud eſſe ſuam προαίρεσιν, aliud ſitum eſſe quid in noſtra poteſtate, is apertè docet. Quanuis enim conſultamus de ijs quæ ſpectant ad finem, non tamen de omnibus; alioqui res, eo ipſo authore, abiret in infinitum. Quod autem nos ipſe docet, etſi domini ſumus habituum, vbi primùm gignuntur, non tamen vbi adoleuerint. Quod ideo dicit, quòd tum aſſuetudo veluti verſa ſit in naturam, neque nobis in promptu ſit ea nos exuere. *Sed actionum,* inquit, *à principio ad extremum domini ſumus, ſi modò cognitionem habemus rerum ſingularium.* Quam exceptionem addit, quòd non ita raró, nulla præeunte animaduerſione, ſponte velut è natura procedant actiones ex habitu. Sic vngues rodimus aſſuetudine, & veluti colloquimur aliquando, cantamuſque, vel digitis veluti cythara ludimus. Quæ quòd ita fiant, non eſſe dicimus in noſtra poteſtate. Verum nanque dominium oportet eſſe rationale. Sed ſi conſilium adeſt, etſi virtute conſultatiuum duntaxat, non re, actionum quibus efficitur habitus, & earum quæ ſuccedunt ex habitu, domini ſumus omnium. Quod autem ex eodem Ariſtotele liquet, non verè conſultamus de omnibus. Quamobrem, eo ipſo authore, reciproca non eſt hæc eius προαίρεσις cum eo quod eſt in noſtra poteſtate.

Quinimo, authore eodem Ariſtotele, omnium quæ fiant, cauſæ ſunt *natura, neceſſitas, fortuna, deinde mens, & quicquid mens per hominem agit.* Quod ſi verum eſt, certè neque natura fit, neque neceſſitate, neque fortuna, neque mente ſola, quod per hominem agit mens. Artes & ſcientias omnes per ſe velut agit mens, & his paſcitur apud ſe. Sed per hominem agit, quicquid ore, manu, pede & cæteris, quæ voluntaria ſunt, organis operatur. Sic mediorum penitus omnium & finium pariter omnium voluntatem agit mens per hominem. Neque tamen id ſe ſola mẽs agit, neque natura, neque neceſſitate, neque fortuna,

Digitized by Google

Id igitur agit libertate. Et certè quæ dubitationis nihil habent, hæc cùm agimus, quod ita ſuccedit, vbi præſertim habitus adoleuerunt, etſi nullus eſt dubitationi locus, hæc mente facimus & voluntate, non vi, non impetu cæco, non bruto, non caſu, non neceſſitate. Aliam igitur apud ariſtoteleos oportet eſſe libertatem, quæ non ſit ariſtotelea προαίρεσις. Vno ſiquidem omnium iudicio prima libertas & abſolutè libertas eſt voluntas à neceſſitate libera.

Imò neque voluntatis ſeorſim, poſito conſultationis iudicio, aliam habes ex Ariſtotele libertatem. Quod enim docet ille conſtanter, prudens nequit eſſe malus, nequit eſſe bonus imprudens, nequit inclinatio voluntatis eſſe contraria iudicio. Voluptate quidem ferimur in mala, & honeſta fugimus propter moleſtiam, ſed oritur id ex euerſione mentis. Ignorat enim improbus omnis quænam agenda ſint, & à quibus abſtinendum. Nonnulli quidem improbi melius opinantur, ſed non ideo melius deliberant. Tum enim, inquit, illis *eripitur videndi facultas* per nequitiam, obtenta voluptate vel alio quouis affectu malo. Sic autem cohærent opinionis conſultatiuæ iudicium & appetitio in ariſtoteleo delectu, vt neutrum ſeorſim ſit delectus, ſed *ambo ſimul,* inquit idem Ariſtoteles, *prout in vnum conſpirant.*

Quod igitur ex his omnibus liquet, authore Ariſtotele, contrarias in partes diſtrahi non poſſunt mens & voluntas. Quod perinde liquet, habetur vera προαίρεσις, quam neget Ariſtoteles eſſe προαίρεσιν. Habetur denique vera libertas, authore eodem Ariſtotele, quæ non eſt eius προαίρεσις. Abſolutè ſiquidem libertas actus eſt actio poſita in nobis, in poteſtate noſtra, cuius nos domini ſumus. Id niſi dicis αὐτεξούσιον, tibi certè nullum illud eſt. Quod autem obſeruatum velim, ſuam προαίρεσιν ſi nobis explicuiſſet Ariſtoteles de conſilio re conſultatiuo & virtute, docuiſſetque conſultationem in nobis eſſe remedium ignorantiæ, fœliciùſque ſuccedere delectum, vbi res apertæ ſint; atque reciprocum illum eſſe vel non eſſe reciprocum

Digitized by Google

cum ijs quæ ſita ſint in poteſtate noſtra, certam eius de noſtra libertate ſententiam haberemus. Sed ille σοφίαν cæteras inter artes ingenuam profeſſus eſſet, non affectatæ ſophiſtices ἀτεχνίαν.

Neque audiendos eſſe puto, quibus noſtra voluntas agit vt natura, non vt libera, quoties deliberatione non agit, niſi voluntatem inconſultam & irrationalem dicere volunt. Alioqui rem, vti liquet ex ijs quæ diximus antea, non ſolùm abſurdam dicunt, verumetiam alienam prorſus ab Ariſtotelis doctrina, qui mentem ſemper oppoſuit naturæ, ſemper ea quæ mente fiant, ijs quæ fiunt natura.

Articvlvs qvintvs

Ut Socrates, Plato & Ariſtoteles; ita beatus Thomas, Magiſter ſententiarum, SS. Bernardus, Damaſcenus, Ælredus arbitrium & liberum æterno iungunt & indiſſolubili coniugio.

1. p. q. 82. art. 1. & q. 83. art. 3. & 4. in 2. ſent. diſt. 24. ad 3. SED illum indiſſolubilem nexum arbitrij & liberi ſic aſſerit beatus Thomas. *Ad electionem*, inquit, *concurrit aliquid ex parte cognitiuæ virtutis, & aliquid ex parte appetitiuæ. Ex parte cognitiuæ requiritur conſilium, per quod dijudicatur quid ſit alteri præferendum: ex parte appetitiuæ requiritur, quod appetendo acceptetur, quod per conſilium dijudicatur. Sic autem*, inquit ille, *collatio quæ importatur nomine electionis, attinet ad conſilium. Appetitus enim non eſt collatiuus, etſi collationis* ſimilitudinem aliquam *habet, prout à vi cognitiua motus vnum alteri præoptat.* Addit quidem liberum arbitrium magis inclinare ad voluntatem. Sed id maximè probo. Nanque liberum totum voluntatis eſt, & arbitrium proprio nominis vſu mentis. Vt autem mens eſt in gratiam voluntatis, ſic arbitrium in gratiam liberi. Sed quod demum ſcribit liberum arbitrium ſolius eſſe voluntatis, arbitrium nutum dicit & dominium, non iudicium, non ſententiam, quam nos arbitrium dicimus, cùm arbitrium proprio nominis vſu dirimimus à libero. Sic autem

illud vſurpat, quod αὐτεξούσιον dicit beatus Damaſcenus, quodque ſcribit eſſe rationale, vel nullum eſſe. *Eſt enim electio*, inquit idem beatus Thomas, *actus* præconſiliati *appetitus; & ita eligere principaliter actus eſt voluntatis: non tamen abſolutè, ſed ſecundum quod manet in ea virtus intellectus vel rationis conſiliantis. Vnde ſic conſiderata voluntas nominatur liberum arbitrium, & non abſolutè.*

Sic hanc in rem Magiſter ſententiarum, vbi liberum arbitrium dixit facultatem eſſe rationis & voluntatis, atque volũtatis eſſe liberum, & arbitrium rationis, ſic ea colligit. *Hoc rationale noſtrum*, inquit, *non ad vnitatis diuortium ſeparatum eſt, ſed in auxilium ſocietatis quaſi deriuatum, in ſuo diſpartitur officio. Et ſicut vna caro duorum eſt in maſculo & fœmina: ſic intellectum noſtrum & actionem ſiue rationem & appetitũ rationalem, vel ſi aliquo modo ſignificantiùs dici poſſunt, vna mentis natura complectitur, vt ſicut de illis dictum eſt, erunt duo in carne vna, ſic & de his dici poſſunt duo in mente vna.* Bene quidem & appoſitè, ſiquidem ducitur mente voluntas velut in ea foret & ab ea veheretur. 2. ſent. diſt. 24. & 25.

Sed rem adhuc expreſsè magis ſanctus Bernardus. *Libertas*, inquit, *eſt conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem & rationis* indeclinabile *iudicium*. Qua definitione noſtram ad ſententiam magis expreſſum dici nihil poteſt. Si nanque voluntas reſtaret indifferens, poſito iudicio vltimo, hoc idem iudicium non eſſet indeclinabile. Quæ definitionis euerſio. Neque ſequitur liberam non eſſe voluntatem. Hæc etenim neceſſitas, ſi modò dicenda neceſſitas eſt, non obeſt libertati. *Vt cogi non poterat voluntas ante peccatum*, inquit Magiſter Scholæ Pariſienſis, *ita neque modò. Ideóque voluntas* meritò *apud Deum* iudicatur, *quæ ſemper à neceſſitate libera eſt, & nunquam cogi poteſt. Vbi neceſſitas, ibi non eſt libertas: vbi non eſt libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum.* Tract. de grat. & lib. arb.

Vbi concluſit B. Thomas voluntariũ eſſe quod eſt ſecundũ inclinationem volũtatis, neque fieri poſſe, vt voluntarium coactum ſit & violentum, ita rem abſoluit è partibus. *Neceſſitas finis*, inquit ille, *non repugnat voluntati, quãdo ad*

Digitized by Google

finem non poteſt perueniri niſi vno modo. Sicut ex voluntate tranſeundi mare fit in voluntate neceſsitas, vt velit nauem. Similiter etiam nec neceſsitas naturalis repugnat voluntati. Quinimo neceſſe eſt quòd ſicut intellectus ex neceſsitate inhæret primis principijs: ita voluntas ex neceſsitate inhæreat vltimo fini, qui eſt beatitudo. Sic autem, quod eſt obſeruandum, concludit de affectu, non de opera. Non enim beatitudinem, quod diſtractione fit, ſemper amamus, etſi eam ſemper amamus, quoties venit in aſpectum noſtri conſilij. Sed hoc qualecunque voluntarium, de quo beatus Thomas, & quocunque titulo neceſſarium, id apertè declarat idem eſſe quod liberum. Ad id enim quod ſtatim obijcitur ex beato patre Auguſtino, neceſſarium repugnare voluntario, hac authoritate fretus, reſpondet intelligendum illud eſſe de neceſſitate coactionis: alioqui neceſſarium, quod naturale ſit, non impedire libertatem voluntatis. Vbi demum obiicitur liberum non eſſe, quod ab alio mouetur, noſtram autem voluntatem à Deo moueri, neque propterea liberam eſſe, ſic occurrit. *Deus*, inquit, *eſt prima cauſa mouens & naturales cauſas & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis mouendo eas non aufert quin earum actus ſint naturales, ita mouendo cauſas voluntarias non aufert quin earum actiones ſint volũtariæ, ſed potiùs hoc in eis facit. Operatur enim in vnoquoque ſecundum eius proprietatem.* Quæ ſolutio mera cauillatio eſt, non ſolutio, niſi voluntarium abſolutè liberum eſſe vult. Cæterùm non nego beatum Thomam his quæſtionibus de voluntate & libero arbitrio præſertim explicare libertatem indifferentiæ. Sed contendo, eo ipſo authore, ſolam coactionis neceſſitatem repugnare libero, aliam planè nullam, ſi modò iudicio viuimus. Verum expreſſam magis eius doctrinam hac de neceſſitate ſuo loco referemus. Hîc enim duntaxat probandum aſſumpſi liberum nuſquam eſſe contrarium arbitrio.

Sic autem explicatur indiuiduus iſte mentis & voluntatis complexus à beato Damaſceno, vt quicquid mentis eſt in conſilio, id voluntati tribuatur. *Voluntas*, inquit, *rationalis eſt & liber & naturalis appetitus. Sed in hominibus qui*

Digitized by Google

compotes ſint rationis, magis ducitur iſte naturalis appetitus, quàm ducat. Quòd enim in eodem appetitiuæ vires & cognitiuæ coniugæ *ſint, liberè cum ratione mouetur, appetit liberè, liberè vult, liberè quærit & conſiderat, conſultat liberè, liberè indicat, afficitur liberè, liberè eligit, liberè fertur, agitque liberè in ijs quæ ſpectant ad naturam.* 1. orthod. c. 22.

Sic beatus Bernardus, vbi docuit habere nos inter bonum & malum, inter vitam & mortem, inter lucem & tenebras cognitionem iudicij & optionem electionis è libertate, *inter ipſa*, inquit, *cenſorius quidam arbiter us animæ oculus dijudicat & diſcernit, ſicut arbiter in diſcernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis.*

Sic beatus Ælredus. *Conſenſus quædam eſt actio animæ: liberum arbitrium quædam animæ vis atque natura, qua conſentit habens iudicium ſibi inſitum, quo eligit, cui conſentiat. Sed quia conſenſus fit voluntate, iudicium ratione, hæc duo, voluntas & ratio, liberum conſtituunt arbitrium.* Et paucis verſibus interjectis; *ex his ergo duobus,* inquit, *vt diximus, liberum videtur conſtare arbitrium, ex libertate ſcilicet voluntatis & arbitrio rationis.* Lib. 1. ſpeculi charit. cap 10.

Articvlvs sextvs

Arbitrij & liberi coniugium aſſeritur authoritate ſacri contextus.

SED & iudicio ſemper aptam eſſe voluntatem ſatis apertè nos edocet ſacer contextus. Non quòd noſtra voluntas ſibi ſatis eſſe poſſit ad velle & perficere cum illuſtratione mentis. Alioqui naturalis eſſet vtraque hæc eius actio, non ſupernaturalis. Quod abſurdum. Quoties itaque nos illuminat Deus & érudit, pios abſque dubio & comites affectus excitat in voluntatibus noſtris. Sed eos ſuæ ſemper altiſſimæ eruditioni conformes excitat, minimè diſcrepantes. Cæterùm eruditionem hic quanuis illuminationem non dico, ſed viuam & efficacem, qualis illa de qua Chriſtus dominus: *omnis qui audiuit à patre & didi-*

Digitized by Google

cit, venit ad me: hæc eſt vita æterna, *vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Viuus autem non eſſet & efficax ſermo Dei, niſi conſentiret voluntas. Verè tamen viuus eſt & efficax, quoties eo perſuademur. Quod perſuaſionis & conſenſus, quod arbitrij & liberi indiſſolubile coniugium eſt. Sed verum ſanctumque de Chriſto domino ſermonem, qui reſonat ad aures noſtras, nemo capere poteſt, niſi datum illi fuerit deſuper. Quòd ſi firmus eſt in nobis ille ſermo, neque ſicut paruuli fluctuantes circumferimur omni vento doctrinæ, firmatur pariter voluntas. Sic exhortatur corda noſtra Deus & illuminando confirmat *in omni opere & ſermone bono.*

Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, inquit Apoſtolus, *non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc* iudicauit *in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, bene facit.* Sic è iudicio cordis & firmo cordis propoſito, etſi neceſſitatem non habemus, ſed poteſtatem voluntatis, firmatur in bono voluntas. Cordis autem iudicium cùm dicit Apoſtolus, & cordis oculos illuminari poſtulat exhortarique corda noſtra, mentem quæ voluntatis oculus eſt, dicere vult, non ipſam præcisè voluntatem. Cor equidem, non nego, vſu populari principium eſt, vnde erumpunt affectus: ſed & eodem populari iudicio, qua de re poſtea, cor vt plurimùm habetur ſentiendi principium. Vt autem habet ſenſus ad appetitum, ita mens ad voluntatem. Quam in ſententiam exire cogitationes malas è corde dicit Chriſtus dominus, non appetitiones. Has porrò dicit homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemias, auaritiam, dolum, nequitiam, malum oculum, impudicitiam, ſuperbiam, ſtultitiam. Non quod has fœditates ſolius eſſe mentis nos docere velit, ſed quòd tales illæ ſint in voluntate, quales in mente conceptæ fuerint, nuſquam aliæ. Alioqui ſi mente noſtra vltimo iudicio ſuo propendente in pietatem exempli gratia, blaſphemiam eligeremus opera voluntatis, hæc ad cogitationem non attineret, non attineret ad perſuaſionem. Quæ diuinæ ſententiæ contradictio eſt. *Beatus homo quem tu erudieris, domine,*

Digitized by Google

domine, & de lege tua docueris eum. Quales nanque ſementes, talia certè germina; tales fructus, qualis arbor.

Sic operum Dei præcipuorum, quæ vocatione noſtra continentur & prædeſtinatione ſanctorũ, captus admiratione exclamat his verbis Apoſtolus. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & ininueſtigabiles viæ eius!* Quibus nos non modò docet Apoſtolus talem eſſe Dei voluntatem, tales eius eſſe vias omnes, qualis eius ſapientia, qualis eius ſcientia, qualia ſunt eius conſilia, ſed mentem eſſe cauſam omnis in voluntate propoſiti, cuius etiam in Deo veluti conſequens ſuo modo voluntas.

Melioris autem apud nos optionem eſſe, melioris eſſe delectum, qui verborum ſignificatus eſt, docent nos eodem è contextu hiſtoriæ. Sic ad ſenes ingemiſcens Suſanna. *Anguſtiæ mihi ſunt vndique; ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi non egero, non effugiam manus veſtras, ſed mihi* melius *eſt abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Dei.* Exclamat itaque. Sic Dauid, cui trium dabatur optio; *coarctor nimis*, inquit, *ſed* melius *eſt, vt incidam in manus domini, multæ enim miſericordiæ eius, quàm in manus hominum.*

Articvlvs septimvs

De primis cauſis, vnde maioris boni delectus, nunquam minoris; & minoris mali, nunquam maioris.

VT ratione rem ipſam euoluamus & repetamus ab origine, quicquid volumus, medium illud eſt vel finis. Sed & medium omne finis eſt. Alioqui non eſſet medium. Duorum nanque medium eſt cùm minimùm, quicquid verè medium eſt. Hoc autem finis eſt eius à quo, & medium eius ad quod. Sic è lana filum, è filo pannus, è panno veſtis. Itaque finis vltimus eſt vel medius. Cauſarum nanque ſubalternarum progreſſus in infinitum, impoſſibilis. Alioqui nullum eſſet effectionis exordium, extremum nullum. Quæ cauſarum omnium & effectorum

Digitized by Google

euerſio. Quamobrem ſuus aliquis eſt vltimus finis mediis omnibus. Sed & inter ea quibus comparatur finis, veluti lucrum diceres aut victoriam, quoddam eſſe primum oportet, quod extremum ſit, non medium. Sic induſium è lino vulgò dicitur, & è lana veſtis. Cætera quæ filum, quæ tela, quæ pannus, media ſunt. Non tamen extremum abſolutè linum eſt, non lana, ſed homo cui parantur veſtis & induſium. Sic mercator ſe primum habet inſtrumentum faciendi lucri, & imperator obtinendæ victoriæ. Sed primum glorificandæ diuinæ maieſtatis inſtrumentum eſt creatura rationalis. Hæc itaque cymba, cuius author Deus & rector, extremum eſt abſolutè. Hæc eorum omnium quibus inſtruenda ſit obtinendæ fœlicitatis ergo, finis eſt cui. Cætera ſuo ordine media ſunt omnia. Siquidem extremus finis abſolutè, vel eſt finis cui, vel finis cuius gratia. Hic verè finis eſt & vltimus finis. Eum vltimum eſſe liquet. Alioqui non eſſet extremus. Sed & verè finis eſt. Finis etenim eſt, cuius gratia aliquid fit. Sed finis cui hoc titulo verè non eſt finis, etſi eum verè finem eſſe alio titulo nihil obſtet. Sic fœnum eſſe dicimus in gratiam equi. Sed ephippium in gratiam equi, vel habenas, minùs aptè diceres. Sic veſtis & cibus ſuo modo ſunt in gratiam hominis, non mentibus noſtris ſuperſcripta lex diuinitus, non cordibus noſtris infuſa charitas. Hoc etenim depoſitum in nobis talentum eſt in Spirituſancto, quo quicunque aguntur, ij rectà ſuum in finem aguntur. Sed & fœnum & equus, vtrunque in gratiam equitis eſt & agricolæ. Quod attamen neutrius opus eſt, quod factum eſt vtrique donum. Sed creatura rationalis & eius omnis apparatus proprium opus eſt diuinæ maieſtatis. Quamobrem hæc quæ ſibi quodãmodo data ſit, & ſibi quodammodo ſuæ quæ tutelæ cõmiſſa, & cui cætera data ſunt omnia quibus vtatur, vt maximo beneficentiſſimóque conditori ſuo æternùm fideliſſimè ſeruiat & obſequentiſſimè, abſolutè verus eſt & vnicus extremus finis cui, non medius. Finis autem vltimus abſolutè ſummum bonum eſt. Quod etenim nos Metaphyſice docet, hic vnicus eſt, cuius gratia ſunt, quæ-

cunque ſunt omnia, præter ipſum. Hæc beatitudo, cuius comparandæ inſtrumentum abſolutè primum per ſe intrinſecus eſt creatura rationalis. Alioqui vt virtute media ducimur, ita medio homine vel angelo duceretur quæpiam alia res hunc ad finem. Quod abſurdum. Nos etenim omnes illum è nobis optamus nobis intrinſecus. Sed his è litoribus in portum vaſtus patet & ſcopulis & vorticibus & ſirenis & prædonib⁹ & naufragiis infeſtus & infamis oceanus. Fælix autem quiſquis, auſpice Deo, ſoluit; quiſquis, eo duce, in portũ defertur. Nauicularia nobis opus, opus viatico, velis opus & remis huic cymbæ, cæteriſque munitionibus & auxiliis. Quæ ſunt in manu gubernatoris omnia.

Sed vt dicendi vela contraham, beatitudo confusè dicitur & vniuerſim, vel ſingulariter & diſtinctè. Vltimus finis vniuerſim & abſolutè cadere nequit in deliberationem. Hunc odiſſe non poſſumus, non poſſumus non amare. Nemo ſiquidem eſt, qui ſe miſerum velit, qui ſe beatum non optet. Sed ſe beatos non optant omnes eodem titulo. Varius nanque & multiplex hominum ſcopus, variæ longæque diſcrepantes eorum viæ. Quod autem certum nobis eſt & indubitatum, vera fælicitas vnica, quæ nobis omnibus eſt glorificatio diuinæ maieſtatis. Vt enim melodia finis eſt cytharæ, ita creaturæ rationalis gloria Dei. Sed non omnes norunt finem hunc; & qui norunt, non ideo norunt viam; & qui viam norunt, illam non ideo tenent. Has aberrationes operatur in nobis vetus Adam, operatur Satanas vbiuis ſemper intentus inſidiis. Quia verò factus eſt homo glorificandæ diuinæ maieſtatis inſtrumentum, finis autem inſtrumenti melior eſt inſtrumento, hic finis homine melior. Quare nobis ille præ nobis amandus eſt, ſiquidem propter ipſum quocunque titulo facti ſumus. Sed incuruata ſcelere noſtra voluntas eſt & ſupra modum inflexa. Rem nos plenè docet experientia, non cauſam; nemo nanque gentilium philoſophorum apertè diſtinctéque nouit, vnde nobis iſta malorum illuuies. Sed diuina nos vtrunque pleniſſimè docet reuelatio. Quare niſi nos diuina vis è nobis retrahit, nos amamus ipſos præ

rebus aliis; & quicquid amamus, id amamus propter nos. Extremorum execranda commutatio! Hæc impotens concupiſcentiæ poteſtas, quæ ſola victrice gratia vincitur. Sic peccato nobis facti nos noſtri contra naturam Dij. Deus vnus ſua ſibi vera fælicitas eſt, ſéque ſolus per naturam ſeipſum amat ſanctiſſimè & cunctas res factas propter ſeipſum. Sunt etenim omnes propter illum factæ. Is autem ſibi finis eſt & principium & origo ſui, qui ſolus eſt à ſeipſo. Quòd ſi cadentes nos & in terram præcipites retrahit miſericorditer, illum propter ſe tum amamus cæteraſque res quas amemus, amamus propter ipſum, quandiu nos ille ſuſtinet. Alioqui ſi deſerit ille nos manumque retrahit, proni relabimur. Sed cùm illum amamus bene pro diuino eius beneficio, etſi nos eius ad aſpectum veluti contemnimus nos, nos attamen odiſſe nos verè non poſſumus, etſi moleſtias omnes & calamitates noſtras odiſſe poſſumus, odiſſe poſſumus noſtras fœditates & nequitias omnes. Neque deſpectus ille verus eſt deſpectus qualiſcunque bonitatis in nobis. Hanc etenim tenemur diligere propter authorem cuius glorificandi verum inſtrumentum eſt. Et ſicuti nos, ita vicinos omnes eo ipſo nomine diligere tenemur. Alioqui ſi nos noſtris concupiſcentiis permittit Deus, nos propter nos amamus, cæteráque propter nos omnia, quæcunque velimus. Sed nos, quod è nobis nouimus omnes, odiſſe nos non poſſumus noſtri titulo. Imò nos non poſſumus hoc ipſo nomine non amare nos vel opera vel affectu. Omnes autem abſolutè beatitudinem amant. Quod idem experimur è nobis.

Cæterùm oritur amor iſte vel ex amore noſtri, vel ex amore beatitudinis. Nam ſi quæ præter hæc extrema diligimus, ea media ſunt. Finis autem non amatur propter medium. Alioqui medium eſſet, non finis. Quæ beatitudinis euerſio. Hæc enim finis eſt vltimus. Cæterùm extrema mediis colligenda ſunt, non extremis media. Sed vtrum nos amore beatitudinis amemus nos, an beatitudinem amore noſtri, quiuis è ſe nouit, experitur è ſe, non ex aliis, etſi poſſumus è quouis audire,

Digitized by Google

quid ipſe de ſe ſentiat. Illam autem propter nos amamus, ſi regnat in nobis concupiſcentia. Sin gratia regnat in nobis, beatitudinem amamus propter ſe, & cætera propter ipſam omnia. Cùm dicimus amare nos beatitudinē propter nos, non nego, verbis abutimur. Tum enim nos, verſo cardine, vltimum nobis finem habemus. Sed quia vel deſperatum quenque pudet dicere ſe ſibi ſummum eſſe bonum, ait diuitiis nihil ſibi videri melius, vel deliciis & ſimilibus aliis, qui nihilominus hæc omnia vnius ſui gratia velit. Cùm itaque dico nos amare beatitudinem amore noſtri, ſi regnat in nobis concupiſcentia, etſi vel agatur de Deo quem ſic amemus, beatitudinem veritate dico, non affectu naturæ contrario. Tum enim verſa ſunt apud nos extrema. Hoc eſt, nos nobis dij ſumus, veramque beatitudinem, quæ Deus eſt, ad nos affectu præpoſtero eóque peruerſiſſimo referimus. Sed vt non poſſumus non amare nos, ita nos odiſſe non poſſumus. Quam propter cauſam non poſſumus nō odiſſe miſeriam. Vtrum porrò miſeriam oderimus amore noſtri vel amore beatitudinis, commodè nos è nobis intelligimus. Si nanque miſeriam oderimus ſceleris odio & amore diuinitatis, oritur & amor & odium ex amore beatitudinis. Sin è contrario beatos nos eſſe volumus propter nos, ita propter nos nolumus nos eſſe miſeros odio pœnarum, non amore iuſtitiæ. Sic amat ſe Satanas; ſic eius omne mancipium.

Quæ cùm ita ſint, etſi nō venit in deliberationē, vtrū nos eſſe fœlices velle debeamus, & nolle nos eſſe miſeros, verè nihilominus beatitudo ſingulariter & diſtinctè venit in deliberationem, venit eius obtinēdæ modus. Sic deteſtandæ miſeriæ modus, quod eſt motiuū, venit in deliberationem. Num ſcilicet hanc propter nos odiſſe debeamus, an veræ. beatitudinis amore. Sed vtrum tibi ſis amandus ipſe, non habēdus odio, in deliberationē nuſquam tibi venit, neque venit in deliberationē vtrum amabilis abſolutè fœlicitas & odibilis abſolutè miſeria. Quod autē odiſſe non poſſumus, id amare poſſumus duntaxat; & duntaxat odiſſe, quod amare non poſſumus. Quamobrem nullus hîc conſulta-

Digitized by Google

tioni locus, nullus electioni, quæ ſit poſitorum in noſtra poteſtate contrariorum. Neque valet illis in quatuor quæ vulgò dicitur libertas contradictionis, ſi modò res accuratè perpenditur, non vſu populari. Nos enim ſic amamus nos affectu, cùm nos actu non amamus, vt quandiu nos hoc nomine cogitamus, verè tandiu nos amemus, neque poſſimus non amare nos. Nos id ſingulos è nobis experientia docet. Quare ſola diſtractione cogitationis interrumpitur hic amor, non electione. Quæ nolendi nos odiſſe ratio. Quæ ratio beatitudinis amandæ & deteſtandæ calamitatis. Sed amare diuitias & odiſſe poſſumus electione, electione poſſumus vtrunque ſuſpendere. Neque nos amandi & nos odio non habendi alia, quod ad propoſitum, quàm beatitudinis & miſeriæ ratio. Si nanque non poſſumus non odiſſe miſeriam, non poſſumus non amare nos. Quanuis enim hanc odiſſe poſſumus odio ſceleris & amore diuinæ maieſtatis, ſi nos adjuuet Deus, eam nihilominus deteſtamur omnes amore noſtri, pauci deteſtantur amore iuſtitiæ, etſi huius amore illam deteſtantur, quicunque ſe ritè diligunt. Quæ cùm ita ſint, miſeriam omnes abſolutè deteſtantur amore ſui, ſiue miſeros dicis, ſiue beatos, ſiue nos in via præcipites è nobis.

Quòd ſi vera beatitudo ſingulariter apud nos excæcatos peccato venit in deliberationem, meliore certè titulo in deliberationem venit omnis alius finis. Alius nanque finis omnis medium eſt aſſequendæ beatitudinis. Quare ſanitas, lucrum, victoria, honor, ſcientia & quiduis aliud, quod non habeas pro vltimo fine, tibi venire poteſt in deliberationem, ſi dubitationi locus eſt, alioqui certè venit in conſilium virtute deliberatiuum, non re. Tibi nanque medium eſt aſſequendi boni maioris. Sed ex quo finem tibi conſtituiſti, cuius gratia cætera moueas, ſiue medius ille ſit ſeu vltimus, ipſe, quandiu ſtat propoſitum, in conſilium non venit, ſed in conſilium veniunt eius obtinendi media. Eorum nanque, quod recta ratio poſtulet, faciendus eſt delectus. Exceptioni tamen hîc locus eſſe poteſt. Finem enim ſi tibi propoſueris, medium dicas vel vltimum, nihil refert, cuius obtinendi medium vnicum eſt,

Digitized by Google

tibi profectò renunciandum huic fini, vel hoc vtendum medio. Si Peruuiam inuiſere vis exempli gratia, tibi de nauigio prouidendum eſt. Sic veram aſſequi beatitudinem ſi vis, vnica tibi via, oſtium vnicum, qui Chriſtus dominus eſt. Quare tum hoc ipſo nomine nullus conſultationi locus. Sin ignoras vnicam eſſe viam, vel hanc aſſertam ſingulariter non habes & diſtinctè, deliberare poteris. Sic deliberare poteſt & Iudæus & Mahumetanus de vera conſequendæ veræ fælicitatis via. Sed demiſſus è cælo Paulus non poterat: non poterat, cælos qui viderat apertos, Stephanus. Sic inter ſcribendum vbi non ambigimus quomodo ſcribendum ſit, non conſultamus de ſeligendis literis. Quòd ſi conſequendi finis plura media ſunt, conſtet autem de meliore, nullus eſt conſultationi locus. Quòd ſi de meliore non conſtat, in remedium ignorantiæ venit conſultatio. Hæc enim melioris eſt, de quo non conſtet, adinueniendi cauſa. Quod vbi iudicio noſtro vel etiam aliorum quibus vtamur, nobis certò compertum eſt, vel, prout fert occaſio, dubitanter, vt in illud mente non poſſumus non inclinare magis, ita neque voluntate. Alioqui non eſſemus amore maximo erga nos & beatitudinem affecti, nec auerſi penitus ab odio noſtri & fælicitatis. Vt enim maiore bono propiùs accedimus ad finem & ad beatitudinem abſolutè: ita minore veluti recedimus per contemptum maioris. Quaſi minores bonæ valetudinis acceſſiones maioribus anteponerent ægroti, minora maioribus lucra negotiatores, & imperatores leues victorias maximis. Res è paribus meditor, non ex occaſionibus extraneis, quales ducibus illis eſſe poſſunt, qui bellum alere velint. Res item è conſilio meditor, meditor ex arbitrio, è quo liberum pendet. Nam vel fœdiſſimus quiſque meliora ſcire poteſt & opinari, etiam dum deliberat, ſed, obtentis interea laruis, ſenſim excæcatur.

At ne longiùs excurram, ſic ab arbitrio diſſentire nemo poteſt, vt quod per illud ſibi melius eſſe videatur hîc & nunc, id aſpernetur; & quod videatur eſſe vilius, id præoptet. Semper enim noſtro quouis opere ad finem aliquem

Digitized by Google

aſpiramus. Quare ad eum accedere volumus, non ab eo recedere. Imò finem quiſquis abſolutè vult, eum cuperet obtentum: aueret obtentam cauſam, qui litem intendit: vites qui paſtinat, vindemiare cuperet: ſe Romæ cuperet eſſe, hinc qui Romam petit alio fine nullo inter faciendum iter. Cùm itaque per media ſic ad finem contendamus, vt eum caperemus obtentum: ita certè nos eodem affectu obtenta cupimus eius propiora quæque media. Optimum autem mediorum omnium & medium fini proximum reciproca ſunt. Quæ cùm ita ſint, quo nos affectu finem abſolutè volumus præ medijs, eodem planè vicinius illi medium præ cæteris omnibus. Id autem eſt, quod opinione conſultatiua perquirimus, ſi nobis incertum ſit. Quamobrem, vt quod melius nobis eſſe videtur, non poſſumus non iudicare tale; ita neque poſſumus in illud non propendere voluntate. Neque libertati id officere poteſt: Alioqui lux officeret menti, officeret illi veritas. Quod nemo dicet. Sed vt menti non officit lux, veritas non officit, ita neque voluntati bonitas. Vt ergo lux maior ad mentem, ſic ad voluntatem maior bonitas. Hoc eſt, vt mentibus ſuauior proueniens è bonitate lux, quò maior; ita voluntatibus noſtris ipſa per ſe bonitas. Maioris etenim bonitatis auidior per ſe voluntas, & ſummæ bonitatis auidiſſima. Voluntatis igitur alia non eſt pronitas ad bonitatem, quàm intellectus ad aſpectum veritatis, ad approbationem melioris, quandoquidem de hoc non iudicat, neque magis in id ſuo propendet arbitrio, niſi in gratiam voluntatis. Imò vt ad bonum facta voluntas eſt, ſic ad melius. Quæ reciprocatio ratiocinationis eſt. Alioqui niſi pariter eſſet ad melius affecta voluntas, facta per ſe non eſſet ad fœlicitatem. Non enim ad eius viam affecta foret intrinſecus. Neque mihi probanda videtur ea claritas. Vt enim ad eius viam affecti ſimus, oportet affectos eſſe nos ad maiora bona. Alioqui non eſſemus ad illam viam affecti. Ea nanque non niſi per maiora conficitur. Quòd ſi verò affecti non eſſemus ad viam fœlicitatis, neque nos ad illam affectos haberemus. Verùm eius amantes ſumus omnes intrinſecus, non amore

quouis,

Digitized by Google

quouis, ſed eo qui maximus eſt & ſempiternus. Quare maiora nos ad bona pariter affectos oportet intrinſecus. Alioquin haberemus nos intrinſecus affectos ad finem, neque haberemus. Pariter enim haberemus nos ad contrarium affectos, ſi nos haberemus æquilibres ad proximum eius medium & remotum. Quæ euerſio eſt affectæ intrinſecus illum ad finem naturæ. Neque refert, ſi media negligimus vt plurimùm aptiora, ſi minùs apta præferimus vel etiam repugnantia, ſi nos paſſim æquilibres habemus & fluctuantes & vertibiles. Fœtus etenim eſt ignorantiæ. Alioqui prauus omnis non eſſet ignorans. Quod falſum. Ignorantiam autem dicimus, niſi officiorum, certè deliciarum, quæ è libidinibus obtentæ decipiunt nos; & moleſtiarum, quæ ex officijs.

Totum autem id vel apertiùs euincitur ex acceptione malorum. Sic enim odio miſeriæ, quam abominemur omnes intrinſecus, quamque cupiamus à nobis remotiſſimam, ſi maximè ſubit in mentem exquiſitiſſimi doloris acerbitas, non poſſumus è malis quæ ſubeunda ſint, hoc ipſo nomine non velle minora. Quod cuique longè notius eſt, quàm lucere ſolem. Nam & cæcis & ſurdis à natura perinde notum eſt. Neque refert explicitè cogitemus finem vel implicitè, ſi modò volumus illum efficaciter. Ardet enim imperator amore victoriæ, ardet negotiator amore lucri, libidinum ſtimulis ardet voluptuarius; ardemus omnes odio miſeriæ & amore felicitatis, etſi, quæ conditio mentis impeditæ, quæ iacentis hac in via Lazari, deliciarum vmbris & moleſtiarum, ſomno, curis & formis paſſim oberrantibus veluti inſomnijs diſtrahimur. Ex his autem cauſas habes & origines primas delectus. Vt enim miſeriam beatitudini poſtponimus, ita maioribus bonis minora: vtque beatitudinem miſeriæ præferimus, ita maioribus malis minora. Id nos omnes docet ipſe ſenſus, ſempiterna docet experientia. Volitionis igitur & nolitionis eadem ſcala. Supremus gradus felicitas: infimus miſeria: medij cæteri. Illius volitio ſola: huius ſola nolitio: vtraque mediorum omnium. Hos attamen gradus, vti liquet, velle non poſſu-

Digitized by Google

mus prout à felicitate diſtant, & nolle prout diſtant à miſeria. Quod autem liquet ex extremorum comparatione, voluntas omnis quodam modo delectus eſt. Sed delectus felicitatis vniuerſim neque conſultationis partus eſt, neque flexibilis in miſeriam voluntatis. Sed veræ beatitudinis verus eſſe poteſt delectus, iſque vertibilis in via, non in patria.

Articvlvs octavvs.

Concluditur voluntatem addictam eſſe ſemper vltimo iudicio.

Nos vltimùm ſemper & abſolutè determinat mens in obeundo munere libertatis, non ſua quauis opera, ſed vltimo iudicio. Quod iudicium ideo nobis vltimum eſt, quòd inter illud & conſenſum nullum aliud intercedat: alioqui remotum eſſet, non proximum, non vltimum. Quod eſt impoſſibile. Non enim volumus hoc articulo temporis, quæ nouerimus aliàs, eo autem ipſo non intelligamus. Ignoti ſiquidem nulla voluntas, nulla cæcæ voluntatis memoria. Porrò voluntas, authore Durando, mentis ita ſequax eſt, vt tota libertas iudicio contineatur. Placet Bellarmino non eſſe ſitum in nobis reſpuere iudicium. Sed libertatem ita voluntatis propriam eſſe vult, vt eam in negatione volitionis & nolitionis ſitam eſſe velit, non in volitione, non in nolitione. Quòd vterque menti voluntatem addictam eſſe ſtatuat, maximè probo. Sed quòd ait Bellarminus libertatis vſum mera negatione contineri, nihil abſurdius. Quòd libertatem mentis eſſe propriam, non voluntatis ſcribit Durandus, contrarium ſumma nos edocet omnis authoritas. Nos itaque cum beato Damaſceno, cum ſancto Bernardo, cum Magiſtro ſententiarum, cum beato Thoma & alijs, voluntatem ita iudicio comprehendi volumus, vt velimus liberum vnius eſſe voluntatis proprium. Verum quidem dominium oportet eſſe rationale. Sed ideo maximè proprium voluntatis eſt, quòd iudicium abſolutè ſit in gratiam volitionis, non volitio in

gratiam iudicij. Etſi nanque non volumus niſi quod ratio dictet, nihil tamen volumus, quod è nobis non velimus; nihil, quod nutu noſtro non velimus & arbitrio. Quòd ſi rationalis non eſt iſte nutus, neque verè liber eſt. Sed etſi rationalis eſt, non ideo ſemper & cuiuis rationē reddere iubemur, ſed quibus & quando lex exigit, exigit ipſa ratio. Deus vnus vni ſibi ratio, ſuorum vnus habet à ſeipſo rationem operum omnium, nec eorum authorem habet alium à ſeipſo. Suorum rationem operum omnium cæteri reddent omnes, etiam de verbo otioſo. Nihil porrò vel è ſacris paginis, vel è concilijs maximæ matris Eccleſiæ nobis obijci poteſt: nihil è ſanctis patribus vel etiam è doctoribus & philoſophis, quorum vlla ſit vel in ſcholis authoritas. His autem rationibus inſuper aſſeritur noſtra concluſio.

Articvlvs nonvs

Voluntatem addictam eſſe iudicio concluditur è fixo beatorum iudicio & miſerorum.

Nemo poteſt eligere malè, qui malè iudicare non poſſit. Conſtat è Deo, è Chriſto ſeruatore, è beatis mentibus. Quòd ſi iudicium è contrario malum ſemper eſt, mala ſemper eſt voluntas. Conſtat è dæmonibus, qui nihil vſquam bene velint. Quòd ſi ſumus imprudentes in capiendo conſilio & vt plurimùm inconſiderati, perinde peccamus. Quòd ſi media ſit prudentia, neque rarum certè peccatum eſt, neque frequens. Quæ tyronis grammatici ratio & poëtæ tyronis. Teſtem habemus experientiam. Quoties enim conſultamus apud nos, tandiu voluntate hæremus, quandiu mente pendemus & occupamur in rebus conferendis inter ſe & æſtimandis. Semper autem volumus, quod amabilius eſſe iudicamus hîc & nunc & nobis optabilius. Nemo ſiquidem expertus vſquam eſt ſe pluribus è bonis eligere, niſi quod iudicet ſibi melius eſſe hîc & nunc & expeditius: neque pluribus è malis, quod grauius & importunius, penſatis omnibus vndique circun-

Digitized by Google

ſtantijs. Se quiſque conſulat, & habeat, ſi modò vult, teſtem conſcientiam. Nanque rationem quærere & experientiæ contradicere, hominis eſt inſanientis. Quæſtio cæterùm eſt, num velis quæ tibi volenda iudices, & nolis quæ iudices tibi nolenda; an è contrario, quod vel pueris abſurdũ ſit, quæ nolenda tibi iudices, ea velis; & nolis, quæ iudices tibi volenda. Num denique iudices nolendum è malis grauius, & melius è bonis volendum. Non arte nobis hîc opus, non doctore, id nos omnes natura docuit ab infantia. Nos enim amare nos poſſumus, odiſſe non poſſumus: non poſſumus non amare beatitudinem, & miſeriam non odiſſe. Quare non poſſumus non odiſſe viam miſeriæ, & viam felicitatis non amare. Quorum omnium ratio nobis aperta, ſi voluntas ſit addicta iudicio. Non enim poſſumus melius eſſe nobis non iudicare, quod nobis melius eſſe nobis videatur; & quod nobis peius eſſe nobis videatur, non iudicare peius eſſe nobis.

Sic fixæ voluntatis è fixo iudicio in beatis mentibus & miſeris prompta ratio, alioqui verè nulla. Quod enim vulgò dicitur raptas infinita bonitate diuinitatis, quæ clarè videatur, beatas mentes, ſatis intelligo, neque cauſam aſpernor, ſed illas medio iudicio raptas fixaſque non ignoro, neque vertendas illas eſſe dubito, ſi verteretur earum iudicium. Sed quòd aliter iudicare nequeant ex conditione luminis, neque velle poſſunt aliter. Cæterùm non ita iudicant, quòd ita iudicandum eſſe velint: ſed ita volunt, quòd ita volendum eſſe iudicent. Quare ratio cur verti nequeat voluntas beatarum mentium, eſt, quia verti nequit earum iudicium. Fixi porrò iudicij fixæque voluntatis cauſa reciproca non eſt infinita bonitas clarè viſa. Vt enim beatæ mentes in bono fixæ ſunt, ita fixæ ſunt in malo miſeræ. Imò vt adorandæ diuinitatis fixa voluntas in beatis mentibus: ſic attribuendæ ſibi rapiendæque diuinitatis in Satana fixa voluntas. Adorandus verè Chriſtus dominus, qui rapinam non eſt arbitratus eſſe ſe æqualem Deo patri. Sed exuſtus inuidia Satanas elatuſque ſuperbia, cùm adhuc eſſet in lubrico viæ, conteſtatus eſt ſe fore ſimilem

Digitized by Google

altiſſimo. Neque hanc in qua ſe obfirmauerat,ex quo præceps ruit iuſto Dei iudicio, vertit ille voluntatem. Se nanque ſemper adorandum eſſe præſumit. Si cadens in terram, inquiebat, adoraueris me, hæc omnia tibi dabo. Sed inflexibilis in eo voluntatis cauſa dubio procul eſt inflexibile iudicium, non infinita bonitas vſquam ante caſum clarè viſa vel poſt caſum. Neque vera poteſtate vlla ſtat in eo, inque ſuis omnibus mancipiis hæc vtraque firmitas, ſed inenarrabili nobis & incomprehenſibili penitus impotentia. Inflexibilis nanque iudicij cauſa miſeris eſt denſiſſima caligo mortis inferni, in qua iacent omnes excæcati. In nobis autem iudicio flectitur voluntas, non per ſe. Si nanque manet idem iudicium, manet eadem voluntas: alioqui vertitur, verſo iudicio. Quare per ſe pariter vbiuis & ſemper addicta iudicio voluntas. Sed quandoquidem potentia peccandi vera impotentia eſt, non potentia, vt cadunt impotentes, quicunque cadunt infecti ſcelere; ita manent impotentes æternùm æterno iuſtóque Dei iudicio. Impotentiſſimus itaque Satanas & deſperatiſſimæ conditionis, qui neque malo ſe iudicio, neque libero malo exoluere poſſit, vel vſquam exoluendum ſe ſperare.

ARTICVLVS DECIMVS

Addictam menti voluntatem concluditur è definitione virtutis, è nexu ſempiterno omnis in voluntate virtutis cum prudentia, & omnis in eadem vitij cum imprudentia.

ACCEDIT, quæ planè peripatetica, noſtræ concluſionis è virtute confectio. Prudentiæ conſequens eſt alia virtus omnis, aliud omne vitium imprudentiæ. Sed prudentia & imprudentia, vno omnium iudicio, vtraque ſolius mentis eſt, nullo planè modo voluntatis. Quod per ſe clarum eſt. Omnis nanque deliberatio conſilium eſt, & omne conſilium argumentatio. Cuiuſcunque tandem habitus & facultatis eſt ratiocinatio, eiuſdem eſt con-

cluſio. Vnius etenim & eiuſdem vis eſt principia videre, & quæ ſunt eorum conſequentia. Quare concluſio deliberationis propria mentis vnius eſt & ſolius. Sed electio nulla, ſi conſilium nullum eſt, nulla volitio libera. Tum enim voluntas irrationalis eſt, non rationalis. Qualis infantium, dementium, ebriorum, dormientium, omnium denique mente captorum; eius etiam qui rationis compos eſt, ſi fortè non agit, vt compos rationis. Vno cæterùm omnium iudicio concluſione deliberationis determinatur voluntas vel relinquitur indifferens, quæ ſe vtranuis in partem flectere poſſit. Quod alterum, ſi vis, velle poſſumus illius concluſionis contrarium. Sed hoc apertè falſum eſt. Nunquam enim experimur velle nos hîc & nunc, quod nobis nō videatur hîc & nūc eſſe nobis optabilius. Si nihilominus ita res haberet, contingeret agere nos prudenter ſimul & imprudenter. Prudenter dicimus & ſordidè, prudenter & iniuſtè; vel imprudenter & frugaliter, imprudenter & iuſtè. Omnis nanque deliberantis apud ſe mentis concluſio prudentiæ eſt vel imprudentiæ. Quare ſi ferre ſe poteſt voluntas in contrarium, ſtante hoc iudicio, euenire poteſt, vt prudenter viuamus & malè ſimul, vel bene ſimul & imprudenter. Quod cùm impoſſibile ſit, prudentiæ ſequax eſt alia virtus omnis, & imprudentiæ ſequax aliud omne vitium neceſſitate, non caſu.

Quod totum vel clariùs euincitur hac reciprocatione rationis. Virtus moralis habitus electiuus eſt poſitus in eo medio quod definiatur iudicio & ratione viri prudentis. Quæ ratio vitiorum eſt ad imprudentiam. Hac etenim vna ſemper aberratur à medio, vt ſola prudentia ſemper collimatur ad medium. Quamobrem impoſſibilis actio temperantiæ, fortititudinis & iuſtitiæ, quæ definita non ſit ratione & iudicio viri prudentis. Hæ porrò virtutes propriæ ſunt voluntatis, non mentis. Quæ vitiorum aduerſorum ratio. Sed præit definitio prudentiæ, non ſequitur. Alioqui medium non definiret. Quandoquidem ergo recta voluntatis definitio, non præunte recta mentis definitione, impoſſibilis; quòdque conſtet ex definitione vitij,

impoſſibilis praua definitio voluntatis, non præeunte praua definitione mentis: profectò vel vtraque virtutis & vitij definitio euertenda, vel prauitas omnis & rectitudo voluntatis conſequens eſt prauitatis & rectitudinis intellectus. Hoc eſt, incoatur in mente, & in voluntate conſumatur. Prauitas enim & rectitudo, vtraque vtriuſque partus eſt, non ſeorſim alterutrius. Sic coït cum vltimo iudicio conſenſus, ſic indiuiduum vtriuſque coniugium, & impoſſibile diuortium vtriuſque.

Articulus undecimus.

Menti ducis titulo ſubordinata voluntas, etſi domina titulo finis. An verò ſolius mentis electio, quæ προαίρεσις *ariſtotelea, an ſolius voluntatis, an potiùs vtriuſque?*

IAm verò quoties ſubordinatarum inter ſe cauſarum eadem eſt ſubalternantis & ſubalternæ determinatio, neque res vſquam aliter habet vel habere poteſt, ſi quæ ſit earum indifferentia, ea præſertim eſt cauſæ ſubalternãtis. Sed determinatio voluntatis in omni prorſus actione, quæ ſit virtutis & vitij, ſemper eadem eſt quæ mentis, neque poteſt eſſe alia. Alioqui humana virtus per ſe non dependet ex definitione prudentiæ. Quod cùm abſurdum ſit, propria mentis eſt determinatio. Non quòd ſua non ſit indifferentia voluntati. Sed hæc ita pendet ex alterius determinatione, vt ſe flectere non poſſit in contrarium. Neque propterea ſequitur aliam voluntatis libertatem eſſe nullam, quàm oris, quàm manus, quàm pedis. Nutus etenim voluntatis eſt, voluntatis eſt dominium, non oris, non manus, non pedis. Deinde mens oculus eſt voluntatis. Mente, dico, oculata voluntas eſt meliore titulo, quàm oculo ſit oculatum caput. Vera nanque ambarum diſcretio nulla, nulla ferme diſtinctio. Deinde mentis iudicium verè iudicium eſt voluntatis. Mens etenim & eius omne iudicium vltimum, & conſilium omne non tam

mentis eſt, quàm voluntatis. Hæc ſiquidem omnia cum ore, manu, pede cæteriſque voluntariis omnibus organis, finem habent voluntatem. Quòd igitur quæcunque ſunt in gratiam finis, quandoquidem ſunt propter finem, hæc omnia ſint in poteſtate finis, ſint in eius dominio; nutus rationalis, rationale dominium, quod vnicum, ſicubi verum ſit, verè dominium eſt, vnius eſt voluntatis proprium.

Num autem vltima mentis determinatio, quæ iudicium vltimum eſt, dicenda ſit electio, an proprius voluntatis conſenſus, an & hic & illud, diſſenſio leuis eſt & verè grammatica. Quicquid id eſt, vnum è pluribus alteri præfert vtraque vis. Decernendo quidem mens, & voluntas acceptando. Sed quòd vltimam mentis determinationem non poſſit non ſequi determinatio voluntatis, vnum & totum ex vtraque determinatione complexum apud Ariſtotelem προαίρεσις eſt, neutra ſeorſim; non quòd re vnica ſit actio, ſed quòd vnum ſit ex ambabus indiſſolubile coniugium. Quam eandem ob cauſam, etſi ſanctus Bernardus & Magiſter ſententiarum expreſsè docent arbitrium eſſe mentis proprium, & liberum voluntatis, hæc tamen ita complectuntur vnitate, vt liberum arbitrium ſancto Bernardo ſit *habitus liber ſui*; & Magiſtro ſententiarum nunc *facultas*, nunc *potentia* & habilitas *mentis & rationis*. Habitum autem cùm dicit ſanctus Bernardus, potentiam dicere vult, non aduerſum potentiæ habitum. Sic autem dicere maluit, quò potiùs ſignificaret plurium in ſe complexum, quàm veram in ſe vnitatem.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Vbi nulla mentis hæſitatio, ſuſpenſio nulla, nulla conſultatio neceſſaria, nihil illic eſt ignorantiæ, ſed liberrima mens & liberrima voluntas. Voluntas autem in ſe cæca vis eſt, quæ diſcrepantes inter ſe ſententias non comparet, non res obiectas.

QVOD autem hîc obſeruandum eſt, deliberationem cùm dicimus & conſultationem & prudentiam, quæ

Digitized by Google

quæ vulgò conſultandi habitus eſt, conſilium abſolutè dicimus, ſeu re deliberatiuum illud eſt ſeu virtute duntaxat. Vbi nanque prudentia ſummè perfecta eſt, iam illa vbicunque ſit, non tam prudentia nobis eſt, quàm bene viuendi ſapientia. Sed etſi ſimplice iudicio medium definit ſapiens, non ratiocinatiuo, verè nihilominus eligit. Sic eligit Deus, quos è nihilo vocat, quos è peccato. Quinimò conſulta quæque volitio, volitio quæque rationalis, etſi vulgò neceſſaria, ſuo modo dici poteſt electio. Sic amorem diuinitatis odio præferunt beatæ mentes. Sic omnes nos miſeriæ fœlicitatem præferimus. Sic obedientiam inobedientiæ prætulit dominus & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus. Sic Deus iniuſtitiæ iuſtitiam præfert. Neque refert ſi nos beatitudinem odiſſe non poſſumus, non poſſunt beatæ mentes odiſſe Deum, non poterat Chriſtus dominus non obedire patri, non poteſt Deus iniuſtitiam approbare. Seu nanque titulo conditionis ita res habet, ſeu abſoluta neceſſitate, non ideò minùs potens eſt & libera voluntas. Imò libera magis eſt & potens, quò magis oculata, quò liberum magis & expeditum eius iudicium. Neque voluntatis, quod iam oſtenſum eſt, alia ratio, quoties iudicio ſimplice viuimus, non deliberatiuo. Tergiuerſandi locus eſſe poteſt, vbi de iudicio re deliberatiuo diſputatur. Tum enim diſtrahitur mens comparatione plurium inter ſe rerum, quarum aliæ nunc, nunc aliæ præponderare videantur. Sed etſi concluditur fluctuatio voluntatis & ſuſpenſio è fluctuatione & ſuſpenſione mentis, verè nihilominus rem totam concludi neceſſum eſt vltimo iudicio. Hominis quidem & pecudis ſæuiſſimum in nobis bellum eſt & perpetuum, noui hominis & veteris Adæ perpetuũ in omnibus athletis Chriſti domini, perpetuum ſpiritus cum Satana, & gratiæ cum concupiſcentia perpetuum. Sed mentis ad arbitrium, vel ſuum potiùs ad arbitrium, ſiquidem arbitrium mentis eſt in gratiam voluntatis, ita ſemper affecta voluntas eſt, vt ad lances axis in trutina. Voluntatis eadem fluctuatio, quæ mentis eſt, eadem ſuſpenſio, eadem inclinatio, mutatio eadem, eadem ob-

firmatio. Fluctuantis autem mentis, quod è conſultationis vſu liquet, cauſa nobis eſt ignorantia, vel ſi quæ ſit alia, proferatur. Sed præter vnam hanc alia nulla reddi poteſt. Quare non conſultamus vt reſtet voluntas indifferens, ſed vt amoueatur, quod eam indifferentem habet. Cùm enim meliorum amantes ſimus, imò cupidi potiùs & auidi, dubitemuſque vtrum è pluribus melius nobis & expeditius, tum mente, non voluntate quæ cæca ſit, rem perpendimus. Quòd ſi porrò mentis impedimentum mente ſuſtuleris, tum exoluiſti voluntatem & quaſi nexu liberaſti. Prona nanque pendet in partes iudicij. Vti verò non poſſumus non iudicare nobis optabiliora, quæ nobis optabiliora nobis hîc & nunc eſſe videantur; ita neque poſſumus illa non velle, non eligere. Alioqui mens affecta magis eſſet ad optabilioris iudicium, quàm ad eius amorem voluntas. Quo nihil abſurdius. Totum nanque iudicium illud eſt in gratiam voluntatis, quæ ſola per ſe bonorum appetitus eſt, & odium malorum.

Neque mihi videntur vel dicendi philoſophi, qui dicant electionem eſſe propriam volũtatis, quòd ei mens res illas, de quibus deliberatur, alio aſpectu & alio bonas & malas objectet. Quaſi verò cæca vis ita præſideret, quæ diſcrepantes inter ſe ſentẽtias exciperet, compararet inter ſe, has approbaret, improbaret illas, mediũ videret, definiretque ſibi, vel eſſe ſibi definiendum vlla ratione caperet. Quod intuentibus illis voluntatibus aſſentior, ſi modò velint; noſtris autem, quæ ſint omnino cæcæ, attribuere nequeo. Sed alius eſt craſſiſſimus error, quo ſe impediant illi, nunquam extricare poſſint. Quod enim inter nos confeſſum eſt, voluntatis actio conſequens eſt vltimi iudicij, non nudæ cuiuſdam apprehenſionis, non iudici j ſpeculatiui, vel practici generalis & indefiniti. Conceſſum id eſt & per ſe clarum. Horum etenim iudiciorum neutrum prudentiæ virtutis eſt vel imprudentiæ, neutrum eſt electio vel proximum electionis principium. Cæterùm nemo prudenter ſimul & imprudenter iudicat. Alioqui prudenter vnà viueret & imprudenter, contraria ſimul exerceret

Digitized by Google

& pugnantia inter ſe vltima iudicia. Quo nihil abſurdius. Non enim prudentem hominem diceres vel imprudentem, ſed prudentem ſimul & imprudentem. Quæ euerſio conſideratæ conſultationis eſt & inconſideratæ, vel potiùs ineptiſſima conſideratæ ſimul & inconſideratæ confuſio. Neque refert, ſi fortè priùs habueris apud te cauſas inconſideratæ deliberationis, nunc conſideratæ, vel è contrario. Non enim longæ vel breuis eſt memoriæ cæca voluntas. Neque pariter refert, ſi noſtra quæcunque prudentia his in terris humana ſit. Conſtans etenim & conſulta virtus, quæ mereatur nomen habitus, temeraria non eſt, non leuis & inconſulta. Quicquid ſit, vir prudens hoc titulo bene ſemper ſibi conſulit apud ſe ſecum, nunquam malè: malè ſemper imprudens, nunquam bene, etſi bona nonnunquam hic approbet & ille mala.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS

Indifferentia ſolius eſt libertatis conſultatiuæ, non libertatis per ſe. Deinde hæc indifferentia, vt delectus, verè totius eſt liberi arbitrij, quod ſociandum eſt, non diuellendum. Diuinum autem magis ſe gerere prudenter in omnibus, quàm humanum.

CONDITIO libertatis eſt, inquiunt, vt, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, poſſimus agere & non agere, vel etiam pro conditione rerum actiones contrarias edere. Quod non ita habet, ſi voluntas addicta ſit iudicio. Sed inanis apud nos objectio. Hæc etenim conditio ſolius eſt libertatis indifferentiæ, non libertatis abſolutè. Imò ne quidem libertatis eſt indifferentiæ per ſe præcisè hæc conditio, ſed totius liberi arbitrij, quod colligendum eſt, non diuidendum. Neque valet obijcere non poſſe nos non intelligere, poſitis omnibus ad intelligendum neceſſariis. Confeſſa ſiquidem eſt apud nos mentis & voluntatis indifferentia in rebus infinitis. Sed aliud eſt non poſſe nos non apprehendere res agendas & non agendas, vbi ſe

Digitized by Google

nobis offerunt; aliud poſſe nos prudenter iudicare de omnibus ad nos attinentibus, vel potiùs non poſſe nos aberrare à medio. Si nanque conſultando nunquam aberraremus; ſi quauis occaſione facta, ſemper iudicaremus prudenter; certè nunquam peccaremus, nunquam egeremus aliorum conſilio. Ergo, inquies, voluntas per ſe ſeorſim agit neceſſariò, non liberè. Apta minùs, inquam, etſi nobis omnibus vſurpata locutio. Quaſi diceremus ſcribere digitum, currere pedes, vel etiam os philoſophari. Hominis etenim eſt agere, non voluntatis. Sed vt videmus oculo, pede currimus, & ore loquimur: ita voluntate volumus, quod mente iudicamus nobis expeditius. Sed miſſa locutione, malo non ſunt diuortio ſeparanda, quæ conjuncta voluit author naturæ Deus æterno & indiſſolubili coniugio. Tale cæterùm eſt liberum arbitrium. Deinde etſi concedimus determinationem propriam eſſe iudicij, nihil ad rem. Nanque dominium, quod euictum eſt apertè, ſolius voluntatis proprium eſt. Neque ſequitur nihil conferre voluntatem ad bene maléque viuendum, ſi ſequax in omnibus eſt iudicij. Alioqui perinde ſequeretur nihil aut parum conferre mentem, ſi propria voluntatis eſſet abſoluta determinatio: nihil conferre appetitum & cæteras vires omnes, quas obedire neceſſe ſit, non dirigere, non imperare. Quæ omnia perabſurda ſunt. Quòd enim bene pingas, mentis opus eſt & manus, etſi mentis iure præcipuo. Vix enim minor virtus eſt exequi bene, quàm bene præcipere. Quæ ratio non eſt voluntatis. Non enim exequitur titulo miniſtræ facultatis, ſed dominæ. Iubere nanque voluntatis eſt, non mentis. Sed quod nobis optabilius eſſe videtur, id voluntate volumus. Sic exeunt è mente bonæ malæque cogitationes, vt bonæ malæque volitiones in voluntate cudantur.

Electio boni & mali, inquiunt, eſt penes nos omnes, non autem prudenter iudicare de rebus agendis & non agendis. Otioſa dubio procul objectio. Quod enim fateri partes aduerſas oportet, impoſſibilis actio virtutis electiuæ, quam non præeat actio prudentiæ & definiat. Quare ſi

prudentia non eſt in poteſtate hominis, nulla planè virtus eſt in eius poteſtate. Sed ne vacuis eludamur vmbris, noſtræ nos impotentiæ meminiſſe ſemper oportet. Mala nanque malorum electio penes nos omnes, non bona bonorum electio. Liberum arbitrium eſt, inquit magiſter ſententiarum, facultas rationis & voluntatis, qua bonum *eligitur* aſſiſtente gratia, vel malum eadem deſiſtente. Sic ille collegit è beato patre Auguſtino. Sic ex eodem Lugdunenſis Eccleſia. *Habemus*, inquit, *liberum arbitrium ad bonum præuentum & adiutum gratia; & habemus liberum arbitrium ad malum deſertum gratia.* Sic docet nos ipſa veritas mittendos in ignem, qui non manent in vite palmites. Sed neque penes quenuis hominem eſt bonorum & malorum electio. Quod enim hîc vel maximè ſtupendum Dei iudicium eſt, id ſolius eſt hominis, qui rationis compos eſt. Sed neque penes quenuis eſt, qui ſit rationis compos, prudenter iudicare de quibuſvis rebus. Non enim omnis fert omnia tellus: non omne munus in nobis præſtat omne membrum. Oportet igitur eſſe penes quoſuis prudenter iudicare ijs de rebus, quæ attinent ad vitam & artem quam profiteantur. Nanque iudicis eſt conſulere prudenter de rebus forenſibus, naucleri de nauticis, imperatoris de militaribus. Sed turbanda non ſunt officia. Quare ſi quis experitur ſe imparem eſſe prouinciæ ſuſceptæ, eam eiuret. Alioqui ſi par es, atque nihil præcipitas, ſed diligenter circunſpicis, & ita deliberas, vt prudenter concludas pro facultate, etſi finem aliquando non obtines, non ideo peccas: ſin è contrario, vt plerunque facimus, præcipitanter inconſideratéque iudicas de rebus agendis, quanuis ea tibi fortuna ſit, quæ Syllæ, hoc eſt, tum omnia tibi ſuccedãt ex voto, id tamen vitio vertitur, non virtuti. Probi nãque hominis & fortunati nõnullis in rebus agẽdis nota diſtinctio.

Lib de tenenda &c. c. 1. art. 1.

Quod obijcitur aſſentiri nos neceſſariò rebus cognitis, otioſum eſt. Non enim omnibus aſſentimur neceſſariò, ſed clariſſimis. Quoties autem neceſſaria mentis aſſenſio, ſi quæſtio ſit de rebus agendis, toties vno omnium iudicio neceſſarius eſt conſenſus. Conſtat ex amore beatitu-

Digitized by Google

dinis & odio miſeriæ. Non enim hanc amare poſſumus vel illam odiſſe, quia malam eſſe beatitudinem iudicare nemo poteſt, nemo bonam eſſe miſeriam. Sed vbi ferendum iudicium eſt de agendis rebus humanis hîc & nunc, puta, de lite dicenda, de committendo certamine, de angelo Satanæ refutando, tot ferè res admouendæ ſunt & comparandæ, vt præcipuum ſit & maximum ſatis æſtimare, quæ maior hinc inde commoditas, quæ moleſtia minor. Hoc autem è iudicio ita pendent omnia vitæ munera, vt ſi te prudentem in eo ferendo præſtiteris, ſiſque rem executus, nihil plus è te poſſint homines exigere, etſi tibi verè caſſa ſunt omnia, ſi deſit charitas.

ARTICVLVS DECIMVSQVATVS

Si fortè pendet è voluntate, quòd bene iudicemus, hæc voluntas alio è ſuperiore iudicio pendet.

E Voluntate quidem aliquando pendet, quòd prudenter iudicemus & immoremur in circunſpiciendis rebus ſingulis, ſed priùs pendet è mente, quòd ita bene iudicare velimus. Niſi enim mente iudicaueris melius eſſe hîc & nunc immorari in diſcutiendis rebus illis maturiùs, vnde precor, id vel ſomniauerit tua cæca voluntas? Sed ne quidem ſomniare poteſt appetendi vis. Vt verbo concludam, hæc actio voluntatis è iudicio quodam eſt. Alioquin eſſet irrationalis. Imò nulla penitus eſſet. Ignoti nanque nulla voluntas. Sed è conſilio iudicium illud eſt, eóque re conſultatiuo vel virtute. Alioqui neceſſaria foret actio & inconſulta, non conſulta, non indifferens. Quòd igitur omne bene viuendi propoſitum ſit actio virtutis, quòdque virtutis actio recta ratione definienda ſit, impoſſibilis actio virtutis, non præeunte iudicio viri prudentis. Quo nomine ſapientem comprehendi volo, non excludi. Humana nanque ſapientia conſummata prudentia eſt & perfecta. Huius autem conſilium virtute conſultatiuum eſt, non re. Sed tum liberius eſt liberum arbitrium. Pax quidem dicitur, non nego, hominibus bonæ voluntatis. Sed exigit

Digitized by Google

eadem veritas ſapientes eſſe nos in omni bono. Itaque fixa voluntas in bono maximum bonum eſt. Sed fixa nequit eſſe niſi è fixo in bonis iudicio. Hæc enim disiungi nequeunt, nequeunt diſcrepantes in partes diſtrahi. Quare fixos eſſe nos in bono mentibus oportet & voluntatibus, vel neutris eſſe fixos. Satæ porrò virtutes omnes iudicio. Quare vt iudicio ſatæ ſunt, ita legendi ſunt earum fructus iudicio. Sed quod tum nullus ferme ſit conſultationi locus, non tam mente nobis agere videmur, quàm voluntate. Quod alius omnis perindè aſſuetudinis eſt. Cùm enim intenti ſumus operæ aſſuetique ſumus, veluti cùm literas ſcribimus ad familiares noſtros, tum neque mente, neque voluntate nobis operari videmur in ſeligendis literis, etſi litera planè nulla ſuccedit è calamo, non præeunte iudicio mentis & voluntatis imperio. Quæ duo non intelligimus, quòd hæſitatio nulla ſit, nulla reflexio.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS

Quòd voluntas ſit addicta menti, non ideo otioſa eſt, vel virtutes eius otioſæ. Cæterùm electio comparatiua ſemper boni maioris eſt, vel mali minoris.

PRVDENTIA ſolùm excepta, virtutes propriæ ſunt voluntatis. Quare ſi voluntas addicta ſit vltimo iudicio, inquies, ſatis eſt prudentia. Quid enim conferent in voluntate temperantia, fortitudo & iuſtitia? Verè quidem ſi prudentia vales, nullum, quod vulgò dicitur, numen abeſt. Aliæ, inquiunt, nullæ virtutes abſunt. Quod autem meminiſſe nos ſemper oportet, ne vaſa noſtra poſſideamus in vacuum, ſi ſola charitas abeſt, in fumum abeunt iſta numina. Cæterò temperantiæ, fortitudinis & iuſtitiæ hic vſus eſt. Vt manus aſſuefacta bene ſcribere, ea celeritate obſequitur, vt vix tibi videaris illi præcipere: ſic aſſuefacta voluntas amandis rebus honeſtis & aſpernandis turpibus,

has ſponte reſpuit & ſponte fertur ad illas. Conſuetudo nanque nobis eſt altera natura. Suis igitur oportet abſolui voluntatem ornamentis. Poſito lumine gloriæ, non poteſt non odiſſe malum voluntas, non poteſt non amare bonum. Suæ nihilominus illi gemmæ ſunt inſerendæ. Inſerenda, dico, cum ſuo comitatu, regina charitas dominæ voluntati, vt velit iuſtéque velit ex habitu, quæcunque vult. Sic enim velut è natura velle cenſetur. Cæterùm vna hirundo non facit ver. Quare neque prudentia in nobis abſoluitur vna vel altera conſultatione, ſed innumeris. Vt autem noſtris in mentibus efficiuntur ars & peritia bene pingendi vnà cum dexteritate manus: ſic prudentia, quæ bene viuendi ratio eſt, cum temperantia, fortitudine & iuſtitia in voluntate. Quòd enim prudentia penitus practica ſit, eius actio ſeorſim & ſolius, per naturam impoſſibilis. Itaque nemo prudenter viuit niſi vel temperatè viuit, vel fortiter, vel iuſtè.

Vulgò quidem placet, propoſitis duobus bonis, etſi de vtroque bene iudicet mens, penes nos eſſe velle quod minus eſt, ſpreto maiore. Sed hos addere oporteret febricitantes ardentiores æſtus & longiores optare, negotiatores maiores optare iacturas, fœdiores ſuorum ſtrages optare duces exercituum, omnes abſolutè nos maiores noxas. Sed abſurdum id & alienum à ſenſu. Majora quidem mala quis optare poteſt aſpectu boni maioris, alioqui nemo poteſt. Sic aſpectu boni maioris velle poſſumus minus bonum, alioqui non poſſumus. Sed colligendæ cauſæ quibus alliciatur appetitus, non diſiungendæ. Quod authores illi non animaduertunt, vel effugia quærunt, neque ſeriò loquuntur. Cæterùm bona ponderanda ſunt honeſto, vtili & iucundo, non mole. Neque mole ponderanda mala ſunt, ſed fœdo, damno & acerbo. Quare ſi clientum vnus optionem tibi facit munerum longè diſparium, inductus autem partim honeſtate, pudore partim, fortaſſis etiam commiſeratione, aliiſque circonſtantiis, minus optes vel etiam totum remittis, dices, credo, te vilius optare, cùm optas quod tibi videtur optabilius. Imò feceris melius & elegeris,

elegeris, ſi, quod ſæpe poſtulet occaſio, de tuo inſuper aliquid addideris. Sic electione melioris erogas de tuo pauperibus. Dare nanque beatius eſt, quàm accipere. Propitium & miſericordem Deum ſi tibi vis, miſericors eſto cæteris & propitius. Itaque coniunge cauſas, quæ te impellunt ad eligendum, & intelliges te ſemper eligere, quod tibi melius eſſe videtur & optabilius. Sic meliores ſibi portiones eligit, qui dapes minùs exquiſitas ſibi retinet & conuiuis magis exquiſitas diſtribuit. Sed longè diuerſa ſunt hominum ſtudia. Damno mouetur auarus & vtili, iucundo voluptuarius & acerbo, fœdo vir probus & honeſto. Compone iam & diuide cauſas, prout occaſiones exigent. Eas etenim omnes ſi bene componis benéque diuidis, prout occaſiones exigunt, vt iudicio tuo melius ſemper eligis, ſic apertè vides te ſemper eligere, quod tibi videatur eſſe melius.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS

Quid ſibi Medea, meliora video probóque, deteriora ſequor? *Quid Ariſtoteles*, intemperans ſequitur iudicium, non incontinens?

QVORSVM itaque, dices, illud Medeæ, meliora video probóque, deteriora ſequor? Verè, inquam, ſi modò verum illa dicit, iudicio ſpeculatiuo meliora videbat, non deliberatiuo & vltimo. Errant enim quicunque peccant. Quæ diuina authoritas eſt & humana. Sed & prompta ratio. Peccant enim imprudentia duce, non duce prudentia. Et certè libidinibus quicunque ſuccumbit, is earum vmbris decipitur. Sic nos veluti cauda, quæ membrorum lex & abſolutè vetus Adam, ſuum in antrum vel repugnantes ſenſim alicit Cacus, &, mentem velut excæcante fumo, volentes facit è nolentibus. Sic Medea, quòd Iaſonis amore deperiret, ſpoliandi regni paterni viam monſtrauit Argonautis; & ne veniret in poteſtatem patris, ſe cum eodem Iaſone in fugam dedit. Quòd autem inſequeretur pater, fratrem occidit, diſcerptumque diſie-

cit, quò fugeret, dum ille colligeret membra filij. Dehinc à Iaſone repudiata, filios ex eo ſuſceptos miſerè & inhumaniter dilaniauit. Iræ demum explendæ cauſa, Glaucam, cum qua Iaſon ſecundas nuptias contraxerat, viuam concremauit, ipſumque Iaſonem ſibi manus inferre coëgit. Ergo-ne tuo ſenſu deteriora ſequeris, Medea, ſi tibi charius & optabilius nihil eſt tuis inſanis amoribus? nihil vita propria? nihil vlciſci & explere furorem? Sed ne pluribus, inſanientis vox eſt atque furentis, quæ ſi tum illa dicit, cùm hæc probat, eadem vox mentientis eſt; fortaſſis etiam inconſiderantis Poëtæ ſententia eſt, vel ſuo ſenſu loquentis, &, quicquid illud eſt, fabulantis & mouentis animos vulgi, non ſapientum.

Verum, inquies, intemperans, authore Philoſopho, ſequitur iudicium, non incontinens. Imò, inquam, ſequitur vterque iudicium, ſed intemperans aliter, aliter incontinens. Siquidem intemperantis, qui firmo propoſito libidines explere vult, vnicum ex habitu iudicium eſt & perpetuum. Quamobrem eum non pœnitet expleuiſſe libidines. His enim, ſiue ſint exortæ ſiue non, ſemper inſeruire vult. Sed incontinens, abdito & veluti ſilente libidinis aculeo, nondum exerto, fere propoſitum habet de compeſcenda libidine, non explenda. Quia nihilominus infirmum eſt eius propoſitum, gliſcente ſenſim & inuadente malo, ſenſim ineſcatur & ſuccumbit, verſóque conſilio, inſeruit libidinibus. Sic eius, quod præſens ſit, iudicij ſequax voluntas. Sed eum, extincto libidinis telo, quæ altera verſio iudicij, ſic egiſſe pænitet, ſuæque pudet infirmitatis & fœditatis & imprudentiæ. Tum enim ſe deluſum intelligit.

Si quis igitur eſſet adeo prudens, inquies, vt errare non poſſet in comparandis inter ſe bonis & malis, is non poſſet eligere malè, ſiquidem malè iudicare non poſſet. Niſi peccaſſet Adamus, inquam, hac lege viueremus omnes, ſi modò noſtras in bono voluntates perſeuerando fixiſſet, vt eas in malo fixit peccando. Sed vtinam ea prudentia, quæ nobis hìc obijcitur, viueremus omnes. Si nanque

Digitized by Google

libertatem vocas hæſitabundam indifferentiam noſtram, cuius in nobis cauſæ ſunt libido & ignorantia, hæc non tam libertas eſt, quàm captiuitas, quàm veræ plenæque libertatis impedimentum. Sed optima libertas eſt, ſi mala velle non poſſis; ſi meliora vides, eáque probas, & ſemper eligis. Hæc beatarum mentium conditio, hæc Chriſti domini libertas, hæc ipſius à ſeipſa libertatis ratio. Sua Satanæ libertas in malis, duriſſima certè & infæliciſſima. Sed beatarum mentium liberrima neceſſitas in bonis & feliciſſima. Nobis autem viuentibus in Chriſto ſeruatore, in quo conſepulti ſumus, aſſueſcendum ſemper in bonis & exuenda ſenſim hæc indifferentia. Sic autem erudiat nos Deus & confirmet in opere bono, vt his in terris fiat eius voluntas, ſicut in cælis.

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS

De electione parium, cùm diuina, tum humana.

DEVS, inquies, non ſemper eligit melius. E duobus etenim hominibus, quorum neuter altero melior, vnum è nihilo vocat, non alterum. Sic, Eſaü ſpreto, Iacobum elegit & prædeſtinauit, etſi ambo eiſdem è parentibus orti, geminíque; & pares originis labe, conditione nulla diſpares. Sed, inquam, certum eſt & confeſſum nobis omnibus Deum operari liberè, quicquid operatur. Quare ſic operatur è conſilio decretóque libero. Sed non decernit Deus è præuia conſultatione. Deum nanque nihil latere poteſt. Quod cùm ita ſit, decernit Deus & iudicat è diuitiis ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ. His virtute continetur deliberatio & omnis abſolutè ratiocinatio, non re. Hunc autem eccur vocet, non illum, noſtrum non eſt inquirere. Timere monemur, non altum ſapere. Cæterùm è Deo repetenda rerum electio, non ex earum bonitate. Vnum è cunctis hominibus deificauit. O altitudo diuitiarum *ſapientiæ & ſcientiæ* Dei, quàm incomprehenſibilia *iudicia* eius & ininueſtigabiles viæ eius!

Sed, inquies, propoſitis bonis paribus vel malis, neutrum

Digitized by Google

autem melius iudicem vel peius, in me ſitum eſt vtrumuis eligere. Verum, inquam, vt parem ſoli lunam oculis cernimus, & lunam Ioue maiorem, ita malum ſæpe iudicamus bonum, & bonum malum. Sic minus bonum maius, & maius malum leuius. Quare paria ſint hæc, non ſint, nihil facit ad inſtitutum, ſi modò ea iudicemus eſſe paria. Sed etſi hæc eſſe paria iudicamus, non ideo iudicamus practicè præferendum hoc alteri. Practicè dico. Quòd enim oua duo paria iudicemus, non ideo iudicium vltimum eſt. Vltimum etenim illud vnum eſt, inter quod & volitionem medium nullum eſt. Quòd ſi demum oua duo iudices omnino paria, planéque noueris, quod verè non eſt conditionis naturæ vel humanæ poteſtatis, nullam eorum eſſe diſparitatem, eorum autem vnum eligere vis, otioſus es & fatuus, non dico ſi de delectu verè conſultas, (non enim potes, ſiquidem ſcis, quæ hypotheſis eſt, nullum penitus eſſe conſultationis vſum,) ſed electionis cauſam illis è rebus ſi habere vis. Eliges itaque veluti Deus eligit, ſi modò ratione deligis. Sed cùm vnum aliquē è nobis eligit Deus, cauſam, teſte Apoſtolo, è iudicio, ſcientia & ſapientia repetit, non è voluntate. Quare non iudicabis, quia voles hoc vel illud; ſed hoc vel illud voles, quia iudicabis.

Si quæris à me vnde iudices tibi volendum eſſe hoc, non illud, non is ſum tui cordis arcana qui nouerim. Ipſe tu, ſi vis, perſcrutare teipſum. Sed eorum optionem mihi ſi feceris, è meipſo rationem repetam. Ouum mihi velle dicam, quia mihi bonum eſt; & me velle hoc, non illud, vt tibi declarem me dominum eſſe volitionis meæ, ſi alia mihi cauſa nulla ſit electionis. Sed quocunque tu conſilio vnum acceperis, iure quæram abs te, cur hoc volueris, non illud. Nanque velle liberè nemo poteſt abſque iudicio. Alioqui irrationalis eſſet voluntas & inconſulta, liberum irrationale, irrationale dominium, liberum abſque arbitrio. Quæ libertatis euerſio pleniſſima. Ne quidem enim in infantibus & vino captis & dementibus conceditur libertas, quæ mereatur appellationem libertatis, quòd impetu viuant, non iudicio. Sed quòd electio

Digitized by Google

rerum indifferentium apud nos eatenus otioſa ſit, hanc otioſè ſi feceris, de otioſa volitione tua rationem reddes, ſiquidem omnes reddituri ſumus rationem de verbo otioſo. Sed neque ſatis eſt ad eligendum, quòd ea paria iudices, quorum tibi fit optio. Non enim altitudinem diuitiarum diuinæ ſapientiæ & ſcientiæ admiratur Apoſtolus, quòd Deus ab æterno viderit pares eſſe geminos, ſed quòd hunc eligendum eſſe iudicauerit, altero repudiato. Quæ cùm vel ipſa luce clariora ſint, ſumma rerum noſtrarum primitus è ratione pendet, ſiue ſeriæ illæ ſunt, ſeu otioſæ. Serios autem oportet athletas Chriſti ſeruatoris, non otioſos, non leues & abſurdos. Quamobrem abſtinendum nobis eſt à fœdis quæſtionibus & feſtucariis, vt à rebus malis cauere diſcamus, & aſſueſcamus bonis. Imò nobis elaborandum ſemper eſt & incumbendum melioribus, propoſita ſemper, qui ſcopus vnus vtiliter inſpicitur, Dei gloria.

ARTICVLVS DECIMVSOCTAVVS

Occaſione vulgaris huiuſce dicti, quiſque de rebus iudicat, prout affectus eſt, *oſtenditur concors liberi arbitrij, nunquam diſcors aſſuetudo, nunquam diſcors opera; concluditurque è iudicio pendere omnem penitus voluntatis affectum.*

VERE quidem, inquies, iudicium quod mereatur nomen iudicij, oritur è conſilio. Sed in vtroque dominatur voluntas. Quod enim vulgare dictum eſt, *quiſque de rebus iudicat, prout affectus eſt.* Auarus exempli gratia, ſi fortè durior annona ſit, habere poteſt apud ſe conſilium de leuandis pauperibus. Sed iſte, penſatis vtrinque rerum euentis, affectu dominante, melius ſibi fore ſtatuet, quod ſuum eſt, retinere; vt, affectu contrario dominante, conſultius ſibi fore ſtatuet vir miſericors opitulari miſeris. Quæ temperantis & intemperantis ratio, quæ fortis & ignaui, quæ iuſti hominis & iniqui. Quæſtio certè ſuis è partibus euoluenda. Grauis etenim

eſt & digna philoſopho. Sed imprimis affectus in nobis longè varius eſt. Nanque brutæ partis eſt vel humanæ. Natiuus autem eſt vterque vel acquiſitus. Acquiſitum aſſuetudine dico vel infuſione vel alio quocunque modo. Natiuus talis eſt per accidens vel per ſe. Natiuus per accidens affectus proprius eſt naturæ corruptæ. Quòd enim concipiamur immundi, quod eſt accidẽs naturæ, naſcimur omnes malè affecti. Sed mala indoles longè varia. Iſte naſcitur audax, ille timidus. Mitto cæteras, quæ ſint infinitæ, natiuæ prauitatis feritates. His autem omnibus, ſi nos è nobis æſtimemus, dominatur concupiſcentia. Concupiſcentiam inordinatum amorem ſui dico, non appetitum naturæ proprium. Natiuus per ſe ſeu naturalis affectus proprius eſt naturæ à quouis ſtatu præciſæ. Qualis amor beatitudinis, qualis abominatio miſeriæ. Hæc enim nobis inſita ſunt intrinſecus, ſiue ſtatum innocentis naturæ dicis ſeu corruptæ, ſiue beatæ dicis ſeu miſeræ.

Affectus exquiſito nominis vſu proprius eſt voluntatis & appetitus. Sed vt voluntati ſuus eſt affectus & ſuus appetitui; ita menti & phantaſiæ, ſua vtrique lux, habitus vtrique ſuus. Æſtimandi ſic vel ſic, ſic vel ſic iudicandi habitum dico, dico vim inſitam. Sed & varius & frequens affectuum in nobis conflictus. Omnis autem conflictus in nobis, qui verè conflictus eſt, humanæ partis eſt & brutæ, vel veteris Adæ & noui hominis. Sed hic longè maximus eſt & grauiſſimus. Vt enim nos è nobis pecus per nos vincere poteſt; ita nos pecudem vincere poſſumus è nobis. Liquet è ſtoïcorum ſectis & epicureorum. Illi nanque fœditatem pecudis, cui ſe hi mancipatent, vincebant faſtu. Sed amore ſui homo pecus pecus eſt, & amore ſui inter angelos Satanæ primas tenet ſuperbus. Quiſquis ergo vincit amore ſui, is verè cadit, non vincit. Sed amore Dei vincere nos, incuruas in nos animas vincere & facere rectas, non poſſumus è nobis. Donum eius vnius eſt, ſine quo nihil facere poſſumus. Non enim è nobis fides. *Omne* autem *quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Sed in re per ſe clara ne reſtem, alios conflictus ſi quos experimur in nobis, qualem

Digitized by Google

in ſe mercator de mercibus, exorta tempeſtate, proijciendis; vel imperator de committendo certamine, vbi ſe præbet occaſio; veri non ſunt illi conflictus. His enim non ſecant nos, nos non diſtrahunt pugnantia inter ſe principia, qualia ſunt pecus & homo, Deus & Satanas. Illæ meræ ſunt pendentis in ſe mentis hæſitantiæ, quas in nobis parit ignorantia. His non iniqui ſolum, non ſolùm incontinentes, ſed & ſanctiſſimi quique laborant. Neſcimus nos, inquit Apoſtolus, quid oremus, vt oportet. Quantò minùs itaque ſcimus vt oportet, quæcunque nobis præſtanda ſunt? Neque mirum. Non enim euacuantur in nobis infirmitas & ignorantia, quandiu hic reſtamus.

Iam verò niſi nobis oculos fodere volumus & interioribus noſtris experimentis, ijſque quotidianis & perpetuis repugnare, concedemus quod inter omnes habetur indubitatum. Primùm quidem ignoti nulla voluntas, ignoti nullus appetitus. Non enim volumus, non appetimus quæ nobis nec in ſenſum, nec in mentem veniant. Sed quod eadem nos & claritas & experientia docet, ad eliciendum è nobis affectum, non ſatis eſt ſimplex apprehenſio, non ſatis eſt ſpeculatiuum iudicium. Quanuis enim ita nobis in mentem veniant felicitas & miſeria, vt magnas de vtraque diſputationes habeamus, non ideo noſtra voluntas afficitur. Quare multò minùs afficietur apprehenſione & ſpeculatione cæterarum rerum. Sed neque nobis, vt operemur, ſatis eſt iudicium vniuerſale practicum. Quanuis enim eius conſequens eſt certum quoddam viuendi propoſitum, veluti diceres leuandorum pro viribus, occaſione facta, pauperum; vt tamen ex hoc velle generali, ex hoc generali propoſito ſequatur hîc & nunc huic vel illi hoc vel illo modo ſuccurrere, neceſſarium eſt iudicium vltimum. Alioqui daremus hîc & nunc huic vel illi hoc vel illo modo; vellemus, inquam, hoc vel illo modo huic vel illi dare hîc & nunc, quod non iudicaremus hîc & nunc hoc vel illo modo huic vel illi dandum. Quod abſurdum eſt. Imò ſi res vſquam ſic haberet, irrationalis eſſet & inconſulta voluntas, inconſultum opus & irrationale.

Digitized by Google

Quòd autem liberum arbitrium vnum ſit è mente & voluntate concors viuendi principium, nuſquam diſcors, vulgò ſignificatur nomine cordis, quod iudicio populari ſentiendi principium eſt & appetendi. Huic cordi, quod vnum & totum exigitur à Deo, tribuitur amor, tribuitur inclinatio, tribuitur affectus, tribuuntur prauitas & rectitudo in ſacris paginis. Sed & mentem cordis & oculum & illuminationem & conſilium & cogitationem & exhortationem in omni bono opere & ſermone bono eædem nos ſacræ paginæ docent. Quæ quidem omnia vni duntaxat è mente & voluntate toti compoſito tribui poſſunt. Itaque non nego nos ex huius cordis affectu iudicare, iudicare nos non nego ex affectu liberi arbitrij. Sed vt liberum arbitrium nobis cor vnum eſt: ſic eius concors habitus vnus, vna concors aſſuetudo. Simul enim & ſecundum idem aſſueſcunt mens & voluntas in practicis. Alioqui neutra vſquam aſſueſit, ſi non aſſueſit altera. Nuſquam illæ diſtrahuntur inuicem, nuſquam pugnantibus inuicem habitibus ambæ ſimul aſſueſcunt. Mammonæ ſeruiunt igitur, vel Deo ſeruiunt ambæ: concupiſcentiæ partes tenent ambæ vel caritatis. Si nanque cor in nobis ardet charitate, eiuſdem charitatis radio lucet. Viuit in luce, qui charitate viuit, non viuit in tenebris. Id ergo quæritur, num è luce cordis ardor, num è cordis luce rectitudo cordis; an è cordis ardore lux cordis (cordis ardorem affectum dico voluntarium, non infuſos deſuper ardores improuiſos, non infuſas deſuper in ſanctis improuiſas lætitias,) an lux cordis è cordis rectitudine. Vel è contrario, ſi concupiſcentiæ ſeruimus, num è tenebris vita deuia, an è vita deuia tenebræ? Sed omnis prauus ignorans. Quare deuios agunt nos & inconſultos tenebræ; rectos nos habet lux & conſultos. Quæ cùm ita ſint, opera mentis aſſueſit voluntas, non mens opera voluntatis. Cæcum ducit videns, non videntem cæcus. Quamobrem etſi mentis & voluntatis, quod cor vnum eſt, vna concors eſt opera, vt habitus vnus, hæc tamen vbi dirimis, vbi comparas inter ſe, dubio procul ex aſſueta mente

per

per ſe pendet opus aſſuetæ voluntatis; non opus aſſuetæ mentis ex aſſueta voluntate rectricis cauſæ titulo.

Nos autem è nobis obſeruare ſi volumus, non ſemper, quod nos experientia docet, iudicamus prout affecti ſumus inferiore parte. Huic enim quæ nobis domanda ſit & moderanda, vt plurimùm repugnamus. Libidinibus, fateor, ferme ſeruit homo pecus; ſed ijs ſeruit ex praua mentis & voluntatis aſſuetudine. Vt enim eas explet, ſic eas explendas eſſe ſibi iudicat. Eiſdem, quod aſſentior, vti liquet ex incontinentibus, non ita raro ſuccumbunt, quibus durum id eſt & mœſtum. Sed etſi primum ad aſpectum fortè viles habet incontinens & infimas ſordes pecudis, & abhorreat ab earum fœditate, vt nihilominus, quod periculoſum eſt, earum immodica cogitatione ſenſim excæcatur eius imbecilla mens & obnoxia deliquiis; ita ſenſim videntur illi bonæ, videntur illi hîc & nunc præferendæ. Is autem excæcatur fumo pecudis, eius halitu inficitur opera phantaſiæ, non voluntatis opera. Quòd deficiat itaque, ſuadetur mens; non quòd voluntati ſuccumbat.

Sed vt naturalis eſt ſuaſio vel ſupernaturalis, ita conſenſus. Cæterùm non dicit Chriſtus dominus audire nos & diſcere, quia venimus; ſed è contrario venire nos, quia audiuimus & didicimus. *Omnis qui audiuit à patre*, inquit, *& didicit, venit ad me.* Conſentimus itaque diuinæ vocationi, quòd vocemur; non vocamur, quòd conſentiamus. Imò ſi præiret voluntas mentemque flecteret, verè non conſentiret, qui proprius eſt eius actus, ſed aſſentientem ſibi mentem ageret. Quod abſurdum eſt. Suaſionis autem, quæ diuina ſit, incomparabilis efficacia. Sermo nanque Dei, qui reſonat in nobis, viuus eſt & efficax & acutior omni gladio ancipiti. Pertingit vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medularum, diſcretor eſt cogitationum & intentionum cordis. Neque hortatur ille nos in vno bono opere, non in altero: ſed & hortatur & aptat nos in omni bono opere & ſermone bono. Omnis nanque ſufficientia noſtra abs eo eſt, ſine quo nihil facere poſſumus. Qui autem potens

Y

Digitized by Google

eſt conſeruare nos ſine peccato, qui potens eſt aptare nos in omni bono opere & ſermone bono, potens eſt abſque dubio ſuperare nos & regnare in cordibus noſtris. Quapropter vbi Deus in cordibus noſtris illuxit ad illuminationem claritatis ſuæ, etſi non pauca ſunt myſteria, quæ diſſuaderet potiùs quàm ſuaderet derelicta ſibi ratio, verè tamen aſperſa diuino diuini luminis radio, erigitur ſupra ſeipſam, & natiuum lumen ſuum, quod inferius eſt, captum experitur & offuſum maiore. Sic ſe veluti captiuum agi, captiuum duci videt intellectus. Sic docibiles facit Deus, quos érudit intrinſecus. Neque libertati, quam iuuet, quam exoluat, obeſt ſalutaris illa ſuaſio. Tum enim maximè conſulta voluntas eſt, maximè rationalis.

Vt abſolutè concludam, de voluntate non affecta quæſtio nulla hîc eſt, nulla de appetitu non affecto. Tum enim conceditur iudicium non ſubeſſe voluntati, appetitui non ſubeſſe phantaſiam. Saltem è non affecta voluntate, è nobis non affectis nihil iam aduerſum nos agitur. Sed vtrum aſſueta mens cum affecta voluntate, & aſſueta phantaſia cum appetitu affecto comparetur, an pars ſuperior non affecta cum affecta inferiore, an affecta ſuperior cum inferiore non affecta, diſtinguendum nobis eſt hoc in negotio, maximè verò num in contraria ſint affectæ ſuperior pars & inferior. Comparari verò non poteſt cum affecta voluntate non aſſueta mens, ſi modò natiuos affectus exceperis, nec aſſueta mens cum voluntate non affecta. Nam ex prudentia habitu concluditur virtus in voluntate, vt vitium in eadem voluntate concluditur ex imprudentia habitu. Hæc natiua mentis & voluntatis concordia. Non enim gignitur in mente prudentia niſi gignitur virtus in voluntate, neque virtus in voluntate gignitur niſi gignitur in mente prudentia. Quæ imprudentiæ & vitij connexio. Alioquin euenire poſſet, vt bene viueremus imprudenter, vt prudenter malè viueremus. Quod diuortium arbitrij & liberi nullum vſquam eſt vel eſſe poteſt, nullum vſquam vnius in ſe cordis. Sed ex affecta parte ſuperiore non concluditur inferior affecta, vel affecta inferior ex

Digitized by Google

affecta ſuperiore, neque ex his ambabus affectis vnus concluditur concors affectus, non cor vnum. Hîc enim ſectus homo, feréque, quòd vt plurimùm inter ſe pugnent hæ partes, ſibi contrarius.

Quod autem exceptum iam eſt & nobis obſeruandum, ex affectu natiuo voluntatis, non concluditur aſſueta mens, ſi maximè ſummus eſt & naturalis hic affectus. Liquet è natiuo beatitudinis affectu. Sed vt natiuus eſt hic affectus, ita natiuum in nobis concors iudicium. Diſcors etenim iudicium impoſſibile, ſi per ſe natiuus eſt affectus. Quare natiua pariter hæc duo. Vt autem natiuus affectus, ſic adultus in nobis habitus dominari videtur. Quanuis enim domini ſumus habituum vbi primùm gignuntur, inquit Ariſtoteles, attamen eorum domini non ſumus vbi iam adoleuerunt. Quòd enim aſſuetudo ſit altera natura, nobis non ita promptum eſt eam vertere, ſi præſertim inueterata ſit, & ad malam indolem noſtram apta. Sed, eodem authore, ſemper domini ſumus actuum. Libidinoſus itaque ſuæ vitæ dominus ſemper eſt, ſemper iracundus, ſemper quiſquis conſilio viuit. Nanque dominium, quod verè dominium ſit, conſultum ſemper eſt, ſemper rationale. Imò non ita rarò contingit, vt vitam vertant vniuerſam aliqui, etſi contrariæ ſunt & phantaſiæ & appetitus & mentis & voluntatis aſſuetudines, ſiue bonæ illæ ſunt, ſiue malæ. Nos enim tandiu viuimus in lubrico quandiu mortalem hanc vitam viuimus. Hæc autem vitæ verſio vtranuis in partem maximè pendet è iudicio. Suaſi nanque de meliore, vt conſilium vertimus, ita propoſitum.

Sed, inquies, vitam ex alio ſuperiore quodam affectu vertimus. Quòd enim omnes miſeriam oderimus, amemus beatitudinem, perſuaſus exempli gratia de ſanctitate noſtræ religionis Iudæus ſe conſepeliendum Chriſto dabit odio miſeriæ maximo, maximo beatitudinis amore. Sic enim faciendum eſſe iudicabit impulſus ſupremis his affectibus & maximis. Verùm, inquam, ſi Chriſtum oderat ille Iudæus, nunc autem amat, vnde verſus affectus, niſi è verſo iudicio, non dices. Non enim affectus medios è ſu-

Digitized by Google

premo vertit cæca voluntas ante verſum iudicium. Alioqui cæcus videntem duceret, non cæcum videns. Vere tamen è ſupremo voluntatis affectu vertimus affectus medios eiuſdem voluntatis opera, ſed verſo primùm conſilio ſuperioris alterius iudicij authoritate, non impulſu voluntatis. Vt enim affectus ſolius eſt voluntatis, non mentis; ita lux ſolius mentis eſt, non voluntatis. Quapropter vt lucis voluntati nihil imprimit mens: ita menti nihil affectus imprimit voluntas. Quod autem illa verſio fiat authoritate ſuperioris iudicij, ſic ex affectu maximo ſupremóque planiſſimè concluditur.

Si quis affectus natiuus eſt in nobis & maximus, is dubio procul amor eſt beatitudinis & odium miſeriæ. Sed hic talis eſt, quia par illi natiuum iudicium eſt. Iudicium natiuum & natiuum affectum habitu dico, non actu. Nemo nanque ſemper amat beatitudinem apud nos, nemo ſemper iudicat eam amandam eſſe ſibi. Sed quòd eam odibilem eſſe iudicare non poſſimus, non poſſumus eam odiſſe; neque poſſumus eam non amare, ſi refertur ad arbitrium, quia non poſſumus non iudicare eam eſſe nobis amandam. Quæ verſa miſeriæ ratio. Sic autem iudicamus è primis humanæ vitæ principiis. Quandoquidē enim amabile bonum, non odibile; odibile malum, non amabile; dubio procul amabilis maximè beatitudo, odibilis maximè miſeria. Hæc enim ſummum malum eſt, illa ſummum bonum; mali nihil habet illa, hæc nihil boni. Quæ cùm ita ſint, affectus natiuus, iſque maximus & ſupremus, ortum habet è natiuo iudicio, non natiuum iudicium ab affectu natiuo. Alioqui primum iudicium ortum haberet ab affectu primo, non primus affectus è iudicio. Quod ſi ſic haberet, hic affectus in actu prior eſſet quocunque iudicio. Quo nihil abſurdius. Cæterùm prima hæc iudicia per ſe videntur in principiis abſque vllo, quod euolutum ſit, ratiocinio. Quare ſimplicia ſunt, non re conſultatiua. Tam enim clarum nobis eſt amabilem eſſe beatitudinem, quæ ſummum bonum ſit, quàm amabile bonum. Sed primum ſuo quouis in genere regula cæterorum eſt. Quare vt pri-

Digitized by Google

mus affectus conſequens eſt primi iudicij, non antecedens: ita mediis è iudiciis & vltimis conſequentes ſunt, non antecedentes & medij & vltimi affectus omnes.

CAPVT VLTIMVM

De ſumma libertatis & neceſſitatis quæ propria ſit conſultæ voluntatis, concordia.

ARTICVLVS PRIMVS

Quid conſulta voluntas, quid neceſſitas conſultæ voluntatis propria, quid propriè plenéque voluntarium hoc in negotio?

SI neceſſitatis appellatione ſignificetur egeſtas, certè quicquid agunt homines & angeli, id agunt impulſi neceſſitate. Quæ ratio non eſt Dei creatoris. Nullius nanque rei indigens eſt. Quare ſuam ille propter bonitatem vult, quicquid facere vult, ſi primum eius diuinæ voluntatis propoſitum dicimus. Vult quidem fœnum equo & nobis equum. Sed omnia denique ſe propter vnum operatur puro bonæ voluntatis beneplacito, ſua egeſtate nulla vel vtilitate. Nos autem ſiue ſerimus, ſiue plantamus, ſiue colligimus, ſiue conſtruimus, ſiue precibus inſtamus apud Deum, ſiue gratias illi ſuam propter gloriam agimus, noſtris neceſſitatibus & indigentiis ſtudemus omnes. Neque refert quonam egeſtatis titulo hæc feceris. Vt enim nudus & famelicus veſtium egens eſt & panis, ſic muneris obeundi cultor virtutis, ſic eruditionis muſarum amans, ſic honoris imperator, ſic deliciarum libidinoſus. Certè qui panis egens eſt & veſtis pauperculus, rem ſi bene metiris, is vel magnatibus noſtris & imperatoribus minùs egens eſt. Suo nanque ſe metiens modulo, paucorũ eget, imperator infinitorum. Egeſtatem vno quodam titulo penitus excludit felicitas in cælis. Sed hanc, quam aſſertam habent, ſemper vt potian-

Digitized by Google

tur & continuè, quò pluribus abundant beatæ mentes, eò maiore ſe ſtudio totas velut effundunt, vt par, ſi poſſent, obſequium ſuo benefactori Deo, quod iure ſummo debent, referant. Sola igitur cum diuina libertate pugnat hæc neceſſitas, nequit pugnare cum noſtra.

Sed quod iam toties repetitum & inculcatum eſt, conſiſtere nequit cum libertate coactio, nequit cæca naturæ vis, nequit brutus affectus, nequit impotens dementium, infantium, ebriorum, dormientium & abſolutè mente captorum impetus; nequit etiam eius qui ſit rationis compos, neque tamen vt rationis compos operetur, qualiſcunque voluntas: veluti cum rebus alijs intenti, vngues conſuetudine rodimus, vel ſimile quid operamur imprudentes. Præcauendum nihilominus & prouidendum cuique diligenter eſt prauis aſſuetudinibus. Sed iam aliàs de motibus inconſultis.

Diſputatur itaque de ſola neceſſitate rationali, quæ propria voluntatis eſt. Certum autem eſt inter omnes eruditos, voluntarium proprio nominis vſu nobis cum Deo & angelis proprium eſſe. Siquidem voluntarium recta ratione nominis dictum eſt à voluntate. Certum pariter eſt voluntatem appetitum rationalem eſſe, non cæcum, non verè ſenſualem. Nanque ſola mente ducitur voluntas. Certum etiam eſt conſultam eſſe rationem vel inconſultam. Si ratio ſit inconſulta, imperfectum voluntarium eſt: & perfectum, ſi conſulta. Quæ ſingula velim intellecta populariter, non metaphyſicè. Voluntarium nanque, nullo præeunte iudicio, planè nullum. Sed nomen iudicij non meretur omne iudicium. Obſeruatio confuſi voluntarii cum inuoluntario minùs facit ad inſtitutũ. Quanuis enim acerba ſunt ægrotantibus remedia, acerba mercatori iactura mercium, imperatori ſubeunda captiuitas acerba, hæc attamen omnia nobis perfectè voluntaria ſunt hoc in negotio, ſi modò conſulta ſunt. Quo nomine negatio Petri voluntaria plenè, plenè voluntarius Iudæ proditoris laqueus. Certum adhuc eſt ſolius eſſe mentis arbitrium, & liberum ſolius eſſe voluntatis. Durando quidem placet iu-

dicio totam contineri libertatem. Sed, quod eius pace dictum eſſe velim, vna vel altera hirundo non facit ver. Certum inſuper eſt nos pleriſque in negotijs indifferentes eſſe mente ſimul & voluntate, maximè verò quoties locus eſt conſultationi: in aliis autem non eſſe liberum arbitrium indifferens, vti liquet è diuino cultu beatarum mentium. Denique certum eſt voluntarium conſultum oppoſitum eſſe & violento & naturali & bruto cuiuis impetui & inconſulto. Quod nemo negare poteſt, niſi cauillator. Num autem liberum abſolutè ſit hoc voluntarium, an verò liberum, ſi modò ſit indifferens, alioqui neceſſarium duntaxat, non liberum, quæſtio celeberrima.

ARTICVLVS SECVNDVS

Oſtenditur efficaciſſima potentiſſimáque victrice Dei gratia non eripi libertatem, non impediri, imò iuuari & liberari. Quam in rem referuntur ſententiæ Caluini, Molinæ, B. Thomæ, ſancti Auguſtini. Etiam inijcitur mentio delectus ariſtotelei.

ADVERSVS Caluinum, qui nullam in nobis libertatem agnoſcat, abunde diſputatum eſt ſuperiore altero capite. Quæ reſtat inter catholicos de conſultæ voluntatis neceſſitate diſſenſio, ea maximè duarum partium eſt. Prior attinet ad liberum arbitrium. Qualis illa beatarum mentium in diligendo Deo. Nec enim poſſunt illum clarè viſum non diligere, nec aliter iudicare poſſunt. Quare Deum ſimplice per ſe iudicio ſemper amandum eſſe iudicant, eumque pariter amant indeſinenter illo, qui datus ipſis eſt, amore maximo. Altera magis ad voluntatem ſeu libertatem attinet. Qualis illa victricis gratiæ Chriſti ſeruatoris. Hypotheſis etenim eſt conſilium habere nos apud nos, illudque conſilium re deliberatiuum vel virtute, nihilominus, duce manu Dei præpotentis, ita flexum, vt efficax eius gratia sēper victura ſit. Pleriſque noſtra hac ætate ſcholaſticis prior neceſſitas incompoſſibilis eſt cum

Digitized by Google

vſu libertatis: ſed altera communi eorum iudicio eundem iuuat, non impedit. Incompoſſibilem nihilominus cum libertate victricem Dei gratiam ſcribunt Molina, Leſſius, Valentia, Suarius, Vaſqueſius. Si quæris ecquo argumento ſuaſi? certè nullo niſi cauillatorio dixeris, maximéque declamatorio.

Præmotionis phyſicæ meminiſſe mihi non videtur beatus pater Auguſtinus, non eius inſuper alius de gratia victrice diſcipulus. Contendunt attamen beati Thomæ diſcipuli præmotionem hanc, quæ maximè apud illos celebretur, quamque neceſſariam eſſe velint in quouis creaturarum omnium opere, nihil obeſſe libertati, quòd per eam noſtris voluntatibus nulla vis inferatur, quòdque Deus qui diſponit omnia ſuauiter, eas rationabiliter flectat omnes, non impetu violento, non cæco, non bruto, non inconſulto, maximè cùm eas trahit in odorem vnguentorum ſuorum. Quod etſi vaſtum argumentum eſt & par tot legionibus exercendis, nemo moliniſtarum vſquam refutauit.

Sed multò minùs audebunt æquo Marte conſerere cum cæteris Eccleſiæ patribus & doctoribus, quos hoc capite referemus, qui, miſſa hac generali præmotione, docent Deum ita concurrere nobiſcum, vt ſuo nos ſuadente apud nos & afficiente ſpiritu ſuis exhortationibus efficaciſſimis & pijs affectibus, certus ſit ſe ſemper obtenturum è nobis, quod ſibi propoſitum eſt, & eo quem ſibi propoſuerit, quocunque modo. Nouit omnes receſſus noſtros, nouit aperire vias, nouit occludere, nouit & poſſidet flectendæ regendæque humanæ mentis habenas & funes omnes. Reſcindet ille quos volet; quos volet, inijciet. Quid enim tot in locutuleis iactatæ artis flexanimæ mortua vox in auribus noſtris & inefficax ad viuum & efficacem noſtris in cordibus ſermonem Dei? Quid craſſiſſima eorum ignorantia ad infinitam Dei ſapientiam? Quid infirmitas ad potentiam, & ad abundantiam egeſtas? Audire cuperem ab ijs hominibus contra quos diſputo, num ita ſe velint alienos haberi ab omni ſenſu, vt vel cogitare vſquam auſi ſint,

Digitized by Google

ſint, Deum ſi velit, non obtenturum à nobis quicquid volet, etiam ipſa re, quancunque voluerit, veluti permiſſa noſtro conſilio? Quod tot è ſacris paginis hiſtoriæ docent, contrarium dicere ſummæ foret impietatis. Sed vel his ipſis authoribus, quicquid deliberationis opera volumus, quicquid volumus conſultatiuo re vel virtute conſilio, ſi quid volunt agere nos liberè, id liberè volumus. Quod autem illis conceſſum volo, ſic aſſentimur diuinis vocationibus ordinariis. Sed illis ita nos aſſentimur omnes, vt dominetur Deus in cordibus noſtris, non noſtra in eo corda dominentur. Nanque dominatur abſolutè ductor operis, qui, ſi potentia valet & ſapientia, ſuas concauſas certò conſtanterque ducit quocunque vult, & quacunque via. Sic autem nos agit Deus. Suus equidem, quod tot argumentis euici, noſtræ voluntati ſuæ cuiuſuis operæ, quæ conſulta ſit, dominatus aliquis eſt, quatenus ipſa ſui iuris eſt, vultque volens rationabiliter, non inuita, non nolens, non inconſulta. Sed ſummum abſolutumque dominium cauſæ flectentis eſt & dirigentis; cauſæ ducentis, gubernantis & abſolutè regnantis. Porrò talem ſe noſtris in cordibus habere Deum negare quiſquis audebit, is audebit omnes ſacros codices, omnes Eccleſiæ preces expungendas eſſe contendere.

Verùm intelligere ſatis nequeo, quid ſibi moliniſtæ velint, quos non pudeat illos inſimulare caluiniſmi, qui nos inexuperabilem & indeclinabilem victricis Dei gratiæ potentiam edoceant cum beato patre Auguſtino & clariſſimis omnium ab eius ætate ſæculorum Eccleſiæ luminibus. Nimium infames illæ ſunt & abhorrentes à pietate chriſtiana calumniæ. Id autem vt liqueat quàm iniquum ſit, quòd docet Caluinus omnes in nobis actiones indifferentes tam pendere ab arcano Dei latentis impulſu, quàm ſanctas & pias omnes, id ab omnibus repudiatur. Quòd ait peccatorum omnium tam cauſam eſſe Deum in nobis, quàm ſanctorum operum omnium, id ore vno deteſtantur omnes catholici. Pariter damnant omnes quòd idem ille Caluinus meritum ſanctis omnibus ademit cum libertate.

Digitized by Google

Sed quòd cum beato patre Auguſtino & eius diſcipulis omnibus victricem gratiam approbet, id eatenus maximè catholicum eſt, non hæreticum. Sic hæreticum non eſt credere myſteria Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis & Paſſionis dominicæ cum longè pluribus alijs, quòd ea crediderit Caluinus.

Sed docuit Caluinus cum efficace gratia non conſiſtere libertatem, eam inferre neceſſitatem cum libertate incompoſſibilem, nullum prorſus in nobis hac è gratia meritum; Deum ita flectere verſaréque noſtras voluntates, vt, velimus nolimus, ſuæ prouidentiæ viam faciat, neque propterea nobis ita liberam electionem eſſe quæ verè libera ſit; eos autem qui libertatem cum ea neceſſitate conſiſtere velint, neceſſitatem cum coactione perperam confundere. Quod idem aſſerunt moliniſtæ. Imò rem iſti vulgò cumulant, docentque libertatem quæ dicitur à coactione, nobis cum lapidibus & brutis animantibus communem eſſe. Quæ malitia ſingularis eſt vel ignorantia. Diſcant ſi velint, & cum hominibus de ſecta Caluini diſcant, quod negare pudens nemo poſſit, doctores omnes & approbatores gratiæ victricis negare nos non eligere liberrimè; imò nos non eligere liberiùs, quo potentior gratia & efficacior: diſcant eos qui libertatem à neceſſitate cum ſancto Bernardo, cum Magiſtro ſententiarum, cum beato Thoma & aliis, libertatem interpretantur à coactione, eos voluntatem dicere, non appetitum ſenſualem, non cæcum; eamque conſultam dicere, non inconſultam. Sed vbi pudor? perinde liberas eſſe brutas animantes & res inanimas! Quaſi verò conſultiſſima & ſapientiſſima beatarum mentium voluntas bruta libertas eſſet & lapidea? Sed Pauli major authoritas, major Chriſti ſeruatoris: vbi charitas, ibi libertas: niſi nos liberauerit filius, ſerui ſumus peccati: ſin autem ille nos liberauerit, verè liberi ſumus. Ecquæ igitur & quanta beatarum mentium libertas?

Sed quod reliquum eſt, vt colligam, placuit Caluino ſitam eſſe libertatem in indifferentia: per hanc vtranuis in partem æquè flexibilem eſſe voluntatem: propriam

Digitized by Google

libertatis operam eſſe delectum: hunc autem oppoſitorum eſſe, & ſolius voluntatis proprium. Quæ ſi docent illi, non ideo damnandi ſunt nefariæ hæreſeos. Sed etſi conſentiunt illi cum Caluino his in capitibus, non ideo nos cum illis & Caluino conſentimus. Non enim libertatem per ſe ſitam eſſe concedimus in indifferentia. Quòd autem eſſe ſe ariſtoteleos hoc in negotio iactitent, idque ſibi glorioſum arbitrentur (magnum quippe præſidium illud eſt chriſtianis hominibus in explicandis gratiæ myſteriis, ijs autem præſertim quæ pugnent à tergo, à fronte & à lateribus cum corpore peccati,) errant certè, quod vulgò dicitur, toto cælo. Suum nanque delectum Ariſtoteles mentis eſſe ſimul & voluntatis aſſerit, planéque negat alterutrius eſſe ſeorſim: delectum ſemper eſſe vult melioris, non hi ſemper. Neque docet ille, quod antea probatum eſt, libertatem abſolutè, vel ſi mauis, τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ ἀυτεξούσιον, τὸ κύϱιον eſſe ſitum in delectu. Imò contrarium docet. Sed, miſſo nunc principe ſophiſtarum, gratia victrice iuuari libertatem, non impediri, ſatis vident, quicunque vident non eſſe noſtræ infirmitatis expedire nos è tenebris ignorantiæ, & è concupiſcentiæ laqueis. Opus, opus, inquam, illud eſt excelſi. Liberamur in brachio forti, quoties liberamur, liberamurque liberrimè. Sed acta iam res eſt aduerſus Caluinum. Ne quid autem & his & illi reſtet, ita contẽdo gratiæ victricis vim inuincibilem non modò non obeſſe noſtræ libertati, ſiquidem magiſtro ſcholæ Pariſienſis liberum arbitrium eſt *facultas rationis & voluntatis, qua bonum* eligitur *aſſiſtente gratia, & malum eadem deſiſtente,* ſed nullam illi prorſus obeſſe neceſſitatem, quæ ſit conſultæ voluntatis; illamque quam vulgò venditant in nobis indifferentiam ad vtrunuis, non tam libertatem eſſe quàm veræ perfectæque libertatis impedimentum.

Digitized by Google

Articvlvs tertivs

Natiuus amor felicitatis otioſus, otioſumque natiuum calamitatis odium, niſi nos deſuper illuminet Deus & liberet à laqueis concupiſcentiæ. Omnis autem in nobis conſultationis & indifferentiæ matrem eſſe ignorantiam.

NEmo ſiquidem hominum eſt, qui ſibi bene conſultum non velit, qui ſe ſapientem non optet, & rerum omnium, ſi fieri poſſet, intelligentem. Quod item certum, nemo bonum odit, vel malum amat hoc nomine. Sed è malis, quod minus eſt, cenſetur id inter bona. Quamobrem inter mala cenſendum eſt, quod pluribus è bonis minus eſt. Vt enim imminuitur malum, ſuccedente habitu, & euaneſcente veluti priuatione: ſic deficiente habitu, & ſuccedente veluti priuatione, imminuitur bonum. Quare ſola fælicitas bonum eſt abſque malo, & malum abſque bono miſeria ſola. Quæ cùm ita ſint, quod minùs habet boni, id miſeriæ vicinius eſt: & vicinius felicitatis, quod minùs habet mali. Sed vt non poteſt ipſa à ſeipſa fælicitas noneſſe penitus aduerſa miſeriæ, ita nequit ipſius à ſeipſa fęlicitatis imago per eſſentiã non eſſe cupida beatitudinis & inimica miſeriæ. Hanc itaque nemo non odit intrinſecus, illam nemo non amat intrinſecus. Quare viarum felicitatis & calamitatis amor idem eſt, idem odium abſolutè. Nemo nanque ſe non cupit diſiunctum penitus à miſeria, & cum fælicitate conjunctum. Quæ cùm ita ſint, nemo ſic ab amore ſui deſciuit, ſic ab amore beatitudinis & odio miſeriæ, qui minus è malis abſolutè non velit, & majus è bonis. Sed nos ignorantiæ tenebris & laqueis concupiſcentiæ captos niſi deſuper illuminet Pater luminum, niſi nos erudierit viuo ſermone ſuo, niſi nos eduxerit de laqueis venantium, niſi nobis à dextris eſt, deducitque nos propter nomen ſuum, certè diſtracti ſuperbia, curioſitate & ſtimulo carnis; deterriti moleſtiis veræ ſanctæque viæ,

Digitized by Google

& illecebris eius quæ ducit ad interitum abſtracti, mala ſummam per ignorantiam veluti laruis excæcati bona reputamus, bonáque viciſsim mala. Et cùm vtimur telis Satanæ, qualia ſunt exedentis nos inuidiæ tela, tela diſtortæ Nemeſis, & fœdæ tela libidinis, quæ fœdiſſima ſunt & plena horroris, ea nobis optima videntur & amabilia. Quod autem iam obſeruatum eſt, de libidinibus explendis non conſultant earum mancipia, neque de coërcendis illis eruditi exercitatique Chriſti ſeruatoris athletæ. Hærent & fluctuant quauis occaſione tepidi. Sed en cauſa malæ voluntatis noſtræ. *Nolunt homines*, inquit beatus Auguſtinus, *facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit, nouimus, eóque delectamur ardentiùs.* Ignorantia *igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum bonum opus, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates. Qua gratia agitur non ſolùm vt facienda nouerimus, verumetiam vt cognita faciamus; nec ſolùm vt diligenda credamus, verumetiam vt credita diligamus. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, vt certius & interius eam Deus cum ineffabili ſuauitate credatur infundere, non ſolùm per eos qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, itaut non oſtendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem.*

Lib. 2 de pecc. merit. c. 6. 17.

Lib. de gratia Chriſti c. 12. & 13.

Cæterùm hîc iudicium vltimum dicimus è conſilio re conſultatiuo vel virtute, cùm eos omnes errare dicimus, quicunque peccant. Quo nomine primus hominum Adamus ipſeque Satanas peccauerunt, non officiorum ignorantia, ſed vaniſſimis deluſi ſpectris affectatæ, quæ Dei propria ſit, excellentiæ. Verùm hæc quæ remota magis, vt miſſa faciamus, quod certum eſt, imprudentia duce peccamus, non duce prudentia. Quod autem negare nemo poteſt, cauſa conſultationis eſt ignorantia. De rebus etenim apertis nemo conſultat. Ratiocinio quærere nemo

Digitized by Google

poteſt, quod mente & intelligentia plenè poſſidet. Sed vbi conſilium re ſimplex eſt & vnum, neque varium eſſe poteſt, tum indifferentiæ locus in mente nullus. Quare nullus indifferentiæ locus eſſe poteſt in voluntate, amota penitus ignorantia, ſi de voluntate noſtra diſputatur, & de quauis abſolutè, quæ ſit in bonum & malum flexibilis. Sed neque tum peccato locus eſt. Alioqui peccaremus duce prudentia, duce ſapientia peccaremus. Quod abſurdum. Sed incautos nos ineſcāt malæ fœdæque libidines, & quaſi noctem offundunt cordibus noſtris. In cæteris ferme rebus dubius nos dubios habet euentus. Quanuis enim vel ijs de rebus agitur, quarum artem in pleriſque poſſidemus, fortunam, quæ Dei conſilium eſt, non tenemus. Non ſemper vincit bonus & fortis imperator, cauſam eximius orator & conſummatus non ſemper obtinet, ſemper lucrum non facit acer & intentus ad rem mercator. Hac ætate noſtra, qua iam à tot annis, graſſante ſæuientéque vniuerſum per orbem Marte duriſſimo, tot per annos habita conſilia ſunt de ineunda pace, tot præcidendæ calamitatis oblatæ conditiones; tot principes, etiam pacis amantiſſimos, quid impediuit quominus exoptata tandiu pax obtineretur, atque finis imponeretur tot miſeriis? Certè nemo mecum non ita ſentiet, quod bona cum venia tantæ & tam exquiſitæ pro ſorte humana ſapientiæ dictum eſſe velim, in cauſa ſolam eſſe ignorationem euentus. Illorum etenim eximiæ virtutis principum nullus eſt, qui ſi glorioſius ſibi fore & vtilius certò ſciret his conditionibus pacem inire, quàm bello furere diutius, illi non litaret. Sed alea Martis dubia. Tot & tantis laqueis impeditæ res, tot aluntur omnes aleæ melioris aſpectibus, tot gliſcunt emiſſæ fraudes ab orco, vt conquiſitis tot vndique conſiliis potiùs creſcant vt plurimùm anguſtiæ, quàm præſcindantur. Quod itaque certum eſt, hæſitantis in nobis omnibus voluntatis cauſa ſuperior eſt hæſitantia mentis. Huius autem mater ignorantia. Ignorantiam itaque ſi ſuſtuleris, conſultatio nulla ſupererit, nulla ſupererit in nobis flexibilis vtrauis in viam indifferentia voluntatis. Bonorum ete-

nium amans eſt voluntas intrinſecus & inimica malorum.

Articulus quartus

Quid creatæ mentis indifferentia, quid creatæ voluntatis, quid & mentis & voluntatis increatæ?

ET certè rem vt exequar, indifferentia per ſe abſolutè, etſi neceſſaria plurimis in rebus conditio, neque vera vis eſt, neque vera res vlla. De paſſiua non loquor & objectiua. Neutra nanque ſpectat ad inſtitutũ. De actiua loquor, quæ ſic dicta eſt, non quòd operetur, ſed quòd propria ſit cauſæ efficientis, non cuiuſuis abſolutè vel titulo quouis, ſed indifferentis. Hæc ſuo modo communis eſt cauſarum contingentium & liberarum, prout hæ ſunt indifferentes. Non enim liberum indifferens eſt abſolutè. Siquidem libertas indifferentiæ liberum non explet. Sua quædam adhuc eſt, quod nemo neſcit, in brutis animantibus indifferentia. Sed quòd ea ſit irrationalis, verè non attinet ad libertatem. Verùm propria nobis indifferentia ſuo modo rationalis eſt. Ea ſiquidem media eſt prudentiæ & imprudentiæ, abſolutéque virtutis & vitij. De hac vna loquor. Sed noſtra rationis indifferentia in ferendo iudicio de bonis & malis, déque melioribus bonis & minoribus malis, conſultationis opera, fœtus eſt ignorantiæ. Alioqui nullus eſſet conſultationi locus, nullus ratiocinio. Mera igitur puráque imperfectio eſt & mentis infirmitas. Quod attamen omnibus probatum eſt, qui libertatem ſitam eſſe velint in indifferentia, quæ virtutum media ſit & vitiorum, hi ſitam eam eſſe volunt in hac indifferentia mentis, vel ab ea pendere, vt à conditione neceſſaria. Sed libertas quæ præcellentiſſima ſit animæ gemma, quæ domina ſit & regina vis, quæ ſit præcipuum Dei naturæque donum in nobis, perfectio quædam eſt, non imperfectio. Quare poſita non eſt in illa mentis indifferentia. Vno cæterùm omnium iudicio indifferentia voluntatis ita pendet ab indifferentia mentis, vt ſublata mentis indifferentia, nulla reſtet indifferentia voluntatis. Quocirca noſtræ voluntatis

vtranuis in viam indifferentia pariter imperfectio eſt, non perfectio. Clara promptáque rei demonſtratio. Meræ nanque priuationis malæque partus alius nullus eſſe poteſt, quàm mera maláque priuatio. Sed indifferentia mentis, quæ prudentiæ media ſit & imprudentiæ, partus eſt ignorantiæ. Quod autem certum, ignorantia mera putáque priuatio eſt. Eius itaque partus in mentibus noſtris indifferentia, quæ prudentiæ media ſit & imprudentiæ, æquè paritérque priuatio eſt. Ecquid enim pareret vmbra præter vmbram? Quare cùm & ignorantiæ & illius humanæ mentis indifferentiæ partus ſit media virtutis & vitij noſtræ voluntatis indifferentia, hæc mera priuatio eſt & imperfectio. Non igitur hac in indifferentia conſiſtit, quæ vera res eſt veráque perfectio, noſtra per ſe libertas.

Fortaſſe dices malè nos concludere de voluntatis indifferentia, quòd ea communis eſſe videatur increatæ creatæque voluntatis. Sed nihil ad rem indifferentia diuinæ voluntatis. Concluſi de noſtra, quæ ſit vtriuſque viæ media. Neque meis è principijs concluſi, ſed eorum qui noſtram hac in infirmitate libertatem ſitam eſſe velint.

Neque valet opponere libertatem hanc, quæ media ſit virtutis & vitij, ſtandi libertatem eſſe & cadendi. Hic etenim vterque motus voluntatis eſt, non indifferentiæ, quæ nihil eſt. Deinde nobis ad cadendum noſtra ſatis eſt infirmitas, non ad ſtandum. Liberum arbitrium, inquit magiſter ſententiarum cum ſanctis doctoribus Auguſtino, Bernardo & alijs, eſt *facultas rationis & voluntatis, qua bonum* eligitur *aſſiſtente gratia, & malum ea deſiſtente*. Quare nos neque ſtamus virtute noſtra, neque reſurgimus. Sed neque hanc, de qua diſputatur, indifferentiam nego, ſed eam eſſe iacentis in lubrico voluntatis, vel etiam, ſi vis, in tumulo, ſi modò mortua ſit, priuatiuam conditionem aſſero, non rem, non facultatem, non libertatem ipſam, quæ ſit vera vis, cùm præſertim morientibus nobis, ſic euaneſcat, vt nihil planè detrahatur noſtris voluntatibus.

Quare longè aberis ab inſtituto, ſi nobis oppoſueris diuinæ voluntatis indifferentiam. Quod enim certum eſt, vt nulla

Digitized by Google

nulla poſſibilis eſt diuinæ mentis ignorantia, ita neque conſilij egens eſt ſapientiſſima Dei voluntas indifferens. Ecquis conſiliarius ipſius à ſeipſa ſapientiæ, ipſius à ſeipſo rerum omnium aſpectus? Nemo certè. Quocirca diuinæ libertatis indifferentia adeſſe non poteſt & abeſſe. Non enim, quòd diuina libertas omnipotentiſſima ſit, capax eſt infirmitatis. Quòd igitur omnis conſultatio ſit ex ignorantia, vel potiùs, quòd media virtutis & vitij indifferentia ſit ignorantiæ partus, cuius remedium nobis eſt conſultatio, nihil horum omnium eſt in Deo. Sanctæ volitionis ſanctæque nolitionis media diuinæ voluntatis indifferentia, bonæ nuſquam & malæ. Deinde noſtrarum nos in nobis actionum, noſtrorum organorum viriumque dominium habemus, ſi modò hæc voluntaria ſint: Deus autem neque ſui verum dominium habet, nec eorum quæ in ipſo ſunt, omnium. Quare non dicitur ἀυτεξόυσιος, quòd verè ſit dominus ſui, ſed alio longè ſuperiore titulo, quòd nimirum ſit rerum omnium dominus à ſeipſo per eſſentiam. At homo vel angelus ἀυτεξόυσιος ſui, non à ſeipſo. Rerum autem quæ ſunt extra nos, dominium nullum habemus, vel certè perexiguum illud eſt. Ne quidem enim noſtris in nobis omnibus dominamur; & quibus dominamur, iis per impotentiam fere dominamur, non per potentiam. Omnis etenim improbus eatenus impotens. Verè potens itaque nemo, niſi qui ſit in Deo potens. Non enim ſufficientes ſumus ex nobis. Sed Deus cunctis rebus extra ſe poſitis abſolutè plenéque dominatur. Denique nulla lege tenetur ipſa à ſeipſa majeſtas. Quare præſtandi officij vel non præſtandi nulla in Deo indifferentia. Nulla, quæ merendi conditio ſit vel demerendi, ipſius à ſeipſa felicitatis indifferentia. Sed neque hæc indifferentia quæ vulgò iactatur in nobis cauſa merendi, verè talis eſt per ſe. Alioqui mereri poſſet ipſa à ſeipſa felicitas. Indifferens etenim Deus in electione creaturarum. Sed ipſe mereri non poteſt. Quare noſtra bene maléque viuendi indifferentia conditio ſimplex eſt hærentis in lubrico voluntatis. Gratia verò per ſe cauſa meriti nobis ineuntibus viam & tenentibus. Per eam

meritus eſt Chriſtus dominus , cuius non erat flexibilis vtranuis in partem voluntas. Sed neque diuina libertas abſolutè per ſe conſiſtit in indifferentia. Liber etenim eſt Deus,quatenus ſuæ compos ſapientiſſimæ voluntatis ſumma potentia vult quicquid vult, nullis obnoxius impedimentis. Quo titulo tam illi liberum eſt nolle mentiri, quàm reprobare vnum è geminis. Rem vt verbo complectar, noſtra de infirmitate concluſi, noſtra de cunctabunda voluntate,de noſtra mente hæſitabunda,non de diuinæ voluntatis indifferentia, quæ nec ignorantiæ conſequens, nec infirmæ voluntatis, nec vllo penitus modo pendens è hæſitatione mentis. Sed ita paucis habeto, quod inſuper diuinæ libertatis mihi vel magis proprium eſſe videtur.

Nullam Deus ſecundum rem ſuorum in ſe actuum veram habet indifferentiam. Quicquid enim eſt in Deo,verè Deus eſt. Quare nihil eſt vel eſſe poteſt in eo factum. Ipſa à ſeipſa ſimplicitas, quæ Deus eſt, per ſe ſuamque per eſſentiam immutabilis eſt intrinſecus. Alioqui compoſita foret. Sed etſi liber non eſt Deus vllius in ſe viciſſitudinis exerendæ, eius omnis omnibus in creaturis exercendæ liberrimus eſt. Quæ cùm ita ſint, magis cadit in nos hæc indifferentia, quàm in Deum omnis authorem veræ mutationis. In eo ſiquidem eſt, vt in cauſa: in nobis autem vt in effectis ad nutum vertibilibus indifferenter. Quod ita paucis explicare mihi videor vtcunque pro captu próque rei celſitudine. Deus eſt ipſa à ſeipſa ſimplicitas. Quare per ſe ſuamque per eſſentiam immutabilis eſt intrinſecus. Nihil igitur vſquam in eo nouum, eius nihil vſquam excidit. Imò rei nihil in eo penitus, quod in eo non eſſe poſſibile ſit: nihil in eo poſſibile, quod non fuerit in eo ſemper. Alioqui compoſitus eſſet. Quæ ipſius à ſeipſa ſimplicitatis euerſio eſt. Vt ergo Deus eſt ipſamet à ſeipſa rerum omnium intelligibilium notio, ita volibilium omnium volitio, omniumque, vt ſic eloquar, nolibilium nolitio, quæ veniant in rectam ſanctamque volitionem & nolitionem. Nihil etenim habet potentiæ actus à ſeipſo, nihil à ſeipſa ſimplicitas, Itaque diuina volitio, quæ ratio

Digitized by Google

diuinæ nolitionis, diuiſas in nobis volitiones omnes ſupereminente ſua ſimplicitate ſic inuoluit, omni penitus imperfectione præciſa, vt quod infinitis volitionibus velle poſſumus omnes, id infinities excellentiùs vna volitione ſua velit immutabiliter. Sed vbi omnia ſunt vnum, ibi vera diſtinctio nulla. Quare volitio & nolitio in diuinis vnum. Veſtem aſſuere ſi volumus, ſubindéque, quòd diſpliceat, diſſuere, vertenda nobis voluntas. Sed Deo vertendæ res, non vertenda voluntas. Diuina nanque volitio diuináque nolitio, vtraque ſecundum rem eſt à ſeipſa. In nobis autem vtraque fit, & deperit vtraque. Sed vt centri, cuius partes nullæ ſunt, infinitè diuerſus eſt aſpectus ad omnes ab ipſo radios ad ambitum; vel potiùs, vt diuinæ notionis alius ſuo modo & alius aſpectus eſt ad res omnes quæ prodituræ ſunt è vi creatrice: ita diuinæ voluntatis ad res omnes, quæcunque fiant, nutus ſuo modo diuerſus. Sed vt non vertitur diuina notio, quòd extent res creatæ vel non extent, quòd extituræ ſint vel non extituræ, ita neque volitio vel nolitio. E nobis itaque in quibus vnis expreſſa ſit, nobis intelligenda viciſſitudo, non ea è radice, quæ ſemper eadem eſt & immutabilis.

Nihilominus Deus verè liber eſt & indifferens intrinſecus comparatione creaturarum omnium. Eccur autem extet iſta res, non illa, diuinum abſque dubio propoſitum eſt, ſed ineffabile nobis & incomprehenſibile. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei!* Abſit nos altum ſapere, quos oportet ad ſobrietatem ſapere. Admirabilis quidem Deus ſuis in operibus. Sed longè nobis admirabilior ſuis in decretis. Nobis abſconſus ille theſaurus. Quicquid attamen operatur, id abſolutè, quod iam obſeruatum eſt, ſuæ bonitatis ergo ſuæque voluntatis operatur. Sed proprias ſuæ ſapientiæ vias ſolus ille nouit. Neque probatione nobis opus. Cur enim hos creat homines, non illos? cur hos eligit, non illos? Conſilium eius eſt & beneplacitum nobis omnibus adorandum. Nam è ſe rationes habet & cauſas rerum faciendarum & non faciendarum, non è nobis, non è puluere, non ex vmbris. Longiùs ſi conten-

Digitized by Google

derem, me diſcipulum non haberem Doctoris gentium. Viæ domini imperſcrutabiles, conſilia eius incomprehenſibilia. Cùm tamen electionis in Deo ſibi fontem obijcit Apoſtolus, quod prætererire nequeo, non ſic ille: ô altitudo diuinæ bonitatis, ô diuinæ voluntatis altitudo! Sed primæuam cauſam his verbis indicat: ô altitudo *ſapientiæ* & *ſcientiæ* Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt *iudicia* eius & viæ eius ininueſtigabiles! Quibus nos apertè docet electionis diuinæ, diuini propoſiti, non veram certè cauſam, ſed veluti cauſam eſſe iudicium. Si quod autem arbitrij & liberi diuortium eſſe poteſt in nobis, quod vllum eſſe poſſe non arbitror, dubio procul id in diuinis impoſſibile. Quod igitur Deus nos è nihilo vocandos eſſe decreuerit, non innumerabiles alios, è ſua ſapientia habet, habet è ſuo iudicio, è ſuo propoſito habet, non habet è nobis.

Quod enim certum eſt, Deus nullis obnoxius eſt incommodis, bonis omnino nullis egens. Quare neque commodis ſtudet, neque cauet incommodis. Cætera vt præcidam quæ minùs ad inſtitutum, nullius officij debitor eſt Deus, nullius operis. Quibus etenim dominis aut creditoribus obnoxia foret ipſa à ſeipſa maieſtas & abundatia rerum creatrix omnium? Quis prior dedit illi, & retribuet? Nemo certè. Nihil etenim habemus non acceptum. Quæ cùm ita ſint, independens eſt Deus, & in aperiendis communicandiſque ſuæ ſapientiæ theſauris indifferens. Ex operis etenim indifferentia planiſſimè concluditur indifferentia cauſæ. Sed egentibus nobis & infirmis & debitoribus cauendum ſemper eſt & prouidendum & retribuendum. Neque vita, neque vitæ commoditas & exitus in manu noſtra. Infirmitas porrò tanta, vt nemo dicere poſſit dominum Ieſum, vt oportet, niſi in Spirituſancto. Nos denique debitores ſumus omnium. Reddenda nobis igitur omnia. Sed bene reddendum alienum eſt, non malè. Nobis itaque nullum opus indifferens. Niſi tibi videor eſſe verus, cedo mihi vnum opus non debitum, vnum non reddendum cedo, cedo vnum non bene reddendum. Sed quandoquidem tibi nullum eſt, noſtra, quæ vera perfectio

ſit, ecquæ vſquam eſſe poteſt operis indifferentia?

Eam certè nullam videremus, ſi vt illæ mentes vident, quarum otioſum opus omnino nullum, nullum abſolutè non ſanctum, bene videremus. Beatæ mentes pro certo non ſunt indifferentes ad actiones bonas & malas, non ad otioſas & ſerias, non ad otioſas vtrinque, vel vtrinque malas. Quare ad bonas duntaxat & ſerias vtrinque ſunt indifferentes, ſi quæ ſupereſt in illis indifferentia. Sed eas omnes in ſe clauſas habet diuina voluntas, quæ pleniſſimè regnet in illis. Quare hæc illis lex eſt & regula omnis operæ. Obambulationes illic & exercitationes ludicras, vt fœdiſſimas ſilentio prætercam, confingere, Mahumetanum eſt. Se totas habent illæ mentes effuſas in diuino cultu. Quamobrem illis nulla ſupereſt vtranuis in partem indifferentia. Illis attamen adjecta ſumma perfectio, nulla prorſus adempta. Ecquæ igitur noſtræ quæ celebratur his in terris dignitas ad vtrunuis indifferentiæ? Si quæ tibi ſit occaſio dubitandi, euolue, veſtiga, perquire: cedo vel vnicum opus, quantulum illud quantulum, quod exemptum ſit, quod æterno dominio non ſubſit per eſſentiam intrinſecus, cuiuſque propterea debitor non ſis per eſſentiam, atque tibi cōcedam opus nobis indifferens. Si quod autem opus nobis indifferens eſt, nobis pariter voluntas indifferens. Sin res aliter habet, concedas oportet nullam eſſe nobis voluntatis indifferentiam, quæ perfectio ſit, quæque nobis tantopere celebranda ſit & commendanda. Sed etſi per abſurdum concederem tibi actiones in indiuiduo neſcio quas indifferentes & feſtucarias, quid ad rem? Si nanque indifferentes illæ ſunt, tuo iudicio neque bonæ ſunt neque malæ. Quid itaque conferunt? quid illarum cauſa & mater indifferentia? Certè nihil.

Vt concludā itaque, indifferentia Dei non eſt ignorantiæ fœtus, non infirmitatis, non prudentiæ & imprudētiæ, non virtutis & vitij mediū arbitriū: ſed à cauſa quauis & à quouis effectu maieſtas independens, independens arbitrium creatrix vis indepēdens. Non enim vllis è cauſis pēdet hæc dominatio, non vllis ab effectis. Quod facit, facere non te-

Digitized by Google

netur; non tenetur non facere, quod non facit. Quandoquidem ergo Deus abſolutè liber eſt, quo nomine volens eſt & ſapiens independenter, diuina libertas verè melior eſt ipſa quàm non ipſa. Sed ea duarum veluti partium eſt. Se nanque videt ipſum Deus, ſe diligit ipſum, ſe tenet ipſum & potitur liberrimè abſque vero ſui dominio, qui ſe liberum habet ea libertate, quæ dicitur indifferentiæ, quo titulo verè dominus eſt independens, independens verè dominus ſuæ cuiuſuis operæ. Nos autem debiles, infirmos & impotentes, nos agitatas ventis arundines lubricos habet exuenda demum indifferentia & figendos alterutro viarum extremo. Exuendæ cæterùm indifferentiæ, ecquæ vis eſſe poteſt, ecquæ vera dignitas?

ARTICVLVS QVINTVS

Tranſgrediendi poteſtas & faciendi mala, infirmitas eſt & impotentia, non vera potentia & firmitas: ſed non tranſgredi, non facere mala, vera firmitas eſt & potentia deſuper.

BEATVS, fateor, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit. Sed longè beatior qui tranſgredi nequit, qui bona facere poteſt, nequit facere mala. Qualis eſſentia Deus, qualis natura Chriſtus, quales gratia omnes beatæ mentes. Imò certè nemo beatus, quia tranſgredi poteſt & facere mala. Nanque tranſgrediendi poteſtas & faciendi malum, vel authoribus philoſophis, infirmitas eſt & impotentia, non vera potentia, non vera vis. Non tranſgredi verò, non facere malum, opus eſt noui hominis, non veteris Adæ. Quamobrem hæc indifferentia, prout ſpectat ad malum, ignorantiæ partus eſt & infirmitatis. Rem autem ex occaſione ſic explico. Vt objectæ propoſitionis duæ ſunt partes, ita partes illæ duorum ſunt principiorum, non vnius æquè pariterque. Poſſumus enim è nobis facere mala & tranſgredi, quod proprium eſt corporis peccati: ſed neque tranſgredi, neque

Digitized by Google

facere mala, non poſſumus è nobis. Non enim ſufficientes ſumus è nobis tanquam è nobis aliquid cogitare, ſed in eo qui nobis à dextris eſt, poſſumus non tranſgredi, non facere mala. Malum itaque nobis pro foribus eſt & abſolutè miſeria: ſed felicitas Dei donum eſt, & bonum omne donum de ſurſum. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, ſperandũ è nobis nihil eſt, ſed omnia poſſumus in eo qui confortet nos, qui nos educat de laqueo, qui propter nomen ſuum deducat nos & reducat, qui nos enutriat diuino ſpiritu ſuo. Sic intelligendum eſt noſtri nos appetitus eſſe dominos in malum, cùm dicitur ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quòd enim varia ſint malorum genera, eáque vt plurimùm inter ſe pugnantia, in hæc vel illa noſtrum appetitum flectere poſſumus è nobis, dominante nunc hac vel illa libidine: ſed noſtris libidinibus in bonum dominari nos, qui nihil poſſumus è nobis tanquam è nobis, noſtræ facultatis eſſe ſi diceremus, repugnaremus apertè Chriſto domino. *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere.* In bonum itaque ſi nobis dominamur, ſi bona bene facimus, benéque cauemus à malis, vitis fructus eſt, non palmitis reſecti. Curare morbos corporis vel etiam mortuos exſuſcitare, opera magna ſunt. Sed quantùm anima corpori, quantùm gratia naturæ, tantùm illis operibus extraordinariis præſtat ſanctificatio, præſtat abſolutè charitas, quæ ſi deſit, cætera verè mortua ſunt omnia.

ARTICVLVS SEXTVS

Libertatis & conſultæ neceſsitatis amiciſsima conjunctio; &, ſi deſuper illa ſit, feliciſsima.

VOLVNTARIA neceſſitas & conſulta, qua de ſola nunc, amica libertatis eſt, libertatis præſidium & certa demum ſalutis anchora, ſi deſuper illa ſit, non è contra. Obfirmata nanque perditorum in malo voluntas ad me iam nihil attinet, neque quicquam de illa referam, niſi fortaſſis alicubi exigat occaſio. Sed quandoquidem indifferentia benè maléque viuendi, ſtandi libertas eſt at-

Digitized by Google

que cadendi, infirmitate verò cadimus atque ſtamus virtute, ita contendo plus eſſe veræ perfectæque libertatis, & vnius nobis exoptandæ, quò plus eſt virtutis & infirmitatis minùs, noſtramque demum libertatem eſſe ſummam, vbi nihil infirmitatis eſt, vbi cumulus eſt abſolutæ virtutis. Quòd enim quis cadere non poſſit per infirmitatem, tum maximè liber eſt & diuinæ compos libertatis, vt libertatis infamis & execrandæ particeps eſt, quiſquis ita diſtortus eſt, vt in eo neque ſit boni voluntas, neque iam eſſe poſſit. Id nos docet felicitatis comparatio & infelicitatis; docent, quæ ducunt ad vtranque, viæ. Quòd autem in bono ſit obfirmata beata voluntas & in malo miſera, planè confeſſum eſt. Sed & viam quæ ducat ad alterutram, imminuere mediam hanc vtriuſque indifferentiam, æquè planum eſt. Horrenda cæterùm & execranda via calamitatis: optanda via felicitatis & amanda ſemper; illa vetita nobis, hæc præcepta. Quare nobis, ſi prudentes ſumus & ſapientes in bono, ſicuti monemur, exuenda ſenſim infirmitas & induenda virtus, vt, tenebrarum operibus abiectis, ambulemus in luce radicati & ſuperædificati in Chriſto Ieſu, qui nos ſua miſeratione confirmabit & cuſtodiet à malo; cooperando perficiet, quod incepit operando; quod præueniens inſpirauit, id abſoluet conſequens; & pro bona voluntate ſua, cuſtodiens communiet & conſolidabit. His autem argumentis abſoluitur noſtra concluſio.

Articvlvs septimvs

Libertatis & conſultæ neceſſitatis amicitia concluditur authoritate ſanctorum Auguſtini, Proſperi Fulgentij, Damaſceni, venerabilis Bedæ & eccleſiæ Lugdunenſis.

Lib. 3. de lib. arb. c. 3. VOlvntas *noſtra nec voluntas eſſet*, inquit beatus Auguſtinus, *niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera nobis eſt. Non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus; aut poteſt non eſſe, quod habemus.*

Nec

Nec aliud quicquam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt. Rectè poſſumus dicere, non voluntate morimur, ſed neceſſitate. Non autem voluntate volumus, quis vel delirus audeat dicere? Cùm quærerem, ſic Euodium alloquitur, *vtrum inuitus beatus ſis futurus, reſpondiſti quod iam eſſes beatus, ſi poteſtas eſſet in te. Velle enim, ſed nondum poſſe dixiſti. Vbi ego ſubjeci, de te clamaſſe veritatem. Non enim negare poſſumus habere nos poteſtatem niſi cùm nobis quod volumus, deeſt. Dum autem volumus, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, non vtique volumus. Quòd ſi fieri non poteſt, vt dum volumus, non velimus, adeſt vtique voluntas volentibus.* Sic ille de libertate ſanctorum. *Hæc voluntas libera tantò erit liberior, quantò ſanior: tantò autem ſanior quantò, diuinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior. Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: nouiſſima erit multò maior, non poſſe peccare. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato? Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum, à delectatione peccandi vſque ad delectationem non peccandi liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt, quando primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare. Sed potuit & peccare: hoc autem nouiſſimum eò potentius erit, quò peccare non poterit. Sic enim erit inamiſſibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo & felicitatis. Nunquid Deus ipſe quia peccare non poteſt, ideo liberum arbitrium habere negandus eſt? Multò liberius erit, quod omnino non poterit ſeruire peccato. Neque culpanda voluntas eſt*, inquit, *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, quia beati eſſe ſic volumus, vt eſſe miſeri non ſolùm nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus. Semper eſt*, inquit, *in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona.*

Epiſt. 89.

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

22. de ciuit. c. vlt.

Enchirid. c. 105.

Ad valent. c. 15.

Sed adhuc expreſſum magis quod ex libris operis imperfecti nondum editis refert Lupus ſeruatus his verbis. Idem author in memorato opere contra Iulianum. *Hominis*, inquit, *liberum arbitrium congenitum & omnino* inamiſſibile *illud eſt, quo beati eſſe omnes volunt, etiam ij qui ea nolunt, quæ ad beatitudinem ducunt.* Item poſt multa. *Quid ſic fugit natura, vt miſeriam? quid ſic appetit, vt beatitudinem? Denique*

Collectaneo de tribus quæſt.

Digitized by Google

liberum arbitrium quod de hac re habemus, ita nobis naturaliter inſitum eſt, vt nulla miſeria nobis auferri poſſit, quòd miſeri eſſe nolumus, & volumus eſſe beati: vſque adeo vt etiam ipſi, qui malè viuendo ſunt miſeri, malè viuere quidem velint, nolunt tamen eſſe miſeri, ſed beati. Hoc eſt illud arbitrium in noſtris mentibus immobiliter fixum, non quo bene agere volumus, nam id humana iniquitate potuimus amittere, & gratia poſſumus diuina recipere; ſed liberum arbitrium quo beati eſſe volumus, & miſeri nolumus, nec miſeri poſſunt amittere, nec beati. Item poſt pauca. *Hoc liberum arbitrium adiuuatum per Dei gratiam, vt quod naturaliter volumus, hoc eſt, beatè viuere, bene viuendo habere poſſimus, quòd reatus peccati regeneratione, hoc eſt baptiſmate, ſoluatur, conflictus tamen eius adhuc maneat.*

Lib. contra collat. c. 12. Sic beatus Proſper. *Non eſt periculum libero arbitrio ex gratia Dei, nec voluntas aufertur, cùm in ipſa bene velle generatur. Nam ſi ideo non putanda eſt noſtra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, ſpoliantur libertate filij Dei, qui aguntur ſpiritu Dei; perdunt vigorem rationalis animi, & omni voluntariæ deuotionis laude priuantur, quibus datur ſpiritus ſapientiæ & intellectus.* Cap. 38. *Non conturbat nos ſuperbientium inepta querimonia, quæ liberum arbitrium cauſatur auferri, ſi & principia & profectus & perſeuerantia in bonis vſque ad finem, Dei eſſe dona dicantur. Quoniam opitulationes diuinæ gratiæ ſtabilimenta ſunt voluntatis humanæ. Volentes oramus, & tamen miſit Deus ſpiritum in corda noſtra clamantem, Abba pater. Volentes loquimur, & tamen ſi pium eſt, quod loquimur, non ſumus nos loquentes, ſed ſpiritus patris noſtri, qui loquitur in nobis. Volentes operamur ſalutem noſtram, & tamen ipſum velle & operari, Deus eſt qui operatur in nobis. Volentes diligimus Deum & proximum, & tamen Charitas ex Deo eſt, diffuſa in cordibus noſtris per Spiritumſanctum qui datus eſt nobis.*

Lib. 1. de verit. præ-deſt. c. 4. Sic beatus Fulgentius. *His verbis,* inquit, *quibus dicitur, ſi volueritis, &, ſi nolueritis, procul dubio libertas humani declaratur arbitrij. Velle enim & nolle, voluntatis eſſe nullus ignorat.* Quæ ratio Fulgentij ſit indigna Fulgentio, niſi voluerit cum beato patre Auguſtino, cuius eſſet diſcipulus, voluntatem ſemper eſſe liberam. Præuenientis

Digitized by Google

autem gratiæ neceſſitatem & adiuuantis & ſubſequentis ſic explicat. *Cùm dicit Apoſtolus*, inquit, *quia Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, oſtendit vtique ipſam hominis voluntatem, & ad bene volendum non niſi diuino munere dirigi, & ad bene operandum diuinitus adiuuari. Dum ergo præcipitur nobis vt velimus, oſtenditur quid habere debeamus. Sed quia id ex nobis habere non poſſumus, admonemur vt à quo nobis datur præceptum, ab ipſo petamus auxilium. Quod tamen* non poſſumus poſcere, *niſi Deus in nobis operetur & velle. Voluntas enim quæ in nobis dono Dei miſerentis efficitur, ipſa in nobis, vt bene operari valeat,* adiuuatur. *Quæ de malis, in quibus ante iuſtificationem iacet, & in eis cum delectatione deficit, non ſua virtute, ſed Dei* præuenientis *operatione conſurgit: & poſtquam ſurrexerit, vt non cadat, ſola ſibi non poteſt ſufficere: ſed ſicut ad ſurgendum beneficio miſericordiæ* præuenientis *erigitur, ita ad perſeuerandum miſericordiæ* ſubſequentis *iuuamine cuſtoditur.*

Sic beatus Damaſcenus. *Si ſecundum imaginem beatæ & ſupereminentis ſubſtantiæ diuinæ homo factus eſt; diuinitas autem ſuapte natura liberum habet arbitrium & volendi principium, homo pariter qui ſit eius imago, ſuapte natura volendi principium habet & liberum arbitrium. Nanque patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt. Cùm autem dicimus naturalem voluntatem, non coactam illam dicimus & oppreſſam neceſſitate, ſed à ſeipſa potentem & liberam. Si quid enim rationale ſit, id abſolutè liberum eſt.* Hoc eodem capite negat hæſitabundam in Deo & angelis προαίρεσιν ariſtoteleam, quæ fætus eſt conſultationis. Id in nobis impedimentum eſſe docet è corporis mole & è ſuggeſtu dæmonis. Cæterùm hominem per ſe liberum eſſe & natura liberum. Verbum autem in Chriſto ſeruatore liberum hominis, quod naturæ ſit, aſſumpſiſſe, non illa duo quæ non ſint naturæ. Quo nihil ad noſtram concluſionem illuſtrius. Sed neque corpus in beatis animam aggrauabit, neque ſuis eam venenis inficiet Satanas. Quare, quod neſciuit Ariſtoteles, eius è conſultatione προαιρέσις accidens eſt impeditæ naturæ. Orthod. fid. lib. 3. c. 14.

Sic venerabilis Beda. *Omnes cogitationes malæ non ſemper*

Digitized by Google

inſtinctu diaboli excitantur, ſed aliquando ex noſtri arbitrij motu emergunt: bona autem cogitationes ſemper *à Deo ſunt. Sciendum eſt, quòd liberum arbitrium dicitur habuiſſe primus homo ante guſtum pomi; poſt guſtum verò,* ſeruus *effectus eſt peccati. Sed cùm habuiſſet liberum arbitrium, videndum eſt quæ libertas illius arbitrij fuerit. Arbitrium certè liberum fuit, quandiu* ſuæ poteſtatis *extitit, itaut nulla vi cogente, nec Dei, nec diaboli, quod vellet, bonum ſeu malum, faceret. Sed cùm liberum eſſet hoc reſpectu, quòd à nullo domino, nulla vi poterat, vt vellet aliquid aut nollet, per ſe tamen* debile *erat. Sed cùm poſt primi parentis lapſum totus orbis eſſet* ſeruus *peccati, venit dominus nos priſtino reſtituens gradui, reddens arbitrium patris mei liberum ſicut priùs à vi extranea, ſed* noua debilitate propria, *vt nemo ſit, qui de ſe præſumat, ſed in* ſolo Deo *ſemper confidat. Si tamen,* inquit, quæ objectio eſt, *præordinat Deus & prædeſtinat vitam bono & mortem malo, videtur vim inferre libero arbitrio, quia cùm prædeſtinatio ſua falli non poſſit, neceſſe eſt vt malus ſit, quem prædeſtinauit ad mortem; & bonus ſit, quem prædeſtinauit ad vitam. Et ſi neceſſe eſt hunc eſſe bonum & illum malum, perijt ergo liberum arbitrium, quod neceſſitate cogitur. Quòd ſi arbitrium non eſt liberum, ſed cogitur neceſſitate, non eſt ille culpandus, qui, velit nolit, peccat; neque laudandus, qui, velit nolit, bene agit; ſed laus & culpa ſoli cogenti eſt imputanda.* Sic autem reſpondet. *Dei prædeſtinatio,* inquit, *nulla vi cogit nos ad bonum vel ad malum. Quid ergo? coëgit nos Deus, vt mali ſibi videremur ab æterno? Abſit. Nam potiùs nos coëgimus eum, vt nos malos videret.* Concludit. *Sicut ergo prædeſtinatio ad mortem non cogit malos, vt pereant; ſic etiam prædeſtinatio ad vitam non cogit bonos vt ſaluentur. Sed cùm dominus bonos ad vitam prædeſtinauit, ita eos prædeſtinauit vt ipſa ſua prædeſtinatio meritis & precibus noſtris obtineatur.* Sic autem cum præſenſione diuina, cum prædeſtinatione, cum gratia, cumque cæteris omnibus conciliat libertatem, vt nihil cum ea pugnare velit præter vim extraneam, præter coactionem, & præter illam neceſſitatem, quæ, velis nolis, ſuum aſſequitur effectum. Sic *neceſſitate morimur,* inquit: Chriſtus

Lib. variar. quæſt. 13. quæ de liber. arbitr.

Digitized by Google

autem *voluntate mortuus eſt, non neceſſitate.*

Sic Eccleſia Lugdunenſis ſuorum actorum capite nono. *Sanctiſſimi patres non negant liberum humani generis arbitrium, ſed docent quòd nemo niſi per Chriſtum libero bene vtatur arbitrio, vt ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit.* Hoc autem arbitrium, inquit, *tantò magis per Chriſtum in nobis ſit liberum, quantò minùs vitijs peccatiſque ſeruierit. Tunc autem erit verè & plenè liberum, quando iam perfectè liberatum in vita æternæ beatitudine nullis ſeruiet vitijs & peccatis. Sicque illa domini promiſſio quæ ait,* ſi vos filius liberauerit, verè liberi eritis, *hîc inincoatur innouatione fideliũ, ibi perficietur in incorruptione regnantiũ.*

ARTICVLVS OCTAVVS

Concluditur authoritate ſanctorum Bernardi, Anſelmi, Ælredi, Richardi & Hugonis à ſancto Victore.

SIc beatus Bernardus. *Quod ex voluntate, iam non ex neceſſitate, ſed voluntarium. Si autem voluntariũ, & liberum. Nam vbi conſenſus, ibi voluntas. Porrò vbi voluntas, ibi libertas. Et hoc eſt, quod puto dici liberum arbitrium. Ipſam enim voluntatem quia impoſſibile eſt de ſeipſa ſibi non obedire, etiam impoſſibile eſt ſua priuari libertate. Libertas,* inquit, *eſt conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem & rationis indeclinabile iudicium. Conſenſus voluntarius eſt habitus animi liber ſui. Siquidem non cogitur, non extorquetur. Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis. Nec negat ſe, nec præbet cuiquam niſi ex voluntate. Alioqui ſi compelli valet inuitus, violentus eſt, non voluntarius. Neceſſarium autem opponitur voluntario. Quod ex neceſſitate ſit, non ſit ex voluntate: & quod ex voluntate ſit, non ſit ex neceſſitate. Homo,* inquit, *interueniente peccato, patitur quandam vim, ſed à voluntate, non à natura, vt ne ſic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Vigilanter retine voluntatem eſſe quam retineri fateris. Itaque voluntatem nolentem dicis? Non vtique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis eſt, non nolentis. Quod ſi volens retinetur, ipſa ſe retinet. Vbinam quæſo*

Tract. de grat. & lib. arb & ſerm. 81. in cantic.

Digitized by Google

hanc neceſſitatem ſentis? nonne in voluntate? Non ergo parum firmiter vis, quod & neceſſariò vis. Multùm vis, quod nolle nequeas, nec multùm obluctans. Porrò vbi voluntas, & libertas. Quis me liberabit de manibus meis? Non quod volo, ago; ſed me, non alio, prohibente: & quod odi, illud facio; ſed me, non alio, compellente. Atque vtinam prohibitio hac & hac compulſio ita violenta eſſet, vt non eſſet voluntaria. Forſitan enim ſic poſſem excuſari. Aut certè ita eſſet voluntaria, vt non violenta. Profectò enim ſic poſſem corrigi. Nunc verò nuſquam exitus miſero patet, quem & voluntas inexcuſabilem, & incorrigibilem facit neceſſitas. Ad peccandum, inquit, *ſatis voluntas. Sed ad reſurgendum, non ſatis. Potuit per ſe voluntas in malum corruere, ſed de malo in bonum per ſe reſpirare non poteſt. Nihilominus libertas arbitrij manet in omnibus inconcuſſa: manet in omnibus & inamiſſibilis libertas à neceſſitate. Sed etſi libertas à neceſſitate*, inquit, *tam conuenit hîc quàm in patria, tam bonis quàm malis, verè nihilominus captiua tenetur quodammodo, quandiu deſunt aliæ duæ libertates, à peccato & à miſeria. Quare felicitas complet libertatem, & nos omni captiuitate liberat.* Sic cum beato Auguſtino docet multò liberius fore noſtrum liberum arbitrium, quod ſeruire peccato non poterit. Vno verbo, *creatura rationalis*, inquit ille, *ſi volens eſſe deſierit, libertatem amittet.* Eo cæterùm authore, vt infantes, dormientes & inſani non ſunt compotes rationis, ita nec vſum retinent propriæ voluntatis. Quod enim nos ille docet, *voluntas eſt motus rationalis.* Hic autem motus, eodem authore Bernardo, *conſenſus eſt, qui liber eſt ſui propter voluntatem, & iudex ſui propter rationem.*

c. 5. dialog. de lib. arb. Sic beatus Anſelmus. *Nemo iuſtitiam deſerit niſi volendo. Si ergo inuitus dicitur nolens, nemo deſerit illam inuitus. Ligari poteſt homo, & inuitus, quia nolens: poteſt torqueri inuitus, quia nolens. Velle autem non poteſt inuitus, quia nemo poteſt velle nollens velle. Nam omnis volens ipſum ſuum velle vult. Quomodo itaque non eſt libera voluntas, quam aliena poteſtas ſine ſuo aſſenſu ſubijcere non poteſt?* Sed totus nobis referendus eſſet vel potiùs alijs legendus iſte dialogus, quo nihil apertum magis & expreſſum. Sic autem hic idem au-

Digitized by Google

thor de libertate Chriſti ſeruatoris. *Semper Chriſtus habuit poteſtatem ſeruandi vitam, quamuis nequiuerit velle ſeruare, vt nunquam mereretur. Et quoniam hoc à ſeipſo habuit, vt ſcilicet velle non poſſet, non neceſſitate, ſed libera poteſtate animam ſuam poſuit. Si ergo ideo verè erat moriturus, quia hoc ipſe ſponte & immutabiliter voluit, ſequitur non ob aliud non potuiſſe non mori, niſi quia immutabili voluntate voluit mori.* Quod idem docet de inuincibili raptu gratiæ victricis. *Quoniam*, inquit, *voluntate quiſque ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconuenienter trahere aut impellere dicitur Deus, cùm talem voluntatem dat, in quo tractu vel impulſu nulla intelligitur violentiæ neceſſitas, ſed acceptæ bonæ voluntatis ſpontanea & amata tenacitas.* Lib. 2. cur Deus homo c. 16.

Sic beatus Ælredus abbas Rieuallenſis & ſancti Bernardi contemporaneus. *Quicquid boni per nos Deus vel de nobis ſine noſtra operatur voluntate, tantum Dei eſt, non etiam noſtri: quicquid autem cum noſtra voluntate, & illius eſt & noſtrum.* Si enim volens id facio, *ait Apoſtolus,* mercedem accipio; ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. *Quocirca vt opus quod in nobis, ſiue per nos operatur, etiam noſtrum ſit, inclinat voluntatem vt conſentiamus, ſicque eius gratia merces ſit noſtra.* Si enim volens id facio, mercedem accipio. *Vt autem ſim volens in bono opere,* Deus eſt qui operatur & velle: *ipſam deinde voluntatem excitans ad petendum, ad quærendum, ad pulſandum, dat gratiam pro gratia,* perficere *ſcilicet* pro bona voluntate. *Poſtremò quia vita æterna bonorum operum merces eſt, ipſam dans coronat dona ſua, quæ voluit eſſe merita noſtra.* Quod vbi pluribus probauit è ſacro contextu, ita concludit. *Non ergo liberum arbitrium ad aliquod bonum ſufficit, ſed in ipſo, vel cum ipſo, vel per ipſum Deus multa bona perficit. In ipſo, quando illud occulta inſpiratione ad aliquod bonum erigit: cum ipſo, quando ipſum liberum arbitrium ſibi per conſenſum iungit: per ipſum, quando, Deo operante, alter per alterum proficit. Voluntatem ad iuſtitiam ſola gratia erigit: in iniuſtitiam ipſa ſe deijcit. Porrò vbicunque voluntas, ibi & libertas. Vbicunque enim voluntate eſt, ibi non cogitur vt ſit neceſſitate. Habet ergo innatam ſibi quodammodo volun-* Lib. 1. ſpecul. charit. c. 11.

Digitized by Google

tas libertatem, quia nullam poteſt pati neceſsitatem. Patet quòd nec gratia liberum arbitrium deſtruat, nec liberum arbitrium gratiam minuat. Quomodo enim gratia liberum arbitrium auferat, cùm gratia non niſi in libero arbitrio operetur? Vt bonum velint, quibus ineſt liberum arbitrium, Dei gratia operatur; non liberum deſtruens arbitrium, vt nihil velint, ſed hoc inclinans vt bonum velint. Quocirca cùm aliquid boni facis, non exiſtimes hoc tuis viribus agere, nec tamen à tua id alienes voluntate, quandoquidem non dicendum eſt opus bonum, niſi ſit & voluntarium.

In ſumma. ſent. tract. 3. cap. 8. & 9.

Sic Hugo à ſancto Victore. *Cùm itaque habeamus cum pecoribus communem ſenſum & appetitum, liberum arbitrium nos ab eis diſcernit, penes quod omne meritum conſiſtit. Cùm enim nulla vi, nulla neceſsitate cogatur, non immeritò beatitudinem ſeu miſeriam promeretur. Ingenium quoque & memoria & cætera ſimilia nec iuſtum, nec iniuſtum conſtituunt. Siquidem nec tardum ingenium, nec labilis memoria imputatur. Sola itaque voluntas, quæ* ſemper libera *eſt, & nunquam cogi poteſt, merito apud Deum iudicatur.* Ea ſemper à neceſſitate libera *eſt. Vbi enim neceſsitas, ibi non eſt libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum.* Liberum *itaque arbitrium ex eo dicitur, quod eſt* voluntarium. *Quòd enim boni angeli non poſsint eſſe mali, non facit neceſsitas, ſed confirmata per gratiam voluntas. Quòd mali non poſsint eſſe boni, non facit vlla coactio, ſed obſtinata voluntas in malo.*

Tract. de ſtatu inter. hom. c. 3. 22. 33.

Sic eodem è Cœnobio coëtaneus illi Richardus. *Vultis & maieſtatis ſimilitudinem in ipſa perſpicere, & quomodo eius imagine impreſſa ſit, euidenter cognoſcere? Deus ſuperiorem non habet, nec habere poteſt; & liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati poteſt, quia violentiam inferri ei nec creatorem decet, nec creatura poteſt. Totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ cæleſtis exercitus in vnum concurrat, in hoc vnum coniuret, vnus ex libero arbitrio conſenſus in qualicunque re inuito extorqueri non valet. Poteſtatem amiſit Adamus, non libertatem. Nam bonum poſſe, eſt verè poſſe: ſicut cogi non poſſe, eſt verè liberum eſſe. Si enim ad bonum ſeu ad malum ab alio cogi poſſet, iam omnino liber non eſſet. Si bonum facere vel malum*

Digitized by Google

malum declinare poſſet, non ſolùm liber, ſed & potens eſſet. Sed ſi diligenter attendimus, puto quòd inueniemus hominem non modò non libertate non carere, ſed magnam, imò ſummam libertatem poßidere. Primus ſiquidem libertatis gradus eſt, nulli coactioni ſubjacere: ſecundus, nulli ſubijci debere: tertius & ipſe ſummus, nulli penitus ſubijci poſſe. Quomodo ergo arbitrium hominis verè, imò ſummè liberum non eſt, quod ſua libertate nulla vi, nulla poteſtate priuari poteſt? Nam hoc nec creatura valet, nec creatorem decet. Sed quomodo vel creator hoc poteſt, qui nihil quod non decet, facere poteſt? ſi igitur nulla violentia arbitrium poteſt ſua priuari libertate, conſtat illud ſummam libertatem habere. Illud, vt verbo concludam, in poteſtate habemus, authore Richardo, ad quod aliena potentia cogi non poſſumus. Ijſdem autem è gradibus libertatem diuidit, quibus à ſancto Bernardo diuiditur, & alijs beati patris Auguſtini diſcipulis. Sed alia verborum expreſſione. Libertatem etenim à neceſſitate dicere vult, & à peccato, & à miſeria tribus illis gradibus.

Articvlvs nonvs

Concluditur authoritate ſancti Bonauenturæ, Alexandri Halenſis & ſubtilis doctoris Scoti.

SIc beatus Bonauentura. *Ad illud quod obijcitur, quòd liberè velle & neceſſario opponuntur, dicendum quod duplex eſt neceßitas: quædam à cauſa extrinſeca, vt pote neceßitas coactionis, & hæc opponitur ei quod eſt liberè velle: quædam vero eſt à diſpoſitione intrinſeca, & hæc huic non opponitur, imò ſtat ſimul cum libertate. Talis eſt in libero arbitrio dæmonum, qui ita conglutinant ſibi malum, vt nullo modo velint ab eo ſeparari. Liberum arbitrium,* inquit, *conſiderari poteſt dupliciter; aut ſecundum quod liberum, aut ſecundum quod deliberans. Si loquimur de ipſo ſecundum quod liberum, ſic concedo quòd poteſt eſſe non ſolùm reſpectu contingentis, ſed etiam neceſſarij, ſicut patet in Deo & in Chriſto & in angelis & in hominibus beatis. Cùm enim duplex ſit neceßitas, videlicet coactionis &* immutabilitatis. *Neceßitas coactionis repugnat libertati ar-*

In 2. diſt. 7. q 2.

In 2. d. 25. q. 2.

bitrÿ, neceſſitas verò immutabilitatis non repugnat, pro eo quod liberum arbitrium dicitur liberum: non quia ſic velit hoc, vt poſsit velle eius oppoſitum, ſed quia omne quod vult, appetit ad ſuiipſius imperium, quia ſic vult aliquid, vt velit ſe velle illud, & ideo in actu volendi ſeipſum mouet & ſibi
In 3. diſt. 12. q. 2. *dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamuis immutabiliter ordinetur ad illud. Actus liberi arbitrÿ,* inquit, *vt liberum eſt, non ſolùm poteſt eſſe circa neceſſarium, ſed etiam* neceſſarius *in ſe.* Et cùm obijcitur potuiſſe tranſgredi Chriſtum dominum, quia beatus eſſe dicitur, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, vel eius nullum eſſe meritum, quia nemo laudatur in his quæ neceſſitate facit, ita reſpondet.
In 2, diſt. 25. q. 2. *Ad illud quod obÿcitur de laude viri iuſti, dicendum eſt quòd laus illa vnius partis dicit perfectionem, in hoc ſcilicet quòd non eſt tranſgreſſus; ex alia parte quandam defectibilitatem. Cùm ergo dicitur quòd omnis laus attribuenda eſt Chriſto, dicendum quòd etſi illud aliquo modo habeat veritatem de laude perfecta ſiue ratione eius conditionis penes quam attenditur perfectio: non tamen oportet quòd ratione eius conditionis ſecundum quam eſt imperfectio. Ad illud quod obÿcitur, quòd nullus laudatur ab ÿs quæ neceſſariò facit, dicendum quòd eſt neceſsitas quæ repugnat voluntati, ſicut neceſsitas coactionis, quæ venit ab extrinſeco: & eſt neceſsitas quæ ſubeſt voluntati, & iſta neceſsitas eſt, quæ venit ex voluntatis immutabilitate. Cùm ergo dicitur, quòd* laus *non eſt* in operibus neceſſitatis, *dicendum quòd verum eſt de neceſsitate primo modo dicta, ſed non de ſecundo.*

2. p. q. 72. membr. 2. art. 2. ad 1. Sic Alexander Halenſis. *Ad primum dicendum, quòd triplex eſt libertas. Scilicet, naturæ, gratiæ & gloriæ. Libertas naturæ libertas eſt à coactione; libertas gratiæ, à culpa; libertas gloriæ, à miſeria. Libertas,* inquit, *aliquando dicitur habitus naturalis, aliquando accidentalis. Secundum quod libertas dicitur habitus naturalis rationalis naturæ, quæ cogi non poteſt, non recipit magis & minùs, ſed æquè eſt in omnibus rationalibus creaturis. Vnde Bernardus dicit, libertas à neceſsitate Deo & vniuerſæ creaturæ rationali indifferẽter cõuenit, nec magis bonæ quàm malæ. Secundum verò quod dicitur libertas accidentalis, ſic eſt liberũ arbitrium diminuibile vel etiam amiſſibile. Recipit*

enim magis & minùs. Quòd è gratia liquet & è gloria. Ad obiecta autem in contrarium dicendum eſt, quòd duplex eſt neceſſitas, ineuitabilitatis *& coactionis. Nececeſſitas coactionis tollit liberum arbitrium, non neceſſitas ineuitabilitatis. Licet ergo in angelis eſt neceſſitas ineuitabilitatis, nihilominus tamen liberumarbitrium eſt. Vnde Bernardus: quòd diabolus non poteſt bonum, non eſt ex aliena oppreſſione, ſed ex voluntaria obſtinatione, & obſtinata voluntate.*

Sic doctor ſubtilis Scotus. *Actio qua eſt circa vltimum finem, eſt perfectior actio quæ potentiæ poſſit conuenire: ergo perfectionis erit quòd actio firmetur & ſibi neceſſariò conueniat. Sed perfectior actio voluntatis eſt circa finem vltimum, puta diligendo Deum: ergo perfectionis eſt, quòd habeat illam dilectionem firmiter & neceſſariò. Iam verò conditio perfectionis alicuius potentiæ non repugnat illi, quod eſt de intrinſeca ratione illius potentiæ: ſed neceſſariò habere actum circa vltimum finem eſt perfectionis voluntatis: ergo non repugnabit illi, quod eſt intrinſeca ratio ipſius voluntatis, ſicut eſt ipſa libertas. Vnde voluntas definitur ſic,* appetitus liber; *appetitus pro genere, liber loco differentiæ: ergo libertas eſt de intrinſeca ratione voluntatis: ergo quod eſt perfectionis voluntatis, non repugnat libertati.* Vnde cùm obijcitur *agere liberè* eſſe ſic agere, vt agẽs poſſit non agere, reſpõdet *procedere hoc argumentũ* ex ignorantia *huius quod eſt liberè agere & contingenter agere. Liberè agere,* inquit, *non eſt poſſe non agere, quando agens agit, ſed cõplacenter & eligibiliter quaſi ſe determinare ad agendũ, ſiue contingenter ſe determinet, ſiue neceſſariò.* His è principijs docet Deum ſe neceſſariò diligere & liberè, non autem prædeſtinare neceſſariò, quos liberè prædeſtinet. Vbi quæritur, num iſte modus agendi ſit naturalis, reſpondet ita rem habere, *ſi modò naturale dicitur vniuerſim ens commune entis liberi & non liberi: ſin è contrario naturale dicitur, quod eſt aduerſum libero, tam nequit voluntas agere naturaliter, quàm lapis liberè.* Sic autem diuidit fretus authoritate beati Auguſtini, cui cauſa duplex, naturalis & voluntaria; & Ariſtotelis, cui principium actiuum duplex, ſecundum naturam & ſecundum propoſitum.

Quodlib. 16.

V. de ciuit. 2. Phyc. c. 4. 6. & alijs.

ARTICVLVS DECIMVS

Concluditur authoritate beati Thomæ.

q. 10. de poten. a. 2. ad 1.

SIc beatus Thomas. *Naturalis neceſsitas ſecundum quòd voluntas aliquid ex neceſsitate velle dicitur, vt fælicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Auguſtinus docet in primo de ciuitate Dei. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur. Non eſt autem violentia vel coactio in hoc quòd aliquid ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouetur, ſed magis in hoc quòd naturalis motus impeditur, ſicut cùm impeditur graue ne deſcendat ad medium. Vnde voluntas liberè appetit felicitatem, licet illam appetit neceſſariò. Sic autem & Deus ſua voluntate* liberè *amat ſeipſum, licet de neceſsitate amet ſeipſum. Illud quod eſt ad finem,* inquit, *eſt duplex. Quoddam enim diſtans eſt à fine, & quoddam eſt conjunctum fini.* Quod vbi declarauit exemplo perfecti caloris & imperfecti, quo diſponitur materia igneſcens & exſuſcitatur forma, concludit his verbis. *Ita dico quòd quædam ordinata ſunt ad finem vltimum beatitudinis, quæ ipſi fini conjungunt, vt videre & amare; &* reſpectu horum erit ſempiterna & libera electio; *non autem imperfectorum, quæ à fine diſtant, vt fides & ſpes.*

In 2. diſt. 25. q. 1. ad 4.

q. 6. de malo,

Sed, inquies, beatus Thomas opere de malo negat ſtare meritum cum neceſſitate. Sic enim loquitur. *Quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſsitate mouetur ad aliquod eligendum, nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolùm id cuius principium eſt extra. Vnde & motus naturales inueniuntur aliqui neceſſarij, non tamen violenti. Violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario, quia vtriuſque principium eſt intra; violenti autem principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica. Tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium, quòd aliquis ſic ex neceſsitate agit, quod vitare non poſsit.* Ita beatus Thomas. Sed, inquam, nihil inde proficies. Vitanda ſolùm altercatio grammatica. Nanque beatus Thomas primo ſuperiore contextu liberũ abſolutè dicit, quod

Digitized by Google

violentiæ vel coactioni opponitur: & altero quem iam referemus, meritum eſſe libertate Chriſtum dominum aſſerit, quòd ſanctè non viueret coactè. Quare ſi concludit hoc contextu, qui nobis obijcitur, liberum non eſſe, quod violentum non eſt, quod non eſt coactum, alio certè & alio ſignificatu vſurpat hæc vocabula. Sic itaque rem expedio. Si quis liberum dicit, quod non eſt coactum, quod non eſt violentum, violentum autem & coactum promiſcuè dicit, quod nobis euenit extrinſecus, nobis inuitis, nihil conferentibus nobis, is abſque dubio rem abſurdam dicit. Nanque cæcos & inconſultos motus in nobis liberos aſſerit. Sed liberum qui dicit, quod non eſt coactum, quod non eſt violentum, violentum autem & coactum promiſcuè dicit, quod eſt aduerſum naturæ, is verè loquitur & aptè cum beato Thoma. Sic enim præter violentum, quod fit nobis inuitis, excluſos habet à libero irrationales impetus omnes inconſultos. Hos autem motus, qui verè ſunt contra naturam, negat beatus Thomas eſſe in poteſtate noſtra, *quoniam,* inquit, *homo dominus eſt ſuorum actuum per arbitrium rationis.* 2, 2 q. 158. a. 2. ad 3.

Excluſam itaque velit beatus Thomas ſuo contextu neceſſitatem quanuis irrationalem; certè rationalem excluſam ſi vellet, ſuam ille doctrinam totam confoderet anathematis. Nanque *Deus*, eo ipſo authore, *ſua voluntate liberè amat ſeipſum, licet de neceſſitate amet ſeipſum.* Quam amantis ſe diuinitatis abſolutam neceſſitatem liberam eſſe ſi vult, certè non vult excluſam à libero neceſſitatem rationalis & conſultæ voluntatis, quæ conditionis eſſe dicitur & infallibilitatis. Porrò negat gratiam efficacem inducere neceſſitatem *coactionis;* aſſerit inducere neceſſitatem *infallibilitatis.* Sed quid clarius hoc eius altero contextu. *Dicendum*, inquit, *quòd ſi Deus mouet* voluntatem *ad aliquid,* impoſſibile *eſt poni, quòd voluntas ad illud non moueatur: non tamen eſt impoſſibile* ſimpliciter. *Vnde non ſequitur, quòd voluntas à Deo* ex neceſſitate *moueatur.* Sic impoſſibilia componit beatus Thomas, vt neceſſitates inter ſe conciliet. Sic neceſſitatem, quæ verè neceſſitas eſt & abſolutè neceſſitas,

In 2. q. 112. a. 3.

In 2. q. 10. a. 4.

Digitized by Google

dirimit à neceſſitate conſulta. Quòd autem neceſſitas, quæ conſulta ſit & rationalis, nec libertati, nec meritis obſit ſic ille docet. *Duplex eſt neceſſitas*, inquit. *Quædam coactionis; & hæc laudem virtuoſorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur. Quædam autem eſt neceſſitas ex* interiori inclinatione *procedens; & hæc laudem virtuoſi actus non minuit, ſed auget. Facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis. Patet enim quòd habitus virtutis quantò fuerit perfectior, tantò vehementiùs voluntatem facit tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere. Quòd ſi ad finem perfectionis deuenerit, quandam neceſſitatem infert ad bene agendum. Sicut eſt* in beatis qui peccare non poſſunt. *Neque tamen propter hoc aut* libertati *voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati.* Sic ille de libertate & merito Chriſti ſeruatoris. *Dicendum eſt*, inquit, *quòd etianſi Chriſti arbitrium eſſet determinatũ* ad vnum numero, *ſicut ad diligendũ Deum, quod non facere non poteſt, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis ſiue meriti, quia in illud non* coactè, *ſed* ſponte *tendit, & ita eſt actus ſui dominus.* Quibus verbis nihil clarius, nihil ad propoſitum illuſtrius. Hoc autem vtroque contextu ſuo ſpontaneum & naturalem inclinationem libertatem dicit beatus Thomas: coactionem verò neceſſitatem dicit, quæ doctoribus Eccleſiæ hoc in negotio abſolutè neceſſitas eſt & abſolutè coactio. Alioquin inepta foret eius vtraque diuiſio, eius antitheſis vtraque.

Lib 3. contra gentes cap. 138.

In 3. diſt. 18. art. 2. ad 5.

Quòd igitur tot neceſſitates cum libertate cumque merito conciliet beatus Thomas, vti liquet ex eius præmotione phyſica, ex efficacia gratiæ, atque his è contextibus, abſolutè dico illum ſuo contextu ſuperiore qui nobis obiectus eſt, illorum opinionem improbaſſe & dixiſſe hæreticam, qui coactum idem eſſe dicerent quod violentum, abſolutéque nihilominus liberum eſſe contenderent, quicquid non eſſet coactum. Quod è motibus inconſultis falſum eſſe liquet & hæreticum. Omnis nanque & ſolius rationalis & conſultæ voluntatis dominium obtinemus. Quæ porrò neceſſitas hanc in voluntatem cadit, authore beato patre Auguſtino, quod idem docet ſanctus Thomas

Digitized by Google

his contextibus, verè dicenda non eſt neceſſitas. Rationale ſiquidem agens, quod idem liberum eſt, aduerſum habet neceſſarium, quod & naturale dicitur & irrationale. Sed, ne quid intactum abire ſinam, nihil idem ille contextus ad nos attinet hac in vita. Nanque ſumus indifferentes omnes bene maléque viuere: ſed malè nobis è ſolis, non ſolis è nobis bene. *Noſtrum liberum arbitrium*, inquit magiſter ſententiarum ſumma fretus authoritate, *eſt facultas rationis & voluntatis, qua bonum* eligitur *aſſiſtente gratia, & malum eadē deſiſtente.* Neque propterea quis habet vnde conqueratur non eſſe in ſe ſitum non agere malè vel agere bene. 2. 2. q. 2. a. 5.
Si nanque dicitur aliquid eſſe in poteſtate hominis, inquit beatus Thomas, *excluſo auxilio gratiæ, ſic* ad multa tenetur *homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, * ſicut* ad diligendum Deum & proximum, *& ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ. Quod quidem auxilium quibuſcunque diuinitus datur*, miſericorditer *datur: quibus autem non datur*, ex iuſtitia *non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem* originalis, *vt Auguſtinus dicit in libro de correptione & gratia.*

* præparante.

Articvlvs vndecimvs

Concluditur authoritate Magiſtri ſententiarum, Guilelmi Pariſienſis epiſcopi, & Stephani Pariſienſis epiſcopi de conſilio magiſtrorum ſcholæ Pariſienſis.

Sic Magiſter ſententiarum. *Corrupta eſt libertas arbitrij per peccatum & ex parte perdita. Vnde Auguſtinus in enchiridio. Libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit & ipſum. Cùm enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato, amiſſum eſt & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus eſt, huic ſeruus addictus eſt. Ecce liberum arbitrium dicit Auguſtinus hominem amiſiſſe, non quia poſt peccatum non habuerit liberum arbitrium, ſed quia libertatem arbitrij perdidit, non quidem omnem, ſed libertatem à miſeria & à peccato. Eſt nanque libertas triplex, ſcilicet à neceſſitate, à peccato, à miſeria.* Lib. 2. diſt. 24. & 25.

A neceſsitate, & ante peccatum, & poſt, æquè liberum eſt arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita neque modò. Ideóque voluntas meritò apud Deum iudicatur, quæ ſemper à neceſſitate libera *eſt, & nunquam cogi poteſt. Vbi neceſsitas, ibi non eſt libertas: vbi non eſt libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum. Hæc libertas in omnibus eſt, tam in malis quàm in bonis*. De ſanctorum autem qui cum domino feliciter viuunt, libertate, ita concludit cum beato Auguſtino. *Ecce his verbis euidenter aſtruitur, quòd poſt beatitudinis confirmanem erit in homine liberum arbitrium, quo peccare non poterit, & nunc in angelis eſt & in ſanctis qui cum domino ſunt, & tantò vtique liberius, quantò à peccato immunius & ad bonum pronius. Quò enim quiſque ab illa peccati ſeruitute, de qua ſcriptum eſt, qui fecit peccatum, ſeruus eſt peccati, longius abſiſtit*, tantò in eligendo bonum liberius habet iudicium. *Vnde ſi diligenter inſpiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia ſine coactione & neceſsitate valet appetere vel eligere, quod ex ratione decreuerit*. Quòd autem, vti refert ex Auguſtino, voluntas ante gratiam libera ſit ad malum, & per gratiam libera fiat ad bonum, ideo liberum arbitrium illi *facultas eſt rationis & voluntatis, qua bonum* eligitur *aſsiſtente gratia, & malum eadem deſiſtente*.

De vitijs & peccatis fol. 213.

Sic Guilelmus Pariſienſis epiſcopus. *Neceſsitas qua neceſſe eſt Deum ſemper bene agere, & impoſsibilitas qua impoſsibile eſt ipſum malè agere, in nullo prohibent vel impediunt quominus bene & laudabiliter agat vtrunque. Et hoc eſt, quia nec violenter ipſum impellunt ad bene agendum, aut auertunt à malè agendo. Nec vllo modorum reſiſtit iſta impoſsibilitas aut contradicit voluntati eiuſdem, ſicut neceſsitas virtutis celeſtis aut fati, quam ſecundum eos impoſsibile eſt auerti vel impediri, & quæ etiam mouent animas humanas, vt ipſi opinantur; mouent, inquam, ad cogitationes & affectiones quæ in eis ſunt, & per illas ad operationes & operum declinationes; quoniam non mouent eas violenter, imò voluntariè, non excuſat animas humanas à peccatis & culpis. Et hoc eſt, quoniam à quocunque principio ſit opus voluntarium*, dummmodo voluntarium ſit, *id eſt volitum quocunque trium modorum quos diximus, id eſt*

affectatum,

Digitized by Google

affectatum, vel toleratum, vel neglectum, ſemper imputandum eſt voluntati & agenti per voluntatem. Nec ſequitur, ſi non poteſt aliud agere vel etiam velle, quòd propter hoc excuſatus fuit, qui nec vult aliud poſſe vel agere, nec aliud velle, quia omne peccatum adeo voluntarium eſt, vt ſi non ſit voluntarium, non ſit peccatum. Quare neceſsitas vel impoſsibilitas, quæ non aufert operi quin ſit voluntarium, hoc eſt, ex voluntate, quam impoſſibile *eſt* non eſſe liberam, *nec culpam aufert. Reuera autem ſi totum quod mouet animas noſtras, extra nos eſſet, & non haberemus principium motiuum & operum noſtrorum intra nos vel in nobis, totum attribuendum videretur extrinſeco motori, vel motoribus, ſi plures eſſent.*

Doctores longè plures addere poſſem, & quorum magna ſit in ſcholis authoritas. Sed omnia quæ ſunt huiuſce quæſtionis colligere ſi vellem, res abiret in infinitum. Quos autem retuli, hi laudantur omnes in ſcholis & cathedris, habenturque eorum plurimi teſtes chriſtianæ veritatis omni exceptione maiores. Vnum duntaxat articulum addam ex illis quos Stephanus Pariſienſis epiſcopus de conſilio magiſtrorum theologiæ damnauit anno domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto, edicto anathemate ijs omnibus qui docerent eos & defenderent. Is autem articulus his verbis concipitur. *Item quod Deum neceſſe eſt facere, quicquid immediatè ſit ab ipſo.* Hic articulus dicitur *error, ſiue intelligatur de neceſsitate* coactionis, *quia tollit libertatem arbitrij; ſiue de neceſsitate* immutabilitatis, *quia ponit impoſsibilitatem aliter faciendi.* Sic epiſcopus Pariſienſis & theologorum conſilium neceſſitatem immutabilitatis dirimit à neceſſitate coactionis, quòd hæc, qui tum erat doctorum omnium ſenſus, tollat libertatem arbitrij, illa non tollat, etſi non quæuis neceſſitas immutabilitatis hic proponitur, ſed ea quam impoſſibile ſit aliter habere, qualis in Deo non mentiendi neceſſitas, vel amandi ſe. Quo certè teſtimonio maius vix vllum nobis eſſe poteſt, vix vlla major authoritas.

Digitized by Google

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Gratiæ victricis & libertatis conciliatio Pelagianis improbatur, & hominibus de Caluini ſectis & Lutheri; nullis autem è patribus Eccleſiæ, neque eorum vllis conſultæ neceſſitatis & libertatis conciliatio.

CÆTERVM partibus aduerſis ne quidem vnus è patribus Eccleſiæ verè fauet. Non nego pleroſque vel potiùs omnes, occaſione facta, ſcribere nobis eſſe liberum bene maléque viuere. Sed nihil ad rem. Idipſum ſcribimus omnes & docemus. Sed Deum non eſſe liberum, qui mentiri nolit, qui nolit iniuſtè punire; Chriſtum dominum non dilexiſſe patrem liberè, liberè non obediuiſſe patri; beatos non effundere ſe liberè in Dei cultum, non liberè miſeros in odium iuſtitiæ; nos non liberè ſeruire peccato, ſi deſerimur; non iuſtitiæ liberè, ſi nos liberet filius, non ſcribunt patres; neque cùm ſcribunt nos eſſe liberos, qui bene viuamus vel malè, ideo ſcribunt nos è nobis ſatis eſſe nobis ad bene viuendũ. Hoc etenim pelagianum eſt & planè contrarium ſacro contextui. Non ſufficientes ſumus è nobis vel cogitare, vel orare, vel dicere dominum Ieſum ſicut oportet. Sed è nobis liberi ſumus, qui malè viuamus è nobis; & qui bene viuamus, ſi Deus nobis à dextris eſt. Imò liberi ſumus omnes è nobis qui pleraque bona faciamus, ſed non qui bene quicquam. Alioqui non verè Chriſtus dominus, quod vel cogitare ſit impium, *ſine me nihil poteſtis facere*. Dico pleraque bona. Quanuis enim è nobis eleemoſynas facere poſſumus, non ideo poſſumus è nobis diligere Deum ſuper omnia. Id enim nemo malè facere poteſt, quod ſolius charitatis opus eſt, non concupiſcentiæ. Vt verbo concludam, ſi quæ nobis dicta patrum obijciuntur, vſurpabimus reſponſum beati patris Auguſtini. Cùm enim hanc ſancti Hieronymi ſententiam obijceret Pelagius, *liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur,*

Digitized by Google

alioqui vbi neceſsitas, non eſt corona. Sic reſpondet Auguſtinus. *Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditã humanam neget eſſe naturã? Sed in rectè faciendo ideo nullum eſt vinculũ neceſsitatis, quia libertas eſt charitatis.*

Verum, inquam, ecquis patrum negat nos libertate facere, quod rationali & conſulta voluntate faciamus? Nemo certè. Negant omnes, ſcio, non patres Eccleſiæ, ſed quicunque libertatem atque meritum cum victrice Chriſti ſeruatoris gratia conciliari poſſe negant. Malunt homines de Lutheri atque Caluini ſectis retinere gratiam hanc, quam reiectam maluerunt pelagiani cum ſuis abortionibus. Sic bene iuncta malè diſtrahunt. Fidos igitur & probatos chriſtianæ veritatis aſſertores cedo nobis aduerſos, & ijs pares quos edidimus. *Sed hoc in negotio*, inquit Henrichius, *quod eſt de prædeſtinatione & de gratia*, quod idem abſque dubio dicendum eſt de libertate, *vnus Auguſtinus valet* pro mille teſtibus, *cùm in eo patres conciliorum Mileuitani, Arauſicani & Tridentini, illius non tantùm ſententias, ſed & verba mutuentur.* Nec abs re habitus eſt aquila doctorum Eccleſiæ, nec abs re dictus à ſancto Bernardo hæreticorum malleus, cuius incomparabili doctrina & virtute fracti Donatiſtæ, Manichæi, Pelagiani, Maſſilienſes; diuino cuius calamo confutati omnes & veteres & noui hæreſiarchæ, Caluinus æquè & Lutherus hodie, ac Donatus olim & Pelagius; ore ſacro cuius Eccleſia cuncta quoque die preces Deo facit continuas, & ſuos quoque die alumnos omnes erudit.

Lib. de finib. hom. cap. 11.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS

Concluditur è gratia & concupiſcentia poſitam non eſſe libertatem in indifferentia.

ALTERVM argumentum è gratia petitur & è concupiſcentia, quarum partium eadem eſt oppoſitio, repugnantia eadem, quæ felicitatis & miſeriæ, ſeu illas æſtimemus è ſeipſis, ſeu proprijs è finibus, ſeu ex originibus proprijs. *Omne quod eſt in mundo*, inquit beatus Ioannes,

Digitized by Google

vel eſt concupiſcentia carnis, vel oculorum concupiſcentia, vel ſuperbia vitæ. Quare ſi nobis deſit gratia, dominari concupiſcentiam in nobis oportet. Alioqui haberet in ſe mundus aliquid præter concupiſcentiam. Quæ contradictio eſt ſacri contextus. Sed indifferentia bene viuendi, vbi regnet concupiſcentia, nulla planè. Alioqui poſſemus aliquid abſque dono Chriſti ſeruatoris, facere poſſemus aliquid ex nobis tanquam ex nobis. *Beatus qui potuit facere mala & non fecit, qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus.* Sed etſi longè non abeſt Chriſtus dominus, etſi manſionem facit in nobis cum patre diuino, etſi nos ſpiritu ſuo conuiuificat, nihilominus allicimur omnes concupiſcentiis & abſtrahimur, libidinibus vrimur omnes, ijs ſtimulis punguntur, ijs fodiuntur telis, etiam obluctantes & inuiti, qui vel præcipuè tanto duce, duce Chriſto merentur. *Inuenio aliam legem in membris meis*, inquit Apoſtolus, *repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, mihi datus angelus Satanæ, qui me colaphizet, miſer homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sic aduerſus nouum hominem militat in nobis vetus homo, ſiquidem in Paulo verè militabat. Eum autem, quod certum nobis eſt, captiuum non ducebat angelo ſuo Satanas, ſed captiuare conabatur. Quid autem cæteri vulgò chriſtiani ad Chriſti ſeruatoris militiæ ducem præcipuum? Nos equidem omnes arbitror arundines vento quouis inflexas ad inconcuſſum mediis in fluctibus ſcopulum. Hunc nulla tempeſtas inflexit, nullæ diſtraxerunt à charitate Chriſti ſeruatoris anguſtiæ. Verè nihilominus ſe liberum cupiebat à corpore mortis huius. Tot illi vitæ tædia deuoranda fuerunt! Quod igitur è ſe liquet, quod hac è luce, quod è nobis, niſi tollit omnino, ſemper imminuit indifferentiam bene viuendi, bene viuendi libertatem concupiſcentia, etſi, inuito Satana, his eius armis, his infirmitatibus & anguſtiis perficitur charitas in membris Eccleſiæ. Quod autem nobis æquè certum eſt, inexuperabilis è contrario Chriſti ſeruatoris gratia, quæ victrix eſt & efficax, dominatur & regnat in nobis, quoties ipſe vult. Hæc vel repugnantes omnino & recalci-

Digitized by Google

trantes domat. Id innumeræ nos hiſtoriæ docẽt & ſacræ & eccleſiaſticæ. Suis ille diſcipulis vbi primùm dixit, *venite poſt me*, illi continuò ſecuti ſunt, & hi continuò, nulla perquiſitione facta. Cúmque diceret illis, *tradent vos, flagellabunt vos, occidẽt vos, perſequentur vos de ciuitate in ciuitatem propter nomen meum*, non ideo fremebant inquieti, etſi ſola paupertate & miſeria proficere viderentur oculis inſipientium. Solus perditionis filius auaritia corruptus militiam deſeruit. *Cæſi verò* primùm Apoſtoli, *exiuerunt gaudentes à conſpectu concilij, quòd digni habiti fuiſſent contumeliam pati pro nomine Ieſu*. Sic regnabat Ieſus in illis. Vt enim concupiſcentia, ſic vrit gratia. Sed ſuauis & iucundus ignis deſuper immiſſus; afflatus autem ab orco, durus & acerbus. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via & aperiret nobis ſcripturas?* Lenit ignis ille & amollit. Sapientiâ replet & intelligentia. Lux etenim eſt. Si cor lapideum ſit, efficitur carneum. *Hoſtem repellit longiùs, pacem donat protinus*. Pacem veram dat, non qualem dat mundus, ſuam ille dat. Suas viſitat ille familias, & ſuis angelis cuſtodiendas præcipit. *Eo ductore præuio, vitamus omne noxium. Fouet ille, quod eſt frigidum; flectit, quod eſt rigidum; regit, quod eſt deuium*. Educit nos de laqueo venantium, docet nos vias ſuas, in eas nos veluti manu deducit. Oleo ſancto ſuo, cuius amolliendi & abſtergendi vis incomparabilis eſt, ſuos inungit. Inclinat quocunque vult & vſquequo: vndique tollit alienum & ſuum vſquequaque conſeruat. Non ita nauigium ad quoſcunque ventos, ad quaſcunque tempeſtates tutum haberet ipſe Neptunus; equum non ita flecteret poëtis jactata Pallas. Omnia facere poteſt Deus & ſemper & vbiuis ſuo nutu ſimplice abſque labore vllo.

Moliniſtis quidem non placet gratia victrix, gratia quæ ſit efficax è ſeipſa: non gratia quæ regnet in nobis, & cui ſubiecta ſit noſtra voluntas. Placet illis gratia ſufficiens, quæ data ſit omnibus & ſemper, etiam morientibus in vtero Iudæorum & Turcarum infantibus, quæque ſubiecta ſit noſtris voluntatibus, & cuius efficacia pendeat è nobis.

Digitized by Google

Sed, quod negare non poſſunt, gratiæ & concupiſcentiæ hoſtilitas omnium maxima. Quare gratia, qua de nunc agitur, tollit indifferentiam in partes aduerſas, vel eam imminuit. Imminuit, inquam, in nobis vel tollit noſtros qui verè ſunt concupiſcentiæ, inordinatos erga nos affectus. Concupiſcentiam cùm dico, non dico ſtimulos ſeu libidines & angelos Satanæ. His enim vel in præcipuis athletis exercetur charitas & perficitur. Affectus itaque dico voluntarios, quibus nos militiæ Satanæ ſubiicimus. Sed huic nos militiæ ſubiectos non relinquit gratia, nos non relinquit inferiores. Alioqui vel non vinceremus, vel aliquid facere poſſemus è nobis, haberemúſque quod nos è nobis diſcerneret, ſi deficientem in nobis gratiam è nobis ſuppleremus. Sed neque nos illa ſemper habet æquilibres. Alioqui paria forent in nobis omnibus gratiæ dona. Gratiam actum dico, non habitum. Cæterùm nihil abſurdius illa paritate & alienum magis à ſacro contextu, à doctrina patrum & doctorũ Eccleſiæ. Sed neque dubios ſemper ſinit illa nos & hæſitantes. Conſtat è vocatione diſcipulorum Chriſti ſeruatoris, qui, ſuis omnibus relictis, confeſtim ſecuti ſunt. Quare ſuas pro bono ſuæ voluntatis beneplacito gratias diſtribuit author Deus & largitor gratis: ſe legem habet & menſuram ſuorum gratiæ donorum, non noſtras quaſcunque naturas. Neſcimus nos vias Domini, eius conſilia neſcimus. Hæc etenim incomprehenſibilia docet Apoſtolus, docet illas ininueſtigabiles. Imò *neſcimus nos quid oremus, ſicut oportet. Spiritus ipſe, qui noſtram infirmitatem adiuuat, poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ſi petimus bene, ſi bene gemimus. Sed illi habere cupiunt è ſeipſis, quod eos diſcernat: efficaciam gratiæ ſibi propriam eſſe volunt: ſuum eſſe volunt *perficere*, non titulo quouis, ſed ipſo perfectionis titulo. Siquidem ſuam eſſe volunt efficaciam gratiæ, ſe ſibi fidere volunt, ſibi ſubiectam volunt ſuæque voluntati gratiam: ſe in ſpiritu Dei regnare, ſe in eo ducere ſe, ſibique cupiunt in eo dominari, quod eſt optimum. Scio quidem illos dicere ſe ſuis voluntatibus vſum gratiæ ſubiectum eſſe docere, non gratiam ipſam;

Digitized by Google

ſed vtrum id aptè dicatur, ipſi viderint. Non enim nobis verè ſubiectum habemus vſum potentiæ, niſi nos ipſam nobis ſubiectam habemus. Docet inductio. Sed diſputatio nulla nunc de gratia habitu. Quare ſola ſupereſt vocatio. Nemo nanque ſibi ſuæque voluntati ſubiectum dicet Spiritumſanctum. Sed vocatio purus eſt & ſimplex actus. Hic autem, vti volunt, illuminatione continetur & pia voluntatis affectione. Sed actus ſit gratia præueniens iudicio Molinæ, quo de iam antea, non ſit, nihil ad rem. Si nanque vſus calami vel cytharæ vel equi mihi ſubiectus eſt, oportet hæc omnia mihi ſubijci. Quare gratiam nobis eſſe ſubiectam oportet, ſi ſubiectum nobis habemus eius vſum. Quod ſi ita eſt, bonum eius vſum habemus è nobis, è nobis habemus, quod nos diſcernat.

Quòd autem pium ſit & ſanctum inſtare precibus & poſtulare, etiam abſque intermiſſione, dona Spiritusſancti, quæ nobis omnibus neceſſaria ſint ad bene viuendum, ſic nos orare licet, ſi valet illa theologia. *Deus pater omnipotens da ſpiritum tuum in cordibus noſtris, da ſanctam gratiam tuam, & quia ſcis quæ nobis noſtrum ad meritum, noſtram ad gloriam neceſſaria ſunt, noli pater malas voluntates noſtras* vincere, *noli* regnare *in illis, illas in bono* figere *noli, noli* plantare & eradicare; *da pater, da bene viuere,* ſi velimus; *da,* ſi velimus, *proficere; da in ſpiritu tuo* nutu noſtro *viuere.* Sed iſtæ non ſunt canonicæ preces & eccleſiaſticæ. His etenim alijs à Deo cum Eccleſia matre humillimè petimus, ſi bene petimus, vt diſponat, dirigat, moderetur, innouet, firmet, creet, conſolidet, conuertat, ducat, figat, plantet, eradicet, flectat, ducat, reducat, regat, gubernet, cuſtodiat, defendat, protegat, viuificet, nutriat, vrat, excitet, perficiat, rebelles voluntates noſtras compellat, & qui fundus precum omnium diuinarum eſt, vt *regnet in voluntatibus noſtris.* Det bene viuere, det intelligere, det ſapere, det proficere, det perſeuerare poſtulamus, det vt bene velimus, vt recta velimus; ſed vt bene viuamus, ſi velimus, cum Eccleſia matre non petimus, nos etenim nobis confideremus ſuperbiſſimè.

Digitized by Google

Verùm, inquies, niſi gratia ſit penes arbitrium noſtrum, non meremur nos, vel ſaltem minùs meremur, quàm ſi penderet aſſenſus è nutu noſtro. Quot vocabula, inquam, tot errata. Donum gratiæ, Dei nutus eſt. Si deberetur, merces eſſet, non gratia. Mortuus iacens in tumulo Lazarus exſuſcitatur nutu Chriſti ſeruatoris & opera. Opera eadem, eodemque nutu curatur ſemiuiuus ille iacens in via Ierichontinus. Quòd ſi conſentimus & operamur, profectò liberè conſentimus & operamur liberè. Quare meremur. Sed è menſura gratiæ reputandum meritum eſt. Velle quidem ſeu conſentire pendet è nobis. Eſt enim actio noſtræ voluntatis, noſtræ voluntatis electio. Sed vbi cooperamur ſpiritui, non operamur, duce voluntate noſtra & regnante. Contrarium nanque docet Sacer contextus: contrarium poſtulamus orationibus noſtris. Neque propterea captiua ducitur noſtra voluntas. Tum enim liberatur. *Hæc autem libera voluntas*, inquit beatus Auguſtinus, *tantò liberior eſt, quantò ſanior: tantò demum ſanior, quantò diuinæ miſericordiæ gratiæq́; ſubiectior. Quippe humana voluntas non libertate gratiam, ſed gratia libertatem conſequitur.* Neque meritum impedit gratia, quod ipſa per ſe facit, quod noſtra niſi per ipſam non facit voluntas. Sed gratiæ dominium cum libertate vel potiùs cum augmento libertatis conſiſtere, etſi iam ſatis euictum eſt, adhuc euincitur hoc argumento. Dixit Chriſtus dominus ſuis diſcipulis. *Dum ſteteritis ante reges & principes, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Itaque verborum in illis & formæ loquendi dominium proprium erat loquentis in eis ſpiritus. Nihilominùs verè loquebantur apoſtoli. Nanque verborum & rerum quas dicerent, cogitationem primùm & intelligentiam habebant, os aperiebant opera mentis & voluntatis ductúque; neque dubium cuiquam eſſe poteſt, quin ſumma libertate loquerentur, ſuiſque ſanctis exhortationibus plurimùm mererentur apud Deum, qui ſic illos applicaret. Ita concludunt Bernardus, Proſper & alij. Sed

Epiſt. 89. & lib. de corrept. & grat. cap. 8.

abbreuiata

abbreuiata non eſt manus domini, ſponſa Chriſti ſeruatoris Eccleſia derelicta non eſt. Quamobrem eorum ore loquitur hodie Deus, qui piè ſanctéque nos euangelium edocent, etſi ſuis alios libidinibus permittit, qui contrarium clamitent, veluti ſanctis apud nos nullam eſſe libertatem, meritum omnino nullum; vel cuique licitum quoque pretio locare pecuniam, quo plebes exedantur & ſaginentur chara quæque Satanæ mancipia, quæ Mammonæ litent. Sed nonne ſumma libertate cardinalium electus in pontificem Innocentius? Nonne tamen deſuper electus, præſidente Deo? Nonne præſidente Spiritu liberè definiunt patres in concilijs? mitto cætera.

Quòd ad gloriam ſanctæ cuiuſuis operæ, rite piéque facimus omnes, ſi Dei miſerentis gloriam quærimus. Sin quærimus noſtram, noſtram iam mercedem retulimus. Concupiſcentiæ ſtimulo ducimur, non ſpiritu Dei. Quærit enim charitas, quæ Dei ſunt, non quæ ſua. Neque propterea negamus nos vel imminuimus gloriam ſanctorum. Imò nos illam aſſerimus. Eò nanque maior gloria Pauli, quòd Dei gloriam quæſiuerit, non ſuam. Suam quærunt omnes qui, duce Satana, ſuperbiunt. Dei patris gloriam, quod ipſe teſtatur, non ſuam quærebat Chriſtus dominus. Stoïcorum illud eſt & omnium Satanę mancipiorum ſuam cum principe ſuo gloriam quærere. Sua nanque volunt illi, ſibi propria volunt, quæ ſibi perſuadeant optima. Sed in quo gloriari poſſunt chriſtiani, qui ſe nihil habere profiteantur à ſeipſis, præter peccatum, quod non acceperint, cuius non ſint debitores, quodque ſibi reddendum non ſit? Neque volentis itaque, neque currentis gloria, ſed Dei miſerentis. Neque volentium enim, neque currentium opera, tam illorum eſt, quàm Dei miſerentis, qui operatur in nobis velle & perficere, velle & currere, velle & operari.

Digitized by Google

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS

E bonis aſſuetudinibus & prauis concluditur ſitam non eſſe libertatem in indifferentia.

IDEM concluditur, quod tertium argumentum eſt, è bonis aſſuetudinibus & prauis. Si quis enim aſſuefactus eſt ſeruire libidinibus, auaritiæ, ſuperbiæ, inuidiæ, gulæ, veneri, maledicentiæ, rapinis, ſæuitiæ, cæteris feritatibus, ſit autem illis indulgẽdi nactus opportunitatem, ſeriò non cogitat, ſaltem, niſi datum illi deſuper eſt, bene non cogitat de coërcendis & extinguendis iſtis ignibus. Sed è contrario plenis, quod aiunt, velis, laxis habenis, præceps ruit quò ferat tempeſtas. *Dum enim ſeruitur libidini*, inquit beatus Auguſtinus, *facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta neceſſitas eſt. Si mutare poteſt* Ieremiæ 13. *Æthiops pellem ſuam*, inquit Propheta, *& Pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* Odorem quo ſemel imbuta recens eſt, aſſeruabit teſta diu. Alia porrò longè ratio libidinis, quàm odoris. Longas etenim radices agit libido & infinitas, neque, quod longè peius eſt, vllo flumine eluitur eius propria fœditas. E contrario vir piè ſanctéque formatus firmum habens propoſitum, quale diceres in ſancto magiſtratu iuſtè piéque viuendi, quæ conſtans eſt & perpetua voluntas reddendi cuique ſuum, rara hoc ſæculo auis in terris, hic in litibus dirimendis non authoritate potentium, non amicorum gratia mouetur, non regina pecunia, non lachrymis & inopia partium, non impotente iudicio, ſed lege, iure, æquitate & ſaniore, ſi ferat occaſio, collegarum ſententia. Hoc vnum quærit in diſceptatione, cæteris non mordetur, non vel afficitur. Quæ reliquarum vtranuis in partem aſſuetudinum ratio. Magnæ ſiquidem aſſuetudines & bonæ vix ſinunt indifferentiam ad malum, vix ad bonum malæ. Illam igitur in vtrunuis æquilibritatem imminuunt aſſuetudines mediæ pariter omnes pro modulo. Quæ ratio natiuæ cuiuſuis in nobis omnibus indolis. Quod vt præte-

Digitized by Google

ream, ſi indifferentia, qua de nunc, per ſe radix eſſet in nobis meriti & demeriti, laudis & infamiæ, eademque, vt verbo dicam, eſſet ipſa per ſe libertas, certè quò maior eſſet indifferentia, maior eſſet libertas, vberiuſque merendi principium & demerendi. Quo nihil abſurdius. Has etenim affectiones ex actione metimur, ex eius modo, è circonſtantiis, è legibus, è propoſito. Pauperibus exempli gratia nobis erogandum quod noſtrum eſt hilariter, piè, decenter. Sed in malum propenſiſſima nobis voluntas eſt è verſo funditus in naturam habitu vitioſo, vt è bono verſo pariter in naturam, propenſiſſima voluntas in bonum. Quod autem ratio & authoritas diuina humanáque nos edocet, ſummis è virtutibus ſumma probitas, ſumma nequitia ſummis è vitiis. Quæ perfectionis operum & imperfectionis ratio perfectis ex artibus intelligitur, & ex diſtortis penitus inertiis, ſi quæ ſunt iſtæ vel fingi poſſunt. Quare tantùm abeſt, vt indifferentia per ſe meritis conferat & demeritis, quò minùs eſt indifferentiæ, cæteris paribus, meriti plùs habes vel demeriti. Alioquin eò minùs peccaret improbus, quò magis obfirmatus eſſet in malo; minúſque mereretur probus, quo maiore propoſito ſeruiret iuſtitiæ. Cæterùm quò quis obſtinatior eſt in malo, eò liberior eſt ad peccandum. Liber etenim totus eſt à iuſtitia. Quia tamen vera libertas eſt, vbi charitas, ea mera perfectáque ſeruitus eſt. Imò viuentibus in vite palmitibus, viuentibus in Chriſto ſanctis, quibus ſuauiſſimus Dei cultus, quod eſt plenæ virtutis certum teſtimonium, etiam neſcio quæ ſeruitus eſt hoc in corpore. *Quis me leberabit,* inquiebat Apoſtolus, *de corpore mortis huius?* Neque mirum, ſi poſtulabat ſe liberari ab hac peccati ſarcina. Ea nanque ſanctis optata, vera, plena, cumulatáque libertas. Liberior autem apud nos eſt ad bene viuendum, qui bene viuere magis aſſuefactus eſt, raptuſque magis & compulſus à diuino patre. *Deus qui mundo remedia contuliſti, populum tuum quæſumus cæleſti dono perſequere, vt &* perfectam libertatem *conſequi mereatur, & ad vitam proficiat ſempiternam.* Hæc matris Eccleſiæ ſanctæ perfectæque libertatis poſtulatio.

Ecquæ verò apud Deum canonica & eccleſiaſtica poſtulatio nocentis indifferentiæ & impedientis, non adiuuantis, non afficientis nos & figentis in opere bono? Quòd non iuuet, ſole clarius eſt. Quòd impediat, docent eius origines, ignorantia & infirmitas. Ex his enim conſultatio, ex his falſum quodque iudicium. Oberrantibus autem nihil errore familiarius.

Sed, inquies, alia quædam eſt creatæ voluntatis indifferentia, quæ boni non eſt & mali. Nanque perditis ſua quædam eſt malorum optio, & ſua ſanctis optio bonorum. Sed, inquam, delectus omnis, vti diximus, meliorum eſt & maiorum. Porrò minus bonum malum eſt, & minus malum bonum. Minus nanque bonum priuatio maioris eſt, & minus malum priuationis euacuatio. Vt è bonis ergo ſenſim excidimus, ſuccedente priuatione: ſic emergimus è malis, ſuccedente habitu. Ne quid autem omittamus, malorum optio neſcio quid ambiguitatis habet. Libidinoſum nanque ſi dicis, quoniam hic malum auguratur eſſe bonum, ſummum bonum ducit ſuas explere libidines quàm ſæpiſſime poſſit & iucundiſſimè. Quamobrem eas pro facultatibus & opportunitate præfert, quas arbitratur eſſe magis exquiſitas. Sed & ſua ſanctis viris non rara malorum optio, qualis facta Dauidi, non ſordium optio, ſed pœnarum. Quid autem hærebat Dauid? Tribus è malis volebat, quod & minus eſſet, ſéque deceret magis. Id quærebat comparatione partium, quod aſpectu primo non cernebat. Sic mortem adulterio ſibi meliorem eſſe concludit Suſanna. Sic beatus Auguſtinus ductus amore veri boni, ſuæ ætatis ſectas omnes diu contulit apud ſe, donec voce diuina monitus acquieuit optimæ. Solam hærebat ille per ignorantiam. Per hanc eandem ſuis adhærent ſectis deuiis minimè nouem hominum decimæ. Hominum autem adeo brutus nemo, qui ſe beatum non cuperet, vel ita prouectum in veræ beatitudinis itinere, vt ſe cum illa coniunctum haberet, vel potiùs eam ſe, quæ minima reſtaret, hac obtenturum opera. Pleroſque deterret aſperitas viæ vel potiùs infirmitas. Omnes autem qui ſint deuij, abſolutè deuios facit

ignorantia. Non enim viuus & efficax ſermo deſuper in omnibus. Sed ecquis Dei conſiliarius? Fiat eius voluntas ſemper vbiuis. Quos vult, illuminat: ſuas, quibus vult, vias planas facit. Multi nihilominus vocati, ſed electi, quod nos ille docet, pauci ſunt. Nanque factores legis ille vult, non auditores duntaxat. Quin hilarem de ſuo datorem ille vult, non inuitum, minimè omnium de alieno. Ne quidem enim vir probus dono reciperet è latrone, quod ſciret alienum. Sed cur hos illuminet Deus, non illos? cur eorum quos vocet, alios factores efficit, non alios? Cur adeo paucis vias aperit, quos erudiat, ducat, cuſtodiat vt pupillam oculi, ſuóque ſpiritu enutriat, ſolus ille ſcit, neſcimus nos. Si ſciuiſſet Apoſtolus, non admiratione raptus exclamaſſet, ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Iacobum dilexit, & odio habuit Eſaü antequam boni quicquam vel mali feciſſent. Quod è præuiſis ab æterno meritis & demeritis, vti docent ſancti patres, intelligi nequit. Alioqui ratio quæ vel ignaris myſteriorum mulierculis prompta foret, in pleno reuelationum pectore, in electionis vaſe, in doctore gentium omnium incomprehenſibilis fuiſſet & ininueſtigabilis. Sed viæ domini non ſunt viæ carnis.

Ne quid autem deſit, quod nobis per occaſionem obſeruare liceat, monet quidem Apoſtolus, vt emulemur meliora chariſmata. Sed quod nobis certum plurimæ ſunt manſiones in domo patris cæleſtis. Quare non omnes ad eandem vocamur. Alioquin vnica foret. Sua porrò virginibus exempli gratia & martyribus ſua. Nos autem omnes non vocat Deus ad hanc vel illam. Pleriſque melius fuiſſet non oblatam eſſe ſibi occaſionem martyrij. Non enim litaſſent idolis horrore tormentorum. Quare cuiuis optanda non eſt hæc occaſio. Sic pleriſque melius eſſet non vouere virginitatem. Ijs abſolutè dico, quibus hoc propoſitum aſcendit è tenebris, non deſcendit è patre luminum deſuper.

Sed cur è veſtigio, dices, cur non ſemper eligimus meliora nobis chariſmata, ea verò præſertim, ad quæ vocati

ſumus? Malorum, inquam, omnium fœcundæ parentes ignorantia & concupiſcencentia. Plerique rapiuntur ad ſacros ordines, vel potiùs ad eorum limen, pinguium ſacerdotiorum auiditate & incommodorum huius vitę odio, non officij & moleſtiarũ amore. Sibi piè, ſibi ſeriò, ſibi humillimè quiſque diu probandus eſſet apud ſeipſum, neque priùs vitæ profeſſionem, quæ præſertim ad altaria ſpectet, quis inire deberet, quàm cælum vel precibus fatigaſſet, recto ſemper propoſito, fædo nunquam, vt ſibi Deus inſpiraret vitam, quam è ſe cuperet. Sed, ignorantia duce, duce concupiſcentia, glorioſam nobis & commodam profeſſionem quærimus, non glorioſam Deo eique probatam. Si cui diuinitus inſpirata foret & reuelata ſuæ vocationis ineundæ conditio, is obedire teneretur. Sed quia cum paucis admodum ita Deus, vocationem quippe dicimus extraordinariam, ſeriò nobis poſtulandum ſemper eſt, vt in nobis fiat diuina voluntas, non noſtra. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Suorum etenim votis, quæ dirigat, annuit Deus. Quicquid ſit, eorum omnium quos pater diuinus dedit filio, ne quidem vnum amittet filius. *Ecce ego,* inquit, *& filij mei. Eorum quos dediſti mihi non perdidi* quenquam. Suos igitur omnes, quocunque conſilio, quacunque demum arte diuina, quacunque machina, aſſeret ſibi reddetque patri diuino Paſtor ille bonus & prudens & fidelis.

Articvlvs decimvsqvintvs

Non eſſe ſitam in indifferentia libertatem concluditur è libertate Chriſti domini.

Christvs dominus, quod argumentum quartum eſt, his in inferioribus locis, quam vixit vitam, totam liberrimè vixit, & ſumma vno omnium maximo conſenſu libertate potitus eſt. De diuina in illo voluntate diuinitatis non loquor, loquor de voluntate propria humanitatis. *Pater*, inquiebat, *ſi fieri poteſt, vt tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Ita ſe ſuperiori

ſemper habuit ſubiectam eius voluntas inferior. Quo titulo minor patre Chriſtus dominus. Factus autem eſt in omnibus obediens patri, eiuſque mandata ſingulariter obſeruauit, non medio quodam, ſed ſummo ſemper abſolutóque penitus obſequio. Nullam vſquam in partem vel latum punctum deflexit ab ipſa rectitudine vel vſquam deflectere potuit. Cùm enim humanam eius voluntatem meditamur in diuina perſona, in diuino ſuppoſito, illam certa fide pronunciamus impeccabilem. Neque probatione nobis opus eſt. Quòd enim actiones propriæ ſint ſuppoſitorum, in Deum autem impoſſibile ſit cadere malitiam, fœditatem cadere, neque peccauit vſquam Chriſtus dominus, neque peccare potuit. Ad eius vitam nihil regula Polycleti. Neque melior poſſibilis alter, neque ſanctior. Dilectus ille Dei patris filius eſt, in quo veluti propriis in deliciis ſibi bene complacuit. Illi cæterùm aperta diuina lex tota, aperta tota diuina voluntas, aperta, quæ ſpectarent ad ſe, diuina quæcunque conſilia, ſi quæ hîc conſilia dici poſſunt. Diuinum nanque conſilium, quod ad vnum aliquem ſpectet, ex quo reuelatum illi, iam veluti præceptum eſſet, arripitur, ſi modò perfectus ipſe ſit. Adoleſcentem illum diuitem, cui ſatis eſſe non videbatur, ſi communem omnium legem obſeruaret, non ſic alloquitur Chriſtus dominus; Fili, ſi vis eſſe perfectus, hoc tibi conſilium do, vade, ſi mihi credere vis, atque tibi bonum eſſe videtur illo in perfectionis ſtatu, vende quæcunque poſſides, & da pauperibus; ſed ita loquitur abſolutè, ſi vis eſſe perfectus, vade, vende omnia, da pauperibus, & ſequere me. Chriſtus autem non modò perfectus ſemper eſt, ſed exemplo réque perfectorum omnium perfector. Cùm igitur illi, quæ ſpectaret ad ſe, perſpicua foret diuina voluntas, nulla fuit vſquam in eo indifferentia bene maléque viuendi, nulla inſtituendæ vitæ conſultatio. Nulla penitus in eo vel officiorum ignorantia, vel eorum quæ ſibi euentura forent, omnium. Nulla voluntatis infirmitas, nulla rebellio, nullus peccati fomes, nulla caro peccati. Illum quidem tentauit Satanas, ſed neque morſum infixit,

Digitized by Google

nec affecit omnino. Si petiuit à patre, vt à ſe tranſiret calix, non petiuit abſolutè, ſed adiunctione neceſſaria, vt nos erudiret de conformanda ſemper voluntate noſtra diuinæ volũtati, maximis præſertim in anguſtiis. Quàdoquidem ergo non potuit Chriſtus dominus patrẽ non diligere, patri non obedire, neceſſariò dilexit, obediuit neceſſariò. Nihilominus & dilexit & obediuit liberrimè. *Animã meam,* inquit, *pono, quia volo, nemo aufert à me.* Sic noſtrum adinſtitutum beatus pater Auguſtinus. *De Spirituſancto & de virgine Maria Dei filius vnicus natus eſt, non carnis cupidine, ſed ſingulari Dei munere. Nunquid metuendum fuit, ne, accedente ætate, homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo libera voluntas non erat, quantò magis* ſeruire peccato non poterat? *In cuius non tantùm diuinitate, ſed nec in anima, nec in carne vllum* potuit *eſſe peccatum. Vnde natura humana tanta gloria, nullis præcedentibus meritis, ſine dubitatione gratuita? niſi quia magna hîc & ſola Dei gratia fideliter & ſobriè conſiderantibus euidenter oſtenditur, vt intelligant homines per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis, per quam factum eſt, vt homo Chriſtus* nullum habere poſſet *peccatum. Neque enim metuendum erat, ne iſto ineffabili modo in vnitate perſonæ à verbo Deo natura humana ſuſcepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipſa ſuſceptio talis eſſet, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret.* Sic libertatem in Chriſto domino cum neceſſitate, ſi modò dicenda neceſſitas eſt, conciliat Auguſtinus.

Lib. de præ-deſt. ſanct. cap. 15.

Lib. 2. de peccat. merit. c. 11.

Enchirid. c. 37.

Lib. de corrept. & grat. c. 11.

Qui verò has conciliare nequeunt, vt ſe probent argutos, vulgò confugiunt ad circunſtantias adimplendorum à Chriſto domino præceptorum. Sed eorum pace, cùm de Chriſti ſeruatoris obedientia ſcribit Apoſtolus, déque merito paſſionis & præmio, non ea ſubtilitate, ne cauillatione dicam, ſcribit obedientem illum, quòd hac die, hac hora, hoc loco mortuus ſit, ſed ita ſcribit abſolutè. *Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quòd Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* Ieſu *flectatur omne genu cæleſtium,*

Digitized by Google

terreſtrium & infernorum. Et certè Chriſtus dominus non factus eſt obediens in ijs quæ ſibi præcepta non erant, ſed in adimplendis præceptis hoc ipſo nomine, quo præcepta ſunt. Hæc vna & ſingularis eſt obedientiæ ſubſtantia. Per hanc abſolutè meritus eſt Chriſtus dominus, ſiquidem meritus eſt ſua erga patrem obedientia: abſolutè meritus eſt, quòd Deum ſummo dilexerit amore. Sic enim adimpleuit præceptum de diligendo Deo toto corde, tota mente, tota anima, tota fortitudine, totis viribus. Neque potuit illud non adimplere, quod adimpleuit ſumma & neceſſitatis & libertatis conciliatione. *Dicendum eſt*, inquit beatus Thomas, *quòd etiamſi Chriſti arbitrium determinatum eſſet* ad vnum numero, *ſicut ad diligendum Deum, quod* non facere *non poteſt, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis ſiue* meriti, *quia in illud non* coactè, *ſed* ſponte *tendit, & ita eſt actus ſui dominus.* Quo contextu nihil noſtrum ad inſtitutum illuſtrius. Sic autem adimpleuit Chriſtus dominus præceptum de honorandis parentibus, cùm factus illis obediens eſt & ſubjectus; cùm matris curam habuit, eamque commiſit moriens curæ dilecti ſibi diſcipuli. Scire porrò cuperem ab illis circunſtantiarum confictoribus, ecquas illi circunſtantias nobis obtrudere velint, num indifferentes vel attinentes ad præceptum. Sed indifferentes dicere, ſi pudorem habent, eos puderet. Siquidem hæ nihil ad rem attinent, nihil ad meritum, otioſæ ſunt. Cæteras ſi dicunt, ſe præbent abſurdos. Qui nanque præcipit obſeruare parentes, præcipit eos honorare, illis ſubuenire præcipit, quoties exigit occaſio, &, vt verbo dicam, vti decet. Bonum enim ex integro, malum è quouis defectu. Sed officium in Chriſto domino medium impoſſibile. Hoc enim repugnat dignitati perſonæ. Quamobrem in eo ſummum eſſe oportuit. Et certè medium eius officium eſſe nequit, quem repugnat agere malè, & cuius actio bona eſſe nulla poteſt, quæ non ſit infinitè bona. Quæ cùm ita ſint, Chriſtum dominum oportuit adimplere præceptum accuratiſſimè. Igitur & ſubſtantia præcepti & omnes ad illam attinentes circunſtantiæ hac in inflexibili rectitudine per-

In 3. diſt 18. art. 2. ad 5.

inde cadebant in præceptum. Nihilominus audire cuperem, num illæ, quaſcunque volunt, circunſtantiæ præceptæ forent, vel diuino propoſitæ conſilio. Sed conſilia Dei apud perfectos arripiuntur veluti præcepta forent, ſiquidem præceptorum & conſiliorum, quæ dicimus, omnium conſummatio & finis eſt dilectio Dei. Quanta cæterùm hæc in perfectorum omnium capite, quæ mihi ſit ineffabilis, colenda verò ſemper & adoranda, mihi minimè computabilis eſt. Sed vni cuidam Doctori gentium & præcipuis omnibus athletis in Chriſto ſeruatore, ita chara ſunt Dei conſilia, vt eorum quicquam præterire vel piaculum haberet. Summa charitas, qualis in Chriſto fonte, ſe neque reſpicit, neque reſpicere poteſt. Quare nullam patitur, nullam admittit à diuina voluntate diſiunctionis occaſionem, nullam conjunctionis oblatam incaſſum abire ſinit, nullam non quærit, nullam non arripit. Quæ cùm ita ſint, ſe dubio procul & præceptis & conſiliis abſolutè conformauit Chriſtus dominus. Alioqui maius ſanctiuſque præſtare potuiſſet officium, quàm præſtiterit. Quod à fonte charitatis alieniſſimum eſt. Summum etenim illud præſtitit, quale ſe præſtare decebat. Quod è dignitate perſonæ ſi metiris, illum fatearis oportet conformem in omnibus diuinæ voluntati, in nullis omnino vel apinis, ſi quæ dici poſſunt apinæ, quæ ſumma ſunt omnia, & quouis aſpectu diuina, diſſentaneum. Et quidem vitæ noſtræ ſi terminos poſuit, qui præteriri non poſſint, ſi greſſus dirigit, nonne locum poſuit & horam cæteraſque cauſas omnes & circunſtantias? Has autem omnes ſi nobis omnibus poſuit, filium, credo, neglexit, neglexit filium in quo vno ſibi bene complacet. Id vel cogitare, nefas. Siquidem hæc eius oculi pupilla, per & propter quam cuſtodiuntur quæcunque vera ſunt, membra corporis omnia. Hoc inter nos & dominum Ieſum Chriſtum diſcriminis eſt, quòd noſtræ nos viæ lateant; ille verò ſuas omnes præuiſas haberet & apertas. Quicquid id eſt, ſe liberrimum habuit Chriſtus dominus in adimplendis omnibus præceptis.

Sed, inquies, authore Tertuliano, neque boni, neque

Digitized by Google

mali merces iure penſaretur ei, qui bonus aut malus neceſſitate inuentus fuiſſet, non libertate. Quare ſi Chriſtus dominus neceſſitate vixit ſanctiſſimè, non libertate, nihil promeritus eſt. Verè, inquam, Tertulianus. Sed quis concedet Chriſtum dominum non poſuiſſe animam liberè? Pono illam, inquit, quia volo, nemo aufert à me. Certè poſuit animam liberè, quocunque modo poſuit illam. Neque ſolùm eam liberè poſuit, quòd hoc modo poſuerit, non alio, ſed quòd eam abſolutè poſuerit. Quæ ſubſtantia præcepti ſeu præcepta res. Abſtulerunt Iudæi, vim intulerunt. Sed tanquam ouis ductus eſt. Non eſt audita vox eius. Scilicet, qua vllo penitus modo repugnaret. Crucem ſuam geſtauit volens, volens paſſus eſt. Sed eius voluntati nulla penitus illata vis: nulla penitus in eo repugnantia: nullus mentis, nullus voluntatis conflictus. Itaque Tertulianus non ſcribit mercedem nullam illi ſoluendam eſſe, qui ſit inuentus neceſſitate bonus. Non enim ignorabat bonum inuentum eſſe Chriſtum dominum neceſſitate. Scripſit itaque nullam ei ſoluendam eſſe mercedem, qui *neceſſitate* bonus inueniretur, *non libertate*. Quæ duo jungenda ſunt, non ſeparanda. Quis exempli gratia, quòd deliquerit: authoritate iudicis noſocomio ſoluit centum aureos. Hos ſi nolens ſoluit, non lubens, nihil meretur apud Deum. Quis ſententia iudicis debitas criminibus pænas ſoluit inuitus, ſoluit quod bonum eſt, ſed malè ſoluit. Odit enim pænas ſibi iure ſoluendas. Non quidem hi, quod dicere poſſes, verè boni ſunt, ſed pænæ bonæ ſunt, bonáque mulcta. Quod ſatis eſt ad ſolutionem contextus. Nos enim, quibus alienum cor apertum non eſt, bonum dicimus ex opere bono. Denique ſi recens natus infans & Chriſto domino conſepultus obit, hic neceſſitate bonus inuenitur, non libertate. Quamobrem illi nulla ſoluenda merces. Beatus eſt nihilominus hæreditatis titulo, non mercedis. Sed neceſſitate, ſi modò dicenda neceſſitas eſt, paſſus eſt Chriſtus dominus volens lubens, non nolens, non inuitus. Quæ porrò neceſſitas rationalis eſt & conſulta, hæc, vti nos euicimus, maximè propria voluntatis eſt

Digitized by Google

& libertatis, ſi præſertim bona ſit, qualis in beatis mentibus; non mala, qualis in miſeris.

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS

Reipſa ſimpliciter *impeccabilis aſſeritur dominus noſter Chriſtus, qui authore Molina*, reipſa ſimpliciter *peccabilis fuerit.*

EX his autem ita concluditur. Si libertas indifferentiæ per ſe neceſſaria ſit ad meritum, vel actionum indifferentium eſt ea libertas, vel actionis bonæ & actionis malæ. Sed abſurdum primum eſt. Actionum etenim indifferentium, ſi quæ ſunt eiuſmodi, quæ humanæ ſint, neque meritum eſt, neque demeritum. Sed abſurdius alterum eſt. Alioquin indifferens erat Chriſtus dominus, qui bene viueret & malè, qui Deum amare poſſet & odiſſe. Neque facit ad rem libertas, quæ dicitur eſſe contradictionis. Actionis etenim quæ ſpectet ad mores, negatio refertur ad actionem. Liquet è negantibus præceptis & & aientibus. Vt enim malum eſt Deum non colere, non honorare parentes, non iuuare miſeros: ita bonum eſt non mentiri, non occidere, non furari. Neque valet obijcere beatos in cælis non mereri, quòd peccare non poſſint. Ideo nanque non merentur, quia finem adepti ſunt, neque reſtant in via merendi. *In ſtatu felicitatis futuræ*, inquit beatus Thomas, *homo peruenit ad perfectum, & ideo non relinquitur locus proficiendi per meritum; ſi tamen relinqueretur, eſſet* efficacius *meritum propter maiorem charitatem.* Sic de laude Chriſti domini beatus Bonauentura. *Ad illud quod obÿcitur*, inquit, *quòd nullus laudatur ab ÿs quæ neceſſariò facit, dicendum quòd eſt neceßitas quæ repugnat voluntati, ſicut neceßitas coactionis, quæ venit ab extrinſeco; & eſt neceßitas quæ ſubeſt voluntati, & iſta neceßitas eſt, quæ venit ex voluntatis* immutabilitate. *Cùm ergo dicitur, quòd laus non eſt in operibus neceßitatis, dicendum quòd verum eſt de neceßitate primo modo dicta, ſed non de ſecundo.* Sic Guilelmus Pari-

1. 2. q. 182. a. 2. ad 2.

In 2. diſt. 25. q. 2.

De vitiis & peccatis fol. 213.

de ſumma libertatis & conſultæ neceſsitatis concordia [illegible]
ſienſis Epiſcopus. *Neceſsitas vel impoſsibilitas, quæ non* [illegible]
operi, quin ſit voluntarium, hoc eſt, ex voluntate, quam im-
poſſibile *eſt non eſſe liberam*, culpam *non aufert.*

Hac veritatis luce cùm ſe captum intelligeret Molina, quod neque pelagiani, neque maſſilienſes attentaſſent, de conuellendis aſſertæ veritatis & indubitatæ repagulis, eiuſque ſupremæ, cogitare maluit quàm ſuas de victrice Chriſti ſeruatoris gratia commentationes fateri conuictas erroris. Non reueritus eſt ſcribere Chriſti voluntatem *perinde reipſa* fuiſſe liberam ad præcepta quæ *ſub culpa* obligarent, *implenda vel non implenda* ac ſi fuiſſet *purus viator,* ac ſi eius natura *in ſeipſa* fuiſſet, ſuo fuiſſet *in ſuppoſito proprio.* Quod attamen aliter *præſciuiſſet* Deus, *non potuiſſe* peccare Chriſtum; alioquin eum *vt doloris & triſtitiæ*, ita peccati *capacem* fuiſſe, quòd id *neceſſarium* eſſet ad meritum. Addit eum eguiſſe *donis in parte ſentiente*, quibus *cohiberentur* motus naturales *ſenſualitatis* & *paſsiones* ac *rebelliones aduerſus rationem*, quas *cæteri* patiuntur. Non tamen *efficacia* fuiſſe illa dona, quod eis *eripiatur libertas.* Num piè vel impiè ſcripta ſint hæc, aliorum eſto iudicium. Superbiæ tela *Deus huius ſæculi* Satanas in Chriſtum ſeruatorem direxit, non quibus filium Dei figi poſſe crederet, ſed quibus, inquit venerabilis antiquitas, experiretur num eſſet Dei filius, nec-ne. Sed Molina ſcribere non erubuit omnibus nequitiæ telis obnoxium reuera, quem eſſe Dei filium ſe credere profiteretur.

Concord. q. 14 a. 13. diſp 53. memb. 4.

Quòd ſcribit Molina Chriſtum dominum eguiſſe donis quibus cohiberetur ſenſualitas ſeu rebellio partis ſentientis, id ſenſuale totum eſt & carnale. Meminiſſe potuiſſet nos omnes libidine conceptos, conceptos in iniquitatibus & peccatis, conceptos vera Satanæ ſtabula mancipiáque: conceptum verò de Spirituſancto Chriſtum dominum ſingulare totius diuinitatis ſacrarium. Chriſtum gratiæ fontem vnicum eſſe ſcire debuit; nos nequitiæ vaſa, vaſa mendacij. Egenos eſſe nos & mendicantes non ignorauit; plenum gratiæ Chriſtum & veritatis. Scire potuit nos inuios è nobis, mendaces & mortuos; Chriſtum viam eſſe, verita-

Digitized by Google

tem & vitam. Cæteras egeſtates noſtras & vacuitates ne comparem ad diuitias & plenitudinem Chriſti ſeruatoris, ne denſiſſimas noctes ad Solem æternæ lucis, quod diſcere debuit Molina ab eodem Chriſto ſeruatore, ſanus non eget medico. Si porrò ſanus medico non eget, multò minus remediis eget commune totiùs vniuerſi ſingulare remedium, multò minùs eget ipſa ſalus. Quare neque reparante remedio opus habuit Chriſtus, neque prohibente morbum. Nullam enim in Chriſto domino partem habuit Satanas, nullam corpus peccati, nullam vetus Adam, nullam abſolutè concupiſcentia, quæ lex originalis eſt aduerſus ſpiritum Dei. Quare compeſcendis his aduerſitatibus gratia victrice non eguit Chriſtus dominus, qua nos occaſione quauis egemus omnes, ne noſtris nos infirmitatibus permiſſi ſuccumbamus.

Sed quia mundum vicit Criſtus dominus, vicit Satanam ſuóque de cælo præcipitem dedit, vicit moleſtias omnes & anguſtias quas fabricauimus ſupra dorſum eius, vicit angelum Satanæ concupiſcentiam ſuis in omnibus electis, victricem gratiam habuit, æternúmque victricem, etſi concupiſcentiæ victricem in ſeipſo nullam habuit. Nanque conceptus de Spirituſancto Chriſtus dominus, nullas veteris Adæ, Satanæ nullas in ſe ſementes admiſit. Non admiſit itaque concupiſcentiam. Nanque concupiſcentia rebellis eſt & aduerſus rectæ rationi, aduerſus ſpiritui & rebellis appetitus. Non certè prout appetitus eſt, ſed prout rebellis. Nam appetitus per ſe bonus eſt & naturæ proprius. Sed prout rebellis eſt, verè fœtus eſt peccati. Factus nanque peccator rebellis, factus peccato malus. Hunc & quenuis eius aculeum dicit Apoſtolus angelum Satanæ, quòd iſtam malorum omnium radicem inſeuerit in nobis Satanas & ad ſe direxerit. Vt enim opera gratiæ ſeruimus Deo; ita Satanæ ſeruimus opera concupiſcentiæ, quoties ſuccumbimus. Naturalem igitur appetitum habuit Chriſtus dominus; rebellem & aduerſum naturæ non habuit. Non habuit, inquam, characterem Satanæ, peccati fomitem non habuit.

Digitized by Google

Quòd autem acceptus ab origine appetitus in nobis verè malus ſit & per ſe, qui ſapiat, negare nemo poteſt. Appetitum per ſe malum abſolutè non dico, qui bonus eſſet in Adamo ante peccatum, ſed origine malum dico. Naſcimur enim omnes filij iræ naturâ. Quo titulo natiuus noſter appetitus per ſe verè malus eſt. Siquidem rebellis eſt rectæ rationi, quæ diuina lex eſt & naturalis deſuper inſcripta cordibus noſtris. Generalis autem eſt iſte rebellionis fundus in omnibus Adæ filijs. Immundi ſiquidem naſcimur omnes & corrupti. Quare telis Satanæ fodimur omnes, pungimur omnes eius aculeis. Et quia nos vrunt præſertim inuidiæ tela, ſuperbiæ, auaritiæ, quæ non ſunt partis ſentientis, rebellis appetitus in nobis appetitus eſt inordinatus abſolutè, ſiue rationalis eſt, ſiue ſenſitiuus. Hic patribus & doctoribus Eccleſiæ abſolutè dictus eſt concupiſcentia, quæ radix eſt malorum omnium. Scio quidem natiuum omnem appetitum in nobis, authore Molina bonum eſſe & purum. Sed, quod eum fateri neceſſe eſt, malæ ſunt omnes aduerſus ſpiritum Dei rectamque rationem rebelliones. Has enim non ſolùm in nobis compeſcendas eſſe, ſed & compeſcendas fuiſſe vult donis ſupernis in Chriſto ſeruatore. Porrò bonum impediendum non eſt, non fugiendum, non habendum odio. Neque malum per accidens verè quis dicet hoc corpus peccati, hoc veteris Adæ corpus, niſi pariter aſſerere velit nos eſſe mortales per accidens. Vna ſiquidem radix eſt, vitium & idem vulnus nobis inflictum. Hyemes per ſe frigidas aſſeremus, aſſeremus æſtates per ſe calidas, fœcundas animantes per ſe & vites frugiferas: rebelles autem Deo & rectæ rationi negabimus appetitus noſtros. Hominem per ſe riſiuum dicimus omnes, qui non riſiſſe quoſdam audiamus, qui pleroſque vix vnquam ridere ipſi nos experiamur. At nos totis è partibus totos inſpicere ſi volumus, frequentes in nobis & continuos experimur affectus contra legem Dei rectamque rationem. Inferni porrò ſunt omnes hi afflatus, non ſuperni. Quare mali ſunt. Sed arbor è fructu cognoſcitur. Arbor bona non fert malos fructus. Ecquæ igitur

Digitized by Google

hæc arbor & qualis ad ſententiam Chriſti domini, quæ Deo continuè rebellis eſt & rationi? Haud dubiè, arbor mala eſt vetus Adam; arbor bona, nouus homo. Huius propria charitas, illius concupiſcentia.

Quia verò ſcatentes rebellionibus in nobis appetitus bonos eſſe credidit & puros Molina, hos tales aſſerit in Chriſto domino, quales eos ab ortu recipimus. Et ne deeſſet morbo remedium, addit Chriſtum eguiſſe donis, quibus cohiberetur rebellio partis ſentientis. Alterius rebellionis quæ ſuperbia continetur & eius vniuerſo comitatu, non meminit. Nanque concupiſcentiam, qui craſſiſſimus error eſt, ſolum eſſe credidit & purum partis ſentientis appetitum. Sed dato, quod ille velit, fermento rebellionis in Sancto ſanctorum, certè talia in eo dona fuerunt, quibus ita compeſcerentur iſtæ rebelliones, vt eruperint aliquando, vel nunquam eruperint. Nam illas erupiſſe ſemper non dicet Molina, qui vix audeat apertè conteſtari nonnullas erupiſſe. Audet nihilominus, cùm illos affectus obijcit, quos in cruce videtur expreſſiſſe Chriſtus & ante crucem his verbis, *pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me!* Sed aſperitates & anguſtias, quibus vrgebatur Chriſtus dominus, veras fuiſſe rebelliones, ſi contendit Molina, is, quod dicitur, aberrat toto cælo. Præuiſæ ſiquidem erant omnes, & voluntariæ & rectæ moderatæque lege exquiſitiſſima. *Propaſſiones* erant, inquit beatus Hieronymus, non erant *paſſiones*. Similitudine paſſiones dicere vult, non veritate. Nequidem paſſiones dicimus voluntarios eorum labores, etſi duros & acerbos, qui carnem redigunt in obſequium. Vti verò pro ſimilitudine tentatus eſt per omnia Chriſtus: ſic noſtris ſimiles viſi ſunt eius affectus. Alioqui nihil in eo fuit vſquam vel eſſe potuit, quod malum eſſet & fœdum.

Quandoquidem ergo malæ ſunt rebelliones & fœdæ, Chriſto domino planè repugnant intrinſecus. Quod enim malum eſt & fœdum, compoſſibile non eſt cum diuinitate. Neque leuis aut ludicra conſecutio. Quandoquidem enim actiones verè ſunt ſuppoſitorum, verè malus eſſet Deus, verè

Digitized by Google

verè fœdus eſſet. Quod erubeſco ſcribere. Iſtę rebelliones, ſcio, peccata non ſunt. Sed non peccaremus, niſi malæ forent & fœdæ, quòd eas approbaremus. Ideo nanque peccamus, quod, ſpreto bono, malum approbemus. Porrò ſtimulus Satanæ malus, malus angelus Satanæ. Non igitur in Chriſto fuit iſte vel eſſe potuit. Neque refert ſi hæc rebellio in athletis Chriſti ſeruatoris per accidens materia virtutis eſt & meriti. Nobis enim hoc in ſtatu non repugnat radix peccati, non peccati ſtimulus, non denique peccatum. At iuſtitiæ ſtellis ſi repugnant hæc omnia, quanto magis repugnant ſoli iuſtitiæ?

Sed rem vt repetamus ab origine, quia *peccatum Adæ*, authore Molina, *ſolùm nobis nocet, quòd nobis deſint gratuita Dei dona; cùm naſcimur*, vt ipſe concludit, *perinde nos habemus in cæteris ac ſi naſceremur in puris naturalibus*. Quamobrem ita nos nocentes eſſe vult vel potiùs innocentes ab ortu, vt ſcribat infantes non regeneratos in Chriſto ſeruatore poſt vltimum mundi fatum *ſupernaturaliter liberandos ab omni mentis & corporis vitio*, ſummaque beatitudine potituros *in perpetuas æternitates*. Vtrum hos benedictos patris eſſe velit an maledictos? Num eorum quos immutandos dicit Apoſtolus, nec-ne? Num inter hædos & oues medios eſſe vult & ambiguos? Certè rediuiuum alterum Æneam diceres ab inferis. Eos quibus neque proprium meritum eſt, neque, quod ipſe referat, alienum, beatos fore pronunciat. Omniſcios fore dicit & impeccabiles, impatibiles & indefatigabiles, gloria cumulatos & deliciis, vel eos ineptè fingit vacuos omni mentis & corporis vitio. Sic ad Elyſios aptas habet veras veræ beatitudinis dotes. Si tamen naſcimur omnes in nexu Satanæ, ecquo ſupernaturali remedio liberandos eſſe vult illos infantes, nouus iſte noui paradiſi fictor? Ecqua fretus authoritate nouum inducit ſacramentum apud mortuos?

Concor. q. 14. a. 13. diſp 3. cõm. in 1 p. q. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. m. 9.

Sed ne diutius in fabulis, ſi peccatum Adæ ſolùm nobis nocet, quòd nobis deſint gratuita Dei dona, peccatum originale nomine duntaxat peccatum eſt, non re. Molinæ ſiquidem infecta non eſt natura, quòd ei deſint gratuita

dona. Eius nanque iudicio ſtatus is eſt naturæ puræ. Sed dicere naſci nos innocentes, eſt apertè contradicere ſacris paginis & doctrinæ ſanctorum patrum & doctorum Eccleſiæ, quibus labes originis vera labes eſt & verum peccatum, verum malorum omnium in nobis fermentum, & verus Satanæ nexus. Sic nos inſtituit mater Eccleſia ſuo in baptiſmo paruulorum ritu ſanctiſſimo. *Recede*, inquit illa, *diabole ab hac imagine Dei, & da locum Spirituiſancto. Da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius & Spirituiſancto, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicunque es ſpiritus immunde, vt* exeas *& recedas ab hoc famulo Dei, vt fiat eius templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum. Omnipotens ſempiterne Deus reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle &* diſrumpe *omnes laqueos Satanæ, quibus* fuerat *alligatus*. Et certè licet Deus non merentes, quod eſt ſuæ bonitatis argumentum, bonis cumulare poteſt, verè tamen non merentes iniuſtè punire nequit. Quare ſi pœnas infantibus his in terris immeritas infligeret, plurimas autem eorum non paucis infligit & acerbiſſimas, ſuæ repugnaret æquitati, ſuæ contradiceret iuſtitiæ.

Quaſi natura ſubjecta non eſſet diuinæ prouidentiæ, ſic euenire fingit Molina, quòd nolit Deus ordinem naturæ vertere. Sed nonne Deus, exercituum Deus eſt? nonne Deus eſt gentium? Quid igitur, his vel illis excidendas vrbes ſi dederit, nonne cum his infantes proculcandos dabit, dabit figendos cum matribus, cremandos dabit, dabit alio quoque ſupplicio necandos? Scilicet, dabit eſcam pullis coruorum inuocantibus eum, pullis vrſæ eſcam dabit, etiam infantes, qui fortunæ ludus erit & naturæ, non Dei volentis, non Dei prouidentis! Non ita cæci veteres plerique philoſophi, qui cùm intelligerent fortunam nihil eſſe niſi Dei prouidentiam, atque naturam è nutu Dei totam pendere, has autem, quæ ſunt infinitæ, calamitates noſtras obſeruarent, conteſtati ſunt maledictum deſuper genus noſtrum. Sed cauſam aſſequi nequiuerunt, quam repudiat iſte, vt victricem Dei gratiam repudiet. Filium

Digitized by Google

dedit crucifigendum Deus pater, eumque dilectum & vnigenitum, in quo bene complaceret, vt nos redimeret; his verò parentibus, etiam optimis & ſanctiſſimis, ſi volet inter cætera quæ ſuggerat illis infinita, ſiquidem agit illos & ducit diuino ſpiritu ſuo, non ſuggeret curam infantis, nondum etiam in Chriſto conſepulti, ne cremandus concidat in ignem, quòd aſpectum mater imprudens alio contulerit.

Sed his pelagianorum & maſſilienſium effugiis ſic occurrit beatus pater Auguſtinus. *Quam quæſo allaturi ſunt cauſam, quòd alius ſic gubernatur, vt baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priuſquam ab eis baptizandus offeratur, expiret? An hoc* fato *vel* fortunæ *daturi ſunt? Non opinor eos in tantam* dementiam *prodituros*, quantuluncunque *nomen chriſtianum tenere cupientes. Eccur prouidentia Dei, cui noſtri* capilli *numerati ſunt, ſine cuius voluntate non cadit* paſſer *in terram, quæ nec* fato *premitur, nec* fortuitis *caſibus impeditur, nec vlla iniquitate corrumpitur, vt renaſcantur ad hæreditatem cæleſtem, non conſulit omnibus paruulis filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit, etiam paruulis impiorum? Nimiæ* vanitatis & cæcitatis *ſunt, ſi, etiam his conſideratis, nondum dignantur exclamare nobiſcum*, ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! *Non itaque miſericordiæ gratuitæ Dei* pertinaciſſimâ *aduerſentur* inſaniâ. *Sinant filium hominis in qualibet ætate quærere & ſaluum facere quod perierit: nec de* inſcrutabilibus *iudicijs eius audeant iudicare, cur in vna eademque cauſa ſuper alium veniat* miſericordia *eius, ſuper alium maneat* ira *eius.* Epiſt. 105.

Sed ne longiùs ab iſtituto diuertam, quòd reuera ſe natum eſſe voluerit Molina in ſtatu naturæ puræ, hoc errore fretus, ſe natum iræ filium naturâ, quod eſt origine, noluit: ſe noluit immundum ex immundo ſemine natum: ſe pura carne natum voluit, non inquinata: ſe noluit alligatum ab ortu laqueis Satanæ. Quare carnem Chriſti ſeruatoris noſtræ ſimilem contendere non erubuit. Sic libidinis fœtum ad conceptum de Spirituſancto Chriſtum dominum: ſic gratiæ fontem ad fontem nequitiæ: ſic plenitu-

Digitized by Google

dinem mendacij ad plenitudinem veritatis: ſic ollam Satanæ ſtimulis ebullientem ad pacatiſſimam commorationem Spiritusſancti : ſic diuinitatis ſacrarium ad domicilium Satanæ comparat. Quorſum hæc, inquies? Sic, inquam, errores erroribus attinent. Quòd enim mundos eſſe nos ab ortu crederet Molina, neque repugnet vniri Deo, quod mundum ſit in nobis, vt guttam guttæ diceres, ita naturam noſtram ſimilem eſſe naturæ Chriſti ſeruatoris perſuaſum habuit. Quapropter regnantem in nobis concupiſcentiam, ſæuientem in nobis angelum Satanæ credidit appetitum eſſe naturalem, nec abs eo diſtinguere nouit rebellionem aduerſus leges rectæ rationis inſitas nobis & inſcriptas à natura. Verè quidem ſi, vt angeli, ſimul orti fuiſſemus omnes; vnáque hominum rex & angelorum Chriſtus dominus; inter nos & eum ab exordio nulla fuiſſet è peccato repetita diſparitas. Sed quòd repugnet Deum peccare, impeccabilis factus eſſet ille, conſtans & ſtabilis in bono: cæteri nos, vt primi parentes & angeli, debiles, infirmi, inſtabiles. Quapropter vt angelorum, ſic hominum, quod veriſimile ſit, ſtetiſſet vna pars, altera cecidiſſet. Sed facti nos omnes in carne peccati, conglutinati nos omnes ex maledicto. Benedictus autem qui venit in nomine domini Chriſtus Deus noſter, factus non eſt de carne peccati, ſed aſſumptis, quæ valerent ad meritum, infirmitatibus noſtris, factus eſt *in ſimilitudinem carnis peccati*. Quare rebellis caro noſtra, non rebellis caro Chriſti. Vt enim verbum caro factum eſt, ita caro facta Deus eſt.

Cruces quæ non repugnent ſanctitati, quæ deificatæ naturæ non repugnent, vt nos diuino patri ſuo reconciliaret, tulit Chriſtus, quia voluit. Infirmitates induit carnis peccati, quæ per ſe cum gratia valerent ad meritum. Pane ſuo veſcebatur in ſudore vultus ſui. Humile quidem vitæ genus fatuis. Sed quod longe plus eſt, humiliauit ſe ad mortem, mortem autem crucis. Nobis glorioſum eſt & magnificum pilam inſequi, teſſeras agere, dies noctes incumbere fritillis, vt mundi pompas & luxum ſileam, quæ boni nihil habent. Sic humile, quod Deo probatum eſt; quod illi

Digitized by Google

deſpectum eſt, excelſum. Sed ſuis exemplo Chriſtus eſt. Sic igitur ille, vt nos erudiret. Sed quæ sãctitati repugnẽt, quæ repugnent carni deificatæ, fœditates nec admiſit in ſe, nec admittere potuit. Non etiam admiſit infirmitatem peccandi. Repugnat enim eſſe fermentum peccati, vbicunque repugnat eſſe peccatum. Liquet è beatis mentibus, quæ ad gloriam & ſanctitatem Chriſti, vt ad ſolem oculis conſpicuum conſpicuæ de cælo ſtellæ, diſparent omnes. Peccare verò Chriſtum impoſſibile, non è ſtatu gloriæ dũtaxat, ſed abſolutè. Repugnat enim ſanctitatem fœdam eſſe, & ſanctam eſſe fœditatem. Sed Deus ſanctitas eſt, & peccatum fœditas. Quare Chriſtus, qui verè Deus eſt, inquinari nequit. Feruentem nos ollam peccati ſupportamus. Eam paccatam tulit ſanctiſſima virgo. Neutra locum habuit in Chriſto ſeruatore, ſancta ſiquidem eius caro, minimè corrupta. Cum obiit itaque Chriſtus dominus, euacuata non eſt in eo radix peccati, euacuatum peccatum non eſt; ſed euacuata pæna peccati; non proprij certè, ſed noſtri. Hinc abeuntibus electis non aufertur lux, non charitas, non laboris meritum. *Meliorem partem elegit maria,* inquit Chriſtus dominus, *quæ non auferetur ab ea.* Sed cum peccatis & eorum radice labor omnis aufertur.

Cæterùm etſi Chriſtus dominus naturâ non eſſet impeccabilis, verè tamen ſe habuiſſet impeccabilem è ſtatu gloriæ. Eum nanque ab articulo conceptionis comprehenſorem & viatorem aſſerit Molina. Vnde ſic concluditur. Si Chriſtus dominus dum viatoris munus obiret, erat indifferens qui bene vellet & malè, indifferens erat, qui malè iudicaret & bene. Ignorans etenim prauus omnis. Sed mentis defectio in plenitudine gratiæ & veritatis, impoſſibilis. Quod autem certum eſt & indubitatum, abſque defectione mentis impoſſibilis defectio voluntatis. Impoſſibilis itaque nequitia, impoſſibile peccatum in Chriſto ſeruatore. Non potuit, inquam, Chriſtus Deum patrem quem videret, non amare; odiſſe nõ potuit, non potuit aſpernari; quæ vellet, nõ potuit non velle; non potuit non nolle, quæ nollet. Ea ſiquidem eſt beatorum omnium cõditio. Beatæ

Digitized by Google

mentis vacillatio nulla, nulla cunctatio, ignorántia planè nulla. Quantò minùs itaque Chriſti ſeruatoris, qui cœlorum primitiæ, qui cœlorum deliciæ, qui beatitudinis omnis author & factor, qui pater reliquorum ſyderum eſt? Huius beatiſſimæ mentis & ſanctiſſimæ nullum eſſe potuit deliquium, indifferentia recti prauique iudicij nulla. Alioqui concedenda, quod abſurdum eſt & inauditum, beatis in mentibus ignorantia. Sed impoſſibilis indifferentia voluntatis, vbi nulla mentis indifferentia; impoſſibilis diſtorta voluntas, vbi nequit mens non eſſe recta. Certè qui peccabilem eſſe iuſtitiam audent aſſerere, Solem iuſtitiæ peccabilem, ij fortaſſis audebunt aſſerere poſſibile peccatum abſque mentis errore. Nouam etenim & inauditam ſuperioribus æuis philoſophiam theologiamque cudendam ſibi proponunt. Familiam Molinæ non dico. Habet enim illa viros eruditiſſimos, quibus hæc nouitas penitus improbetur. Moliniſtas cuiuſcũque gentis alloquor, ſi quos eorũ in has anguſtias deſpecta veritas adegerit. Sed velle nos abſque iudicio nemini ſuadebitur, nemini ſuadebitur poſſe nos malè velle, ſi nequeamus malè iudicare. Deinde Solis iuſtitiæ tantus ardor eſt, quanta lux. Quare mentis & voluntatis in Chriſto ſeruatore par eſt & vna rectitudo. Si mente deficere nequit, nequit frigere voluntate. Quæ ſanctorum omnium in cœlis ratio. Impeccabilis igitur hoc è ſtatu Chriſtus dominus.

Neque facit ad inſtitutum viatoris diſtinctio & comprehenſoris in Chriſto ſeruatore. Mera ſiquidem illuſio eſt, mera cauillatio. Chriſti viatoris, quod Molina fatetur, læſum corpus eſt & tortum, illæsâ penitus animâ. Quare comparatio Chriſti viatoris & Chriſti comprehenſoris ad corpus & animam tota diſpar eſt. Si nanque læſus corpore Chriſtus, non læſus animo, non ſequitur beatiſſimam eius animam obnoxiam fuiſſe telis Satanæ, etſi corpore totus ſectus eſt à planta pedis ad verticem. Quod itaque conceſſum eſt, animo plenè beatus vixit Chriſtus ante mortem & illæſus; corpore læſus vixit, minimè beatus. Beatitudinem corporis dico corporis gloriam. Alioqui ſanctitate perinde

Digitized by Google

glorioſa ſemper adoranda Chriſti caro. Sed gloria corporis è beata mente velut effuſio quædam eſt. Quare vt opaco nobis eripitur dies, ſoli non eripitur: ſic erepta corpori Chriſti ſeruatoris gloria, dum hîc viator eſſet, beatæ eius animæ non erepta. Debitas corpori dotes ſuo fonte veluti concluſas retinebat Chriſtus, quia volebat; volebat enim obedire patri. Potuit autem illis carere corpus Chriſti ſeruatoris, etſi ſumma beatitudine frueretur eius anima. Quòd enim corpus & anima duæ ſint partes in nobis omnino diuerſæ, è ſanitate vel infirmitate vnius non concluditur ſanitas vel infirmitas alterius. Sed mens in Chriſto domino ſecta non eſt, non ſecta voluntas. Vnica ſiquidem eius eſt & indiuiſibilis anima. Quare ſi mens Chriſti comprehenſoris cernebat omnia abſque vllo penitus errore, quid latebat mentem Chriſti viatoris? Si Chriſti comprehenſoris ardens charitate voluntas impeccabilis, vnde peccabilis & frigens voluntas Chriſti viatoris? Si, inquam, hîc veritatis & gratiæ, lucis & ardoris, comprehenſionis & dilectionis conſummatio, vnde poſſibilis error? Vnde defectio poſſibilis? Impoſſibilis profectò culpa viatoris, vel poſſibilis inſipientia comprehenſoris. Alioqui ſectam doce nos in ſe vel quouis interciſam modo viatoris mentem & comprehenſoris. Doce nos conſummata charitate diſtractam eius voluntatem & fœda libidine. Si lucentes aliena luce ſtellæ deficere nequeunt in cælis; certè de ſuo lucens, lucens de proprio Sol iuſtitiæ, deficere non potuit; non potuit deficere fons, cuius riuuli deficere nequeunt.

Sed nonne glorioſum corpus impatibile? Id fatearis oportet. Vna ſiquidem eius è dotibus eſt impatibilitas. Itaque fateberis, quod negare non potes, corpus glorioſum impatibile, & mentem beatitudine cumulatam negabis impatibilem? Impatibilem negabis animam, cuius radio corpus euadat impatibile? Cunctis vulneribus obiectam habebit ſe beata mens & obnoxiam; nullis eius amictus, eius inuolucrum nullis? Profectò ſi corpus inuulnerabile facit apex beatitudinis, inuulnerabilem animam efficit ipſa per ſe beatitudo. Inuulnera-

Digitized by Google

bilem quoque titulo beatam Chriſti ſeruatoris animam, dum hîc ſtaret in via, non dico. Totus enim verè paſſus eſt & per omnia tentatus. Sed inuulnerabilem dico telis Satanæ beatam eius animam. Quo nomine tortores poteſtatem habent in corpus, non habent in animam.

Sed poſito poſſibili in actu, quod ſequacibus philoſophorum non poteſt non arridere, nihil inde ſequitur abſurdi. Quandoquidem ergo, quod Molinæ placet, integrum fuit Chriſto domino actus à patre ſibi præceptos non edere, eſto, reipſa peccauerit. Exciderit igitur è bono, inciderit in malum. Sed quod omnes Eccleſiæ doctores vno ore docent, actiones ſunt ſuppoſitorum. E perſona ſiquidem eſt actionum infinita dignitas in Chriſto domino, non è natura. Quod cùm ita ſit, peccabilis eſſet Deus & peccator & malus. Profanæ ſunt, fateor, & horrendæ iſtæ conſecutiones, ſed molinianæ ſunt, non meæ. Vtque cætera colligam, ſi qualis in cæteris eſt, quod velit Molina, rebellionis radix aduerſus rectam rationem, talis erat in Chriſto, ideóque perinde liber erat, qui peccaret, ac ſi in ſeipſa fuiſſet eius natura, ſuo fuiſſet in ſuppoſito, etiam inquinare ſe ſcelere potuit. Concepta ſiquidem in nobis inhæret iſta lethalis arundo. Imò ſi Chriſti ſeruatoris quæuis actio dignitatis eſt infinitæ, ecquæ fuiſſet indignitas malæ eius actionis & fœdæ? Sed è throno gloriæ, è beatitudinis throno ſi lapſus eſſet Chriſtus, ecquo mediatore reſurrexiſſet? Se profectò non curaret ipſum. Iam enim vacuus eſſet & inops & miſer. Viatorem itaque Chriſtum miſerum-ne dices, & beatum Chriſtum comprehenſorem? Ita-ne ſcindes Chriſtum & diuelles? Miſerum-ne dices comprehenſorem & cum viatore præcipitem datum de throno beatitudinis?

Fortaſſe dices naturam eius humanam, admiſſo ſcelere, repudiatam à diuinitate, facto diuortio. Quod ſi dicere vis, eam repudiatam dices ante ſcelus admiſſum, vel admiſſo ſcelere. Si primum dicis, peccatum non dicis naturæ ſubſiſtentis in diuina perſona. Quæſtionem itaque deſeris. Ne tamen id intactum prætereat, hominem-Deum, in

quo

quo condita ſunt omnia, diſrupto æterni ſacramenti nexu quocunque caſu, quocunque eius errore ementito, diſſolubilem fingere, abſurdius longè profectò, quàm præcipites dari ſtellas omnes, omnes beatas mentes, magnamque ruere molem. Sin alterum dicis, certè ſcelus inuris diuinitati. Perſonæ ſiquidem propria eſt actio. Sed poſſibilis dignitas actionis è perſona diuina, fœditas impoſſibilis. Eccuius ergo perſonæ foret peccantis Chriſti ſeruatoris indignitas? Diuinæ dices, vel nullius eſſe dices. Non enim dices duas in Chriſto ſeruatore perſonas. Sed eas actiones, quæ malæ forent, ſolius eſſe naturæ, perſonæ non eſſe ſi fingeres; ſolius eſſe naturæ bonas, perſonæ non eſſe, perinde fingere poſſes. Sed his figmentis euacuaretur totumque concideret infinitum crucis meritum. Fatendum igitur eſt perſonæ proprium eſſe meritum, ſiue bonum illud eſt, ſiue malum. Sed quod inconcuſſum manet, impoſſibilis è diuina perſona fœditas, prauitas impoſſibilis. Impeccabilis itaque Chriſtus. Certè beatos in cœlis peccare pro nutu ſi diceres, falſum quidem diceres, ſed ijs te non haberes oppreſſum iaculis. Vt concludam, ſi peccare potuit dominus noſter Chriſtus, incidere potuit in laqueos Satanæ, eiuſque mancipium fieri; quodque dicebam, vt ſanctitas è diuina perſona deriuari poteſt in actionem, ita fœditas. Ecce quò nouitas ducat, quò ducat aptum ad carnem molinianum de gratia myſterium. Non ſic beatus pater Auguſtinus, non ſic. Vbi docuit peccatores eſſe ſub diabolo, ſubdit, *niſi eruantur inde per eum, qui non ob aliud eſt inter Deum & homines mediator, niſi quia ex hominibus non potuit eſſe peccator.* Sed ecquis patrum Eccleſiæ ſcripſit agnum Dei, qui venit, vt tolleret peccata mundi, peccatis inquinabilem? Vides, ſi videre vis, quantùm diſtet, haurias è fontibus, cœnoſis è lacunis haurias.

1. ad Bonifac. c. 18.

Sed, inquit Molina, etſi Chriſtus reipſa liber eſſet libertate contrarietatis, veréque peccare potuerit; aliunde tamen peccare non potuit; alioqui falsò præſciuiſſet Deus eum non eſſe peccaturum. Cauillatio certè vel mulierculis abſurda, quæ ſi valet, non potuit Iudas non vendere

Digitized by Google

Chriſtum, non potuit Pilatus non damnare Chriſtum patibulo. Et ne tergiuerſandi reſtet occaſio, ſi valet iſtud effugium, è bono nequiuit excidere beata virgo, nequiuit è gratia præuius Chriſti ſeruatoris nuncius. Verè tamen hi cadere potuerunt, potuerunt illi non committere. Quod ſi ita contigiſſet, nihil inde ſequeretur abſurdi, nihil quod naturæ repugnaret, nihil quod proprio cuiuſque ſtatui. Deus autem ita futurum eſſe non præſenſiſſet. At ſi peccauiſſet Chriſtus dominus, in eo non regnaſſet gratia, Satanam non viciſſet cuſtodia patris, è throno beatitudinis & gloriæ excidiſſet filius. Dilectus, inquam, & vnigenitus iſte filius veniſſet in poteſtatem Satanæ; verè malus eſſet Deus & peccator & Satanæ ſubjectus, veráque haberetur è diuina perſona fœditas. Quæ nefariæ ſunt impietates & execrandæ. Habuit quidem beatiſſima virgo ab efficaciſſima perſeuerandi gratia, quod omittebam, vt è bono non excideret. Sed regnantem in nobis gratiam reſpuit Molina. Regnantis in ſe diuinæ voluntatis deſpector eſt, & amator ſuæ.

Quod ſcribit idem ipſe Molina Chriſtum dominum in ſenſu diuiſo peccabilem & impeccabilem in ſenſu compoſito, ſuam aliis verbis præſcientiam dicit. Si nanque ſuo ſenſu diuiſo diceret peccabilem eſſe naturam Chriſti ſibi deſertam, nemo non aſſentiretur. Imò quæſtio nulla penitus eſſet. Sed naturam illam in diuinitate, vt in ſeipſa, vt in proprio ſuppoſito, peccabilem aſſerit. Quare ſuo ſenſu compoſito deificatam in Chriſto domino naturam non dicit. Sed neque dicere vult efficace Dei propoſito vel efficace Dei gratia factum eſſe Chriſtum impeccabilem. Ab hac enim totus auerſus eſt. Quare reſtat, vt Chriſtus abs eo dicatur impeccabilis, quòd peccaturus non eſſet, quòd præuidiſſet Deus eum non eſſe peccaturum. Quæ fictio ſi valet, impeccabilis eſt quiſquis non eſt peccaturus; & inſanabilis quiſquis rediturus non eſt è morbo. Quæ meræ ſunt ineptiæ. Sic enim confunduntur actus & potentia. Sed inſanabilis verè, quem videt Deus inſanabilem; & quem videt impeccabilem, is dubio procul impeccabilis.

Digitized by Google

Sed quid ad rem diuina præſenſio? Quod enim beatiſſima virgo, exempli gratia, non excideret è bono, cauſa non erat præſcientia. Hæc enim per ſe ſola nihil penitus operabatur in eius voluntate. Sed eius in voluntate, eius in mente regnabat efficax Dei propoſitum & gratia quauis occaſione victrix in omnibus. Hanc porrò gratiam aduerſus beatum patrem Auguſtinum incompoſſibilem eſſe cum libertate contendit magnis ſtipatus cateruis Molina, cum Pelagio, Luthero, Caluino & eorum aſſeclis.

Quòd denique ſcribit Molina Chriſtum eſſe capacem culpæ, vt doloris & triſtitiæ, inanem ſe ſophiſtam exhibet. Non enim dicet ſe ab eodem concludere. Alioqui veræ virtutis & ſceleris vnum eſſe fontem, vnam nobis è nobis originem aſſereret. Quod nefariæ hæreſeos pelagianæ caput eſt. Sed ſua ſint illi ſua quæcunque ſomnia. E quocunque ſophiſtices articulo concludat, è fonte celſiſſimæ virtutis, quo factus obediens ad mortem Chriſtus, mortem autem crucis, cõcludit in Chriſto fontem nequitiæ. Virtus quidem & vitium, non nego, contraria ſunt. Contrariorum autem eandem eſſe ſedem ſcribit Ariſtoteles, ſed ea vult excipi, quorum alterum ineſt à natura. Cæterùm impeccabilis eſſentiâ Deus, impeccabiles gratiâ beatæ mentes in cælis, impeccabilis gratiâ Chriſtus dominus & naturâ. Conceptus etenim eſt naturalis Dei filius, conceptus plenus gratiæ & veritatis. Hæc lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sanctorum animæ in cœlis ad hanc plenitudinem vacuæ ſunt & egenæ, ſcintillæ ſunt ad Solem iuſtitiæ comparatæ. Quicquid habet hîc militans & illic triumphans Eccleſia, id totum haurit è reſtagnante plenitudine ſui capitis Chriſti, qui clauem tenet vitæ & mortis, cui data poteſtas omnis in cœlo & in terra. Si tamen Molinæ credimus, labi nequeunt de cœlo ſtellæ, deficere nequeunt; labi poteſt & deficere Sol iuſtitiæ, è quo habent illæ quicquid lucis habent, quicquid habent ardoris.

Chriſti verba fuerunt in cruce, fateor, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Sed eorum ſententia,

Digitized by Google

vt aliorum de calice mortis, repetenda ſanctis è patribus. Ex illis autem nihil vſquam habebis, quod faciat ad opinionem Molinæ. Vocem deſperationis eſſe ſcribit Caluinus. Impietas ſæculis omnibus inaudita. Deſperaſſe Chriſtum dominum non dicit Molina, ſed, quæ magna certè cognatio, potuiſſe dicit, qui eiſdem è verbis concludit Chriſtum reipſa libertatem habuiſſe ad non facienda quæ facere tenebatur ex præcepto. Illis è vocibus infirmitatem animi concludere vult in Chriſto, quibus exterritus centurio glorificauit Deum dicens, *verè filius Dei erat iſte, verè iuſtus erat.* Fuerunt etenim illæ contentiſſimæ voces & ſupra modum extraordinariæ, non moribundi hominis & expirantis. Sed quid illis è verbis, *poteſtatem habeo ponendi* animam meam, *& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*, concludere vult Molina? Certè ſi quo auſu negationem illo è contextu beati Pauli, *ſecundum poteſtatem quam dominus mihi dedit in ædificationem & .... in deſtructionem, expunxit* Santarellus, huic impoſuiſſet Molina, legiſſetque, *poteſtatem habeo* non *ponendi* animam meam, res illi ſucceſſiſſet è voto. Hanc enim elicere vult è ſententiis affirmantibus Chriſti domini. Veluti dicerem, poteſt Deus diligere ſe, poteſt iuſtitiam diligere, poteſt igitur non diligere ſe, poteſt non diligere iuſtitiā: poſſunt beatę mentes diligere Deum; Deum itaque odiſſe poſſunt, poſſunt non diligere. Negationem expunctam voluit Santarellus, quò reges terræ doceret exauthorari poſſe: hic aſſutam aueret, quò concluderet regem gloriæ deturbari potuiſſe de throno ſuo. Certè liquet, quàm ſint dignæ chriſtiano homine, chriſtiano calamo dignæ propoſitiones iſtæ & earum neceſſariæ conſecutiones; potuit *reipſa* Chriſtus, *ſimpliciter* potuit, *integrum illi fuit & liberum conſentire & reſiſtere,* præcepta *non adimplere, tranſgredi præcepta, non facere quæ tenebatur* facere. Imò *neceſſarium illi fuit*, vt liberrimus eſſet libertate *contradictionis* & libertate *contrarietatis*. Quæ ſi vera ſunt, potuit itaque mentiri Chriſtus, fallere potuit, potuit odiſſe Deum & ſeruire Mammonæ; ſordes omnes admittere potuit, *quas cæteri patiun-*

Digitized by Google

tur. Quæ concedenda ſunt omnia, ne plenitudo gratiæ concedatur efficax in Chriſto ſeruatore, cuius ſcintillas nemo non aſſerat efficaces in beatis omnibus.

Cæterùm Deus ita dedit agnum ſuum immolandum, vt ſibi bene complacuerit in eo ſemper, eumque cuſtodierit vt pupillam oculi. Eundem viatorem eſſe voluit & comprehenſorem ſimul à primo ſuæ conceptionis articulo. Quo vtroque titulo tam apertè plenéque concluditur impeccabilis Chriſtus dominus ante mortem, quàm nunc in cælis, vbi ſedet ad dexteram Dei patris. Sed inde repetita concluſio metaphyſica non eſt, non eſt abſoluta. Solo nanque nutu Dei continetur, ordine ſolo continetur. Rato quidem ordine dicimus & indiſſolubili, ſed pro bona Dei voluntate. Peccare verò naturam in diuina perſona ſubſiſtentem, impoſſibile dicimus. Impoſſibilis etenim fœditas actionis è diuinitate; fœditas impoſſibilis in diuina perſona. Diuinæ humanæque naturæ Chriſti ſeruatoris non impoſſibile diuortium. Attamen hoc vno nodo continentur omnia: hoc angulari lapide conſiſtit ædificium.

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS

Concluditur è libertate beatarum mentium poſitam non eſſe libertatem in indifferentia.

LIBERTAS beatarum mentium, quod eſt quintum argumentum, maxima nobis eſt, &, vnicam poſt increatam, perfectiſſima. Ad hanc, qui ſit vltimus finis, aſpiramus omnes, ſi quem miſeriæ, ſi quem felicitatis ſenſum habemus, quem abſque dubio maximum habemus omnes. Quòd autem illæ liberæ ſint à neceſſitate, à peccato & à miſeria, vt è ſancto Bernardo retulimus, liberæ ſunt ab omni captiuitate. His omnibus, vbi primùm euectæ ſunt ad illum conſummationis apicem, tota diuinitas aperitur, aperiuntur omnes diuinitatis opes, & poſſidendæ conceduntur eo poſſeſſionis genere, quod maximum eſt & perfectiſſimum. Non iam in ænigmate, non in creaturis, non ſuis in ueſtigiis intelligitur Deus ab admiſſis in poſſeſſionem hæreditatis cum Chriſto ſeruatore filiis, ſed in ſe

planiſſimè cernitur facie ad faciem. Raptæ beatæ mentes hac infinita pulchritudine, quam nec exprimere verbo, nec aſſequi cogitatione poſſumus, non poſſunt non iudicare ſibi hærendum eſſe in ſummo cultu & amore tam vaſtæ, tam vbiuis cumulatæ pulchritudinis. Sic abſorbetur creata voluntas, totáque penitus effunditur in amorem, in cultum, in reuerentiam, in obſequium, in glorificationem tantæ, tam celſæ, tam eminentis & glorioſæ maieſtatis. Verſa ſiquidem illic in naturam charitate, ſe non reſpiciunt illæ mentes, non quæ ſua ſunt, niſi ſe ſuáque reſpiciunt in diuina voluntate, in qua clauſę ſunt omnes earum volũtates & velut obſignatæ. Nihil etenim è ſe volũt, quod è diuina voluntate non velint. Neque præceptorum illic & conſiliorum diſtinctio valet, vbi voluntas, vbi nutus alius à diuino nutu, à diuina voluntate ſit impoſſibilis; vbi conſummata ſempiternáque dilectio nullis vſquam impedienda modis. Nanque neceſſarius illic amor, cultus neceſſarius, neceſſaria reuerentia, obſequium neceſſarium, neceſſaria glorificatio. Quæ omnia mira ſuauitate & iucunditate beatis è mentibus effunduntur. Conſultationi locus illic nullus, nullus infirmitati, cunctatio nulla, nullum vſquam impedimentum. Sunt quibus hæ beatis in mentibus actiones, quòd neceſſariæ ſint, non ſunt liberæ. Sed eorum pace, niſi hæ liberæ ſunt, nullæ ſunt illis in beatis ſedibus liberæ. Nanque beatis in mẽtibus impoſſibilis diuiſio penitus vlla, vlla diſiunctio à diuina voluntate. Alioqui non eſſent omnino ſubjectæ diuinæ voluntati, non planè fieret diuina voluntas in cælo, non ſummum eſſet beatæ mentis erga Deum obſequium. Quod nihilominus vnum omnes precamur quotidie, ſi corde precamur, non ore duntaxat, cùm precamur fieri diuinam in nobis voluntatem, in cordibus noſtris, hac in terra, hoc in cinere, vt ſit in cælis. Neque iam actionum indifferentium fictio valet. Non enim indifferens, non ludicra, non otioſa vlla prorſus ex parte beata vita. Tota ſancta eſt, tota ſuo creatori deuota, neque cultu quouis, ſed officioſiſſimo & obſequentiſſimo. Se totum qui Deo ſacrum habet & de-

uotum, nihil in ſe videt Paulus, nihil ſuis in facultatibus & officiis indifferens, qui ſe totum ſuáque penitus omnia Deo per eſſentiam deberi videt. Indifferentia iudicij in eo nulla. Nullum obſcurum illi vel indifferens officium. Præſens etenim fixáque diuina voluntas, plenè regnat & dominatur in eius voluntate. Si quid ille vult, id ideo vult, quia diuinam voluntatem in ſe fieri vult. Se quidem amat ille, cæteraſque res bonas, quæ factæ ſint, omnes, ſed propter Deum, eóque & fine & modo quocunque vult Deus, non alio. Quod item oderit Deus, non poſſunt non odiſſe beatæ mentes. Vnica ſiquidem in cælis voluntas, vnicum indiuiſum in ſe regnum.

Sed, inquies, ſi neceſſarium & ſimplex eſt beatorum iudicium, & neceſſaria pariter actio voluntatis, nullus eſt indifferentiæ locus, nulla libertas. Otioſa certè cauillatio. Quaſi verò conſiſteret libertas in impedimento mentis & voluntatis. Sed hac de indifferentia noſtræ voluntatis, quę tota pendet ex infirmitate & ignorantia, iam antea ſatis. Tantum abeſt, vt quod nos his è laqueis expedit, libertatem imminuat, id eam expedit omnino & plenam efficit. Mentis etenim iam inexcogitabilis obex, inexcogitabilis obex voluntatis. Quare plena libertate, libertate perfecta, imò pleniſſima perfectiſſimáque Deum amant beatæ mentes & glorificant, quòdque ſaniſſimæ illæ ſint, vt cum Auguſtino rem abſoluam, & diuinæ voluntati ſubjectiſſimæ, liberrimæ ſunt. Non ideo merentur finem alium ſuperiorem. Suo nanque ſummo fine potiuntur; neque reſtant in via, quæ metam adeptæ ſunt. Neceſſitas, vti iam diximus, quæ propria ſit & rationalis & conſulta, quam nobis ipſi facimus, non pugnat cum libertate. Porrò beatæ mentes hanc ſibi ſuo iudicio faciunt, cùm illud ita figunt in bono, vt ipſum æternum eſſe velint & irreuocabile. Hoc autem non ideo vertere nequeunt, quòd liberæ non ſint, ſed quòd errare nequeant, nequeant peccare. Quæ ſumma ſui poteſtas eſt in illis, &, ſumma libertas. Sic enim ab infirmitate liberæ ſunt & à captiuitate. Quod denique certum & confeſſum eſt, fixo & irreuocabili iudicio non tolli-

Digitized by Google

tur libertas. Fixa nanque ſunt & irreuocabilia quæcunque fecit Deus, decreta omnia. Scio non eandem eſſe prorſus vtriuſque iudicij rationem. Nanque diuina mens non vincitur bonitate objectarum ſibi creaturarum, vincitur autem creata mens claritate diuinæ bonitatis, cùm iudicat Deum ſibi ſemper amandum eſſe & glorificandum.

Nobis è minutiſſima claritate demonſtrationum, quas aliquando colligimus è nobis, excuſſa mentis nubecula, iucundiſſimus & ſuauiſſimus eſt veritatis aſpectus, qui vel vnius eſt punctuli, ſi modò ſumma cum infimis comparare licet, & maxima cum minimis. Quinimo geometris inconſpecta puncti veritas, inconſpecta penitus eſſentia, conſpecta ſolùm eſt eius ab ambitu diſtantiæ paritas in circulo. Quantò maior eſt & excelſior clariſſimus & perfectiſſimus totius diuinæ veritatis aſpectus cultuſque certus in perpetuum? Somniare ne poteris impediri mentem, cùm diſcuſſa omni penitus caligine, aſpectu vno ſplendidiſſimo omnis planè veritatis clariſſima luce exſatiatur? Hanc ſi talem, qualis eſt, cernit abſque cunctatione, abſque boni prauique iudicij indifferentia, quod omnibus è vitiis exoluta ſit & expedita, liberam negabis, quæ hoc vno beneficio euadat & liberrima reſtet æternùm? Quòd ſi ſoluta mens eſt omnibus impedimentis, ecquæ voluntatis eſſe poſſunt impedimenta? Nulla, quod fatearis oportet, ſuperſunt, nulla ſupereſſe poſſunt. Ecquæ vis, amabò, ecquæ ſuiipſius authoritas, ecquæ ἀυτεξουσίωσις, qua neque deficias, neque deficere poſſis? Sic captiua beata mens, quæ regnet: ſic captiua, quæ de captiuitate déque omnibus eius cauſis glorioſiſſimè triumphet & ſecurriſſimè. Ergo-ne libera non eſt, quæ neque captiua ſit, neque captiua fieri poteſt? Vel ἀυτεξόυσιον profectò nullum eſt, vel hoc eſt maximum, ſe rectum ſemper habere, errantem habere non poſſe. Nanque deficere poſſe, infirmitatis eſt, non virtutis. Ergo-ne deperit in nobis, quod in nobis maximum eſt & optimum, propterea quòd euacuetur infirmitas, euacuetur imperfectio? Tantùm abeſt, quò perfectionis plùs eſt, imperfectionis minùs, eò plus veræ libertatis eſt. Quod ſi

nihil

Digitized by Google

nihil ſupereſt imperfectionis, tum illa cumulatur. Accedit & ſuauiſſimum iucundiſſimumque vtriuſque munus & mentis & voluntatis. Quæ vel authoribus philoſophis, virtutis conſummatio. Tum enim, inquiunt, impedimentum nullum eſt, atque ſuauiſſimus eſt actionis fluxus. Hic liberæ voluntatis finis eſt, hæc conſummatio, non extinctio. Si nanque virtus comparatur libera voluntate, eadem libera voluntate poſſidetur. Alioqui virtute proficeret voluntas, vt ſerua fieret, non libera. Quandoquidem igitur omnis in nobis indifferentia fœtus eſt infirmitatis & ignorantiæ, noſtra firmatur libertas, ſtabilitur & abſoluitur huius vtriuſque vitioſitatis euacuatione. In cælis autem, quæ certa fides, euacuatur quicquid eſt ex parte, vel, ſi mauis, quicquid noſtræ ſit imperfectionis. Illic quidem ipſi à ſeipſa iuſtitiæ ſeruiunt beatæ mentes, ſeruiunt ipſi à ſeipſa maieſtati, ſed hæc earum libertas eſt & felicitas. Seruire Deo hac libertate ſumma, hoc ſummo ſuiipſius dominio, verè regnare eſt, regna verè omnia veréque Regem regnorum & ſæculorum omnium poſſidere; poſſidere Deum, ipſam à ſeipſa gloriam & felicitatem poſſidere; non ſibi quidem, ſed ipſi à ſeipſa maieſtati, quæ ſola ſe ſuáque ſibi poſſidet omnia.

Ne quid autem prætereamus, quod ſpectet ad inſtitutum, ſemper intelligitur indifferentia quædam illis in mentibus, qua planè dirimuntur ab ijs omnibus cauſis, quæ negantur à neceſſitate liberæ, atque ab ipſa à ſeipſa beatiſſima libertate. Quanuis enim beatæ mentes Deum amant neceſſariò, quem oderunt neceſſariò perditæ, ſiquidem oderunt iuſtitiam, per ſe nihilominus creata voluntas indifferens eſt odiſſe Deum & amare, quatenus indifferens virtutis & vitij, ſapientiæ & ignorantiæ. Quæ ratio non eſt lapidis ad aſcenſum & deſcenſum. Is etenim ſemper è ſeipſo ſupponet ſe leuibus, non imponet. Exceptio quædam eſt appetitus. Fugere nanque poteſt canis, quod ſit inſecutus. Sed is abripitur ſenſu, iudicio non ducitur, non ratione. Quamobrem in illo libertatis vmbra quædam eſt, non vera libertas. Vt concludam, beatæ mentes poten-

Digitized by Google

tiſſimæ ſunt, miſeræ ſunt infirmiſſimæ, firmitatis particeps & infirmitatis verus hîc in Chriſto miles. Quare maxima feliciſſimáque beatarum mentium libertas; minima calamitoſiſſimáque miſerarum; media currentium, etſi libertas per ſe, quo titulo rationalis eſt & conſulta voluntas, neque plus habet, neque minùs. Sed & virtus & infirmitas, vtraque plus habet & minùs. Quare libertatem, vt creſcit, auget poteſtas; quam eandem, vt creſcit, imminuit infirmitas.

ARTICVLVS DECIMVSOCTAVVS

Concluditur è iudicio practico neceſsitatem, quæ conſulta ſit, non obeſſe libero.

VNVM ab vltimo iudicio supereſt argumentum. Sed quòd ſuperiore toto capite confectum eſt. Qualis etenim, qualiſcunque ſit in nobis indifferentia, noſtra voluntas addicta ſemper eſt vltimo iudicio. Quòd olim audiuiſſem libertatem non conſiſtere cum neceſſitate, illamque per ſe ſitam eſſe in indifferentia, nimis credulus, captuſque nouis, quæ tum vulgatæ forent, opinionibus, expertus attamen me nuſquam velle, niſi quod iudicarem melius, indifferentiam mentis potiorem eſſe duxeram, in eáque maximè ſitam eſſe libertatem. In eas etenim partes agitur noſter affectus omnis, in quas iudicio propendeamus. Sed quia libertas planè concordat cum neceſſitate rationali, docentque patres eccleſiæ & omnes magni nominis doctores libertatem eſſe voluntatem, ſiquidem libertas & voluntas vnica vis eſt & ſimplex, lubens aſſentior iis à quibus diſſentire non conceditur. Arbitrium itaque noſtro in interiore ſenatu, quod toties obſeruatum antea, mentis proprium eſt, & liberum voluntatis. Quæ duo diſiungere atque complecti, cuique promptum eſt. Vltimum autem iudicium dicimus, inter quod & conſenſum aliud nullum eſt intermedium. Nanque iudicium illud oportet eſſe præſens, non præteritum. Si nanque iudicium præteritum eſt, iam non extat. Sed ignoti nulla voluntas. Voluntatis au-

Digitized by Google

tem neque longa, neque breuis memoria. Quare ſolo iudicio præſenti mouetur, non præterito, niſi præteritum dicis iteratum. Sed hoc iam præſens alterum iudicium eſt, non præteritum. Cæterùm hoc practicum eſt. Quocirca re conſultatiuum eſt, vel virtute duntaxat. Sed vt argumentatio ſyllogiſmus eſt vel ſophiſma, ita conſilium prudens eſt vel imprudens. Quare vt argumentatio ſimul non eſt ſyllogiſmus & ſophiſma, ita neque conſilium ſimul prudens eſt & imprudens. Vt enim argumentatio lege contradictionis comprehenſa verè ſyllogiſmus eſt, alioqui ſophiſma: ita collimans ad medium conſilium prudens eſt, & imprudens aberrans à medio. Tertium impoſſibile. Quòd ſi conſilium prudens eſt, prudens eſt ex eo iudicium: alioquin imprudens iudicium, ſi conſilium imprudens.

Poſito denique prudenti iudicio, ſi voluntas reſtat indifferens, vnum his è tribus neceſſariò conſequitur. Vel enim conſentit voluntas, vel diſſentit, vel ſuſpenſa ſe concludit. Quartum inimaginabile, ſiquidem ignoti nolitio nulla, nulla volitio. Quòd ſi conſentit voluntas, bene habet. Iuſtus etenim eſt & rationalis è prudenti iudicio conſenſus. Sin illa diſſentit, prudenter vnà viuitur & iniuſtè. Quòd complexum contra naturam impoſſibile. Liquet è ſuperiore capite. Sed neque liber eſſet fictus iſte diſſenſus. Nanque libertas rationalis eſt & conſulta. Alioquin impetus irrationalis eſt & inconſultus, non libertas. Deinde vera libertas in nobis verè dominium eſt. Omne porrò dominium rationale. Sed iſte diſſenſus non eſt rationalis, è nullo ſiquidem iudicio procedit. Neque res obſcura. Quòd etenim oſtenſum eſt, & cuiuis è ſeipſo luce clarius, vnicum extat iudicium. Illud autem prudens. Itaque nullo è iudicio procedit iſte diſſenſus. Quod cùm ita ſit, eius ratio nulla reddi poteſt. Sed neque ſuſpenſam hac è lege voluntas habere ſe poteſt vſu libertatis. Nullum etenim hac de ſuſpenſione conſilium, nullum planè iudicium. Quare nequit eſſe hæc ſuſpenſio, vt nequit eſſe ſuperior ille diſſenſus. Ignoti nanque nulla voluntas. Tum autem, quæ hypotheſis eſt, neque diſſentiendi iudicium extat, neque ſuſ-

Digitized by Google

pendendæ voluntatis. Sed neque, vti iam de diſſenſu concluſum eſt, libera foret iſta diſſenſio, ſi vel per abſurdum extaret. Non enim rationalis eſſet & conſulta. Sed liberum, quod in nobis verè dominium eſt, oportet eſſe rationale, non modo quouis, ſed ita rationale, vt eo ſit è iudicio, quod mereatur nomen iudicij. Hanc enim ob cauſam, quæ probata ſit omnibus, vera libertas infantium, dementium, vino captorum, dormientium, & eorum abſolutè omnium, qui mente capti ſint, nulla. Imò nec eius vlla, qui ſit rationis compos, ſi fortè non operatur, vt rationis compos. Hi ſiquidem omnes aguntur neceſſitate, ratione non aguntur, vel ſi ratione quadam aguntur, non plena, non matura ſatis, non illa, vt verbo dicam, quæ dominium expleat, quæ liberum. Quòd autem omne liberum in nobis, omne dominium rationale ſit, eius nobis reddenda ratio, vt de verbo quouis, etiam otioſo. Imò fæditas oris nulla, niſi è fætore cordis. Quare voluntatem oportet addictam eſſe iudicio.

Neque libertati obeſſe poteſt hæc neceſſitas, ſi modò neceſſitas dici poteſt. Alioqui ſua cuique rei natura obeſſet, obeſſet eſſentia. Non enim aliter attinet ad eſſentiam hominis, quòd rationalis ſit, quàm ad eſſentiam libertatis. Neque dubitationi locus eſt, vbi ſumma conſenſio, vbi plena apertáque ratio. Libertatem enim rationalem eſſe oportet. Alioqui nullam nos rationem haberemus noſtræ voluntatis; nullam reddere poſſemus. Quæ libertatis euerſio. Neque refert, ſi ratio ſit adiuncta voluntati, non incluſa voluntate. Tam enim conditio, quæ ſit abſolutæ neceſſitatis, vſu populari ſpectat ad eſſentiam, quàm eſſentiæ pars. Sic habet in nobis nexus corporis & animæ. Vt enim impoſſibilis homo abſque complexu partium, ſic impoſſibilis libertas non rationalis. Quare naturalis eſt hæc neceſſitas, naturalis conſequens è iudicio conſenſus. Neceſſitas autem naturalis, inquit beatus Thomas, non impedit libertatem voluntatis.

Oper. de grat. & lib. arb. Sed, inquies, authore ſancto Bernardo, multa facit voluntas contra rationem. Verè, inquam, ſed, quod addit

Digitized by Google

ille, miniſterio rationis. Nanque ratio abſolutè nobis eſt recta ratio, rectum rationis conſilium. Quo nomine data ratio nobis eſt & præfecta voluntati, qua nos inſtruamus & illam, non deſtruamus; qua rectam ducamus, non faciamus deuiam. Attamen, inquit Bernardus, filij huius ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua. Quod nos docet Chriſtus dominus exemplo peraſtuti cuiuſdam villici. Quòd autem hi callidi ſint & aſtuti, non ſapientes verè, non verè prudentes, voluntatem perdunt rationis opera, & ſeipſos rationemque ſuam. Sic prauo rationis vſu contra rationem inſaniunt veræ rationis inopes. Quòd enim aſtutus hoc ipſo nomine ſemper aſtutè iudicet, ideóque malè, mala ſemper eius è iudicio prauáque voluntas, vt voluntas è iudicio prudentis hoc alio nomine bona ſemper eſt & recta. Quam propter cauſam bene concluſi voluntatem in nobis concordem eſſe ſemper cum ratione, nuſquam ab ea diſcordem, ideóque quales iudicio ſimus, tales eſſe nos voluntate.

ARTICVLVS DECIMVSNONVS

Num libera vtraque diuina proceſſio, vel ſaltem alterutra.

VNA ſummis de rebus quæſtio ſoluenda nobis eſt. Num ſcilicet vtraque diuina proceſſio libera ſit, nec-ne. Quod autem certum, vtraque titulo quouis abſolutè neceſſaria. Longè ſiquidem alia neceſſitas vtriuſque, quàm noſtræ voluntatis è iudicio practico, vel dilectionis in beatis mentibus è clarè viſa diuinitate. Quicquid enim factum eſt, potuit non eſſe factum. Deinde, poſito quocunque iudicio, Deus abſolutè poteſt impedire voluntatem. Sed vtriuſque diuinæ proceſſionis nòmine quouis & titulo abſoluta neceſſitas eſt. Tam enim eſt impoſſibile non eſſe myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, quàm non eſſe Deum. Quare Trinitatis & diuinitatis par vnáque neceſſitas. Quæ cùm ita ſint, neque vllus hic indifferentiæ locus eſt, neque conſiliis.

Digitized by Google

Sed vtrique proceſſioni, quod nobis fide certum, ſuæ ſunt rationes propriæ. Nanque filius è ſolo patre procedit, Spiritusſanctus ab vtroque. Proceſſio filij generatio eſt, proceſſio Spiritusſancti abſolutè proceſſio, non generatio. Diuinæ mentis in patre veluti terminus eſt Filius, & diuinæ voluntatis in Spiratore Spiritusſanctus. Vna proceſſionum origine prior non eſt altera vel poſterior. Neutra ſiquidem oritur ab altera. Sed proceſſio filij ratione prior eſt proceſſione Spiritusſancti. Nanque Spiritusſanctus è PatreFilióque procedit. Tempore verò vel natura prius in diuinis aut poſterius nihil eſt. Omnia ſiquidem illic æterna ſunt & increata. Nihil itaque, quod diuinum ſit, cauſam habet. Verè tamen oritur filius è patre, & ab vtróque Spiritusſanctus. Quare pater principium eſt filij, & ſpirator Spiritusſancti. Principium etenim eſt, vnde origo alterius. Quocirca pater origine prior eſt filio, & Spirator Spirituſancto. Sed relata ſimul ſunt natura & cognitione. Quamobrem ratione prior non eſt filio pater, neque Spirator Spirituſancto. Sicut enim Pater & filius verè relata ſunt, ita Spirator & Spiritusſanctus. Sed vt proceſſio Filij ratione prior eſt proceſſione Spiritusſancti, ita Pater & Filius, vterque Spirituſancto; non quidem, vti iam obſeruatum eſt, Spiratoris titulo, ſed Patris & Filij. Porrò diuinitas tribus in perſonis vnica, ſingularis & indiuidua penitus. Verè tamen diſtinctæ ſunt inuicem. Imò maxima vel potiùs infinita illarum inuicem diſtinctio. Siquidem infinita ſunt in diuinis omnia. Sed relationibus differunt inuicem diuinæ tres perſonæ, natura non differunt. Relationibus increatis dico, non factis. Quicquid autem increatum eſt, ſi modò ſit ens, infinitum illud eſt & optimum. Optimæ ſunt igitur & infinitæ tres illæ perſonæ.

Sed nec originibus illis vllum vſquam eſt vel eſſe poteſt impedimentũ. Quamobrẽ ambæ ſpõtaneæ maximè ſunt, iucundæque maximè. Quo vtroque titulo liberrimæ ſunt. Si nanque diuinus Pater ſibi bene complacet in ſuo charactere, in dilecto filio ſuo, vterque iure eodem ſibi complacet in ſuo chariſmate, in ſpiritu ſuo. Sed vbi voluntas, in-

Digitized by Google

quiunt patres & doctores Eccleſiæ, quos antea retulimus, ibi libertas. Quandoquidem igitur proceſſio Spiritusſancti voluntaria penitus eſt, neque voluntaria modo quouis, ſed perfectiſſimo quóque, præciſa omni prorſus & voluntatis & proceſſionis imperfectione, certè nomine quouis & titulo liberrima eſt. Alia quædam eſt ratio diuinæ generationis. Hæc enim neque voluntaria præciſè, neque vllo planè modo conſequens vllius voluntatis. Quare hoc titulo libera non eſt. Quia tamen in diuinis verè ſunt omnia ſimul, ſimulque ſemper omnia, coæternæ ſunt Generatio & Proceſſio, vt coæternæ diuina mens & diuina voluntas. Quo itaque titulo generatio diuina liberrima proceſſio eſt & ſuauiſſima, probatáque maximè & dilecta Patri, mihi libera eſt, etſi plenè libera non eſt, quatenus præciſè mentis actus eſt, non voluntatis. Patris dicentis dico, non volentis.

Ne quos autem impediant altercationes grammaticæ, liberum, quod Græcis eſt τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ κύριον, τὸ αὐτεξούσιον, vulgò dicimus quod in nobis ſitum eſt, quod ſui compos, quod potens ſui, & abſolutè dominium. Sed vt actio quæ nobis eſt libera, vera actio eſt vel veluti actio, ita liberum verum dominium eſt vel veluti dominium. Suæ nanque ſuiipſius dilectionis exempli gratia, verè dominus non eſt Deus, vti iam obſeruatum eſt, neque Spirator ſuæ diuinæ proceſſionis. Sed Deus verè dominus eſt ſuæ cuiuſuis operæ, & ſui cuiuſlibet operis. Liberum itaque dominium abſolutè cùm dicimus, voluntatem dicimus ſui potentem, quæ quò ſapientior eſt & potentior, eò liberior eſt. Sic odium mendacij in Deo dicimus odium ſapientiſſimæ voluntatis & potentiſſimæ, ideóque liberrimæ.

ARTICVLVS VIGESIMVS

Oſtenditur noſtram de libertate ſententiam planè conſentaneam eſſe doctrinæ ſanctæ Synodi Tridentinæ.

SED, inquies, ſi Deus operatur in nobis velle & perficere, veréque dominetur in vtroque, penes nos non

eſt non conſentire, non operari. Verè nihilominus contrarium docet ſancta Synodus Tridentina, cuius hic canon quartus eſt de iuſtificatione. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ſe* diſponat ac præparet *ad obtinendam iuſtificationis gratiam, neque poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*. Sic, inquam, canonem hunc obtruncant Moliniſtæ, quæ mera cauillatio eſt, vt vibratum in Lutheranos Eccleſiæ telum, intorqueant in victricem Chriſti ſeruatoris gratiam, inque celebriores patres & doctores Eccleſiæ, qui de gratia cum beato patre Auguſtino magna apertáque conſenſione ſcripſerunt. His itaque verbis habetur reſidua pars canonis aduerſatiua. *Sed velut* inanime *quoddam nihil* omnino agere, *meréque* paſſiuè *ſe habere, anathema ſit*. Sic iacet canon, cui toti planè conſonant, quæ, occaſione facta, de victrice Dei gratia diximus. *Cooperari* nanque nos & *eligere*, cùm aſſentimur gratiæ vocanti, planiſſimè docuimus & euicimus aduerſus Caluinum. Negamus itaque noſtrum liberum arbitrium, quod inſibilaret Lutherus, ſe tum habere velut inanime quoddam, nihil omnino agere, meréque paſſiuè habere ſe. Imò noſtro tum arbitrio, noſtræque voluntati ſuæ actionis *dominium* conceſſimus, eamque contendimus conſentire *liberè, liberè* cooperari, eóque *liberius*, quò ſanior illa ſit, ſaniorem autem eſſe, quò ſit diuinæ gratiæ ſubjectior. Sed cum ſanctis patribus Eccleſiæ, cumque præcipuis theologorum luminibus Deo primas attribuimus hoc in myſterio: nobis autem, noſtræ voluntati, noſtro libero arbitrio ſecundas. Quod concedendum nobis eſt, niſi velimus fieri noſtram in nobis voluntatem, eamque regnare in nobis, cùm agimur & ducimur à Spirituſancto; non regnare Deum, non fieri eius in nobis voluntatem. Quod ſacro contextui planè contrarium eſt. Imò non modò docet Apoſtolus Deum in nobis operari velle & perficere, non modò neque volentis eſſe, neque currentis, ſed abſolutè ſcribit, ſe non operari, ſpiritum eſſe ſanctum qui pro nobis oret gemitibus inenarrabilibus. Quæ omnia veram

ſententiam

Digitized by Google

ſententiam habere nequeunt, niſi primas hoc in myſterio totáque in iuſtificatione noſtra & vita in Chriſto ſeruatore proprio eius ſpiritui concedimus. Quaſi verò ſibi primas attribueret palmes, & viti ſecundas.

Duobus autem hiſce vocabulis, *poſſe diſſentire ſi velit,* ſibi palpant, qui cum pelagianis & eorum reliquiis efficacem Chriſti ſeruatoris gratiam repudiant. Sed imprimis ab iis ſcire vellem, qua-nam authoritate anathema pronuntiare audeant è diſſuto canone, & è diuulſa eius altera parte? Truncari leges vetat legiſlator, vetat è truncatis legibus ferri ſententiam prætor.

Quod vt prætercam, Molinæ placet doctrinam de victrice Chriſti gratia hoc canone pronunciatam eſſe hæreticam. Data nanque hac gratia, inquit, nulla nobis eſt aſſentiendi libertas, nulla diſſentiendi. Vtque verbis & ſententiis cum Luthero ſapere videatur, pronunciat libertatem *rem eſſe ſine titulo, imò titulum ſine re;* neque nobis *aliam eſſe libertatem,* quàm *lapidibus,* quos manu proieceris. Vt enim libertate *sua* mouentur, non *ſua;* ita nos libertate Dei mouemur, ſi nos vocat efficaciter, non noſtra. Quocirca neque conſentire noſtræ poteſtatis eſt, neque diſſentire. Quod cùm ita ſit, opinio de gratia Dei victrice *manifeſtus error eſt in fide.* Sic cum eo ſentiunt moliniſtæ. Puros ego moliniſtas dico, quibus libertas incompoſſibilis eſt cum victrice Dei gratia, qui meo iudicio pauci ſunt admodum, iique tanti nominis inter eruditos, vt ſi quis eos fortè laudare velit in ſcholis theologorum, is tanquam ridiculus & abſurdus explodatur. Neque probandum aſſumo nouitatem eſſe Molinæ propriam, proprium eius de gratia commentum. Is enim ipſe toties ea de re gloriatur, vt inſultet Auguſtino, eumque cum cæteris omnibus incuſet ignorantiæ, quod ſua myſteria neſciuerint. Si fas eſt credere, ſi Molinæ certa fides eſt, doctrinam Chriſti ſeruatoris & diſcipulorum eius Eccleſiæ creditam & mirabili ſucceſſu eius alumnis omnibus explanatam à beato patre Auguſtino, quæque tum vigeret, cùm ille canon editus eſt, pronunciatam eſſe hæreticam aſſentiemur, vt quæ

Digitized by Google

nondum edita foret Molinæ de gratia Chriſti fabula, ſancta, canonicáque ſanciretur. Sic præuiſos habebat afflatus molinianos ſancta ſynodus, & verſam iri ad calcem currentis tum ſæculi gratiæ conditionem.

Sed vt res expleatur, obſeruanda primùm eſt tota de libero arbitrio & gratia vocante Lutheri commentatio. Illi ſi credimus, primo ſcelere noſtro *amiſſum* in nobis eſt & *extinctum* liberum arbitrium. Quancunque moueatur in partem, agitur tanquam *inanime* quid, ſéque habet *merè paßiuè* veluti calamum diceres in manu ſcriptoris. Excitanti nos Deo atque vocanti nihil *cooperamur*, neque *poſſumus* non conſentire, *etianſi velimus*. Neque viæ rectæ *noſtræ* ſunt *poteſtatis*, neque malæ. Quamobrem neque bonæ voluntatis, neque malæ nobis *vlla libertas* eſt, vlla planè *poteſtas*. Quicquid nobis videmur vſu noſtræ voluntatis operari, id totum *verè propriéque* Deus vnus operatur. *Conuerſio* Pauli non aliter eſt opera Dei propria, quam *proditio* Iudæ. Alia de libertate déque bonis operibus & malis non eſt ſententia Caluini. Hoc vnum vtriuſque diſcrimen eſt, quòd liberum arbitrium non dicat Caluinus moueri tanquam inanime quid, neque neget illud cooperari.

Hos errores ſuis anathematis percutit ſancta Synodus Tridentina, noſque docet primo noſtris in primis parentibus ſcelere noſtro, ſecundum corpus & animam verſos in deterius, ſed negat amiſſum penitus hominis arbitrium & extinctum. Noſtræ poteſtatis eſſe malas vias noſtras aſſerit, aſſerit nobis proprium eſſe peccatum. Docet nos ita cooperari Deo excitanti nos & vocanti, vt poſſimus diſſentire, ſi velimus. Qua tota de re diſſenſio nulla eſt inter alumnos matris Eccleſiæ. Soli moliniſtæ quæſtionem mouent his de verbis non *poſſe diſſentire nos, ſi velimus*. Sed eorum pace, quod apertum fiet, gratiam efficacem, quæ ſola ferme audiretur eo ſæculo, illis verbis damnare nequidem cogitauit ſancta Synodus; ſed, quod vnum erat eius propoſitum, anathemate percuſſit, eóque promerito, opinionem Lutheri, qui ſcripſerat *non poſſe nos non conſentire Deo vocanti nos, etianſi nolimus*, quo quidem figmento abſurdius

dici nihil poteſt. Nanque nolle conſentire, vt velle diſſentire, aliud verè nihil eſt quàm diſſentire. Quare nolle conſentire & conſentire aperta contradictio eſt. Eſt enim conſentire ſimul & diſſentire. Molinæ quidem velle diſſentire non eſt diſſentire, quæ fortaſſis erat ignorantia Lutheri. Sed nihil ad nos. Nanque velle quæ quis velit, eſt conſentire: vt diſſentire eſt nolle, quod quis velit. Sed, inquies, ſi res ita habet, illorum verborum ſententia, *non poſſe diſſentire, ſi velit*, eadem eſt quæ horum, *non poſſe diſſentire, ſi diſſentiat*. Quæ locutio videtur indigna concilio. Indigna quam concilium probet, fateor; quam feriat anathemate, nego. Lutheri nãque propria fuit. Sed, inquies, conſentire poſſumus Deo vocanti nos & diſſentire ſimul. Vt enim volens & nollens ſuas opes proijcit mercator, ita volentes nolentes ſequimur quoties Deus compellit rebelles voluntates noſtras. Quare verborum Lutheri apta quædam eſſe poteſt veráque ſententia. Verè quidem, ſi per ſe ſpectentur & ſeorſim: non verò ſi referantur ad Lutherum, qui nullam penitus in nobis libertatem eſſe velit. Eius etenim iudicio neque conſenſus noſter eſt, neque diſſenſus; neque malum liberum nobis eſt, neque bonum. Cùm autem conſentire hîc dicimus, eam dicimus volitionem, quæ nolitionem vincat, qualis in mercatore quem vincit formido mortis imminentis.

Verum, inquies, ſi res ita habet, cur ſancta ſynodus eam non expreſſit planiſſimè? cur non dixit, *non poſſe diſſentire, ſi diſſentiat*. Voluit, inquam, lutheranam hæreſim damnare conceptis verbis, verbis eius proprijs. Deinde ſiue Lutheri, ſiue Molinæ, ſeu vtriuſque craſſiſſimus is error eſt, nimirum velle diſſentire ſeu nolle conſentire non eſſe diſſentire, illæ non erant tenebræ ſanctiſſimæ Synodi. Sed, inquies, notanda potiùs erat hæc propoſitio repugnantiæ & ſtultitiæ, quàm anathemate ferienda. Pace tua, inquam. Imprimis enim hanc vnicam non ferit anathemate ſancta ſynodus, ſed has inſuper *nos non cooperari Deo vocanti*, &, moueri nos *tanquam inanime quid & pati duntaxat, non agere*. Deinde verè non cadit anathema in hæc vocabula, *ſi*

Digitized by Google

velit,ſed in totum ſententiæ complexum, maximè verò in hanc eius partem, *non poſſe*, vt declaret ſancta ſynodus *poſſe* nos diſſentire Deo, ſi diſſentiamus, huncque diſſenſum, qui pro certo malus eſt, noſtræ poteſtatis eſſe, cùm è contrario Lutherus aſſerat noſtrum non eſſe diſſenſum hunc, *noſtra non eſſe poteſtatis*. Nullum, inquam, omnino velle noſtræ poteſtatis eſſe, nullum omnino nolle. Seu enim bona eſt actio ſeu mala, hæc, authore Luthero, verè noſtra non eſt, ſed *verè propriéque* ſolius eſt Dei mouentis nos intrinſecus & agentis pro nutu ſuo vtranuis in partem. Nihil autem tam impium & ſacrilegum dici poteſt, quàm dicere peccatum Dei proprium eſſe, non noſtrum; noſtras eius gratiæ repugnantias noſtraſque rebelliones Dei proprias eſſe, non eſſe noſtras. Quaſi nos diſtraheret ille diuelleretque dextrorſum ſimul & ſiniſtrorſum contrarias in partes, haſque pugnas ſolus exerceret in nobis Deus, hos conflictus ipſe ſolus ederet, non nos è nobis diuinæ eius gratiæ reſiſteremus.

Suadenti verò conſentire, nihil aliud eſſe quàm velle quæ velit; & nihil aliud diſſentire quàm nolle quæ velit, iam antea concluſum eſt. Hoc autem eſt, quod vult ſancta ſynodus aduerſus Lutherum, conſentire & diſſentire ſeu velle & nolle *noſtrum* eſſe, *noſtræ poteſtatis* eſſe. Et quidem vbi nos vocat Deus & perſuadet nos, operatur in nobis conſenſum, quòd operetur in nobis ſanctum velle ſuum. Sic illa cum beato patre Auguſtino, cuius & verba & ſententias hoc in myſterio præſertim vſurparit. Quid enim damnare vult ſancta ſynodus? Certè Lutheranam hæreſim. Quid autem volebat Lutherus? Id ipſe volebat neque bonam vitam, neque malam, quæ vtraque continetur voluntate, ſeu his actionibus velle & nolle, *noſtræ poteſtatis eſſe*; vtrunque ſolius eſſe diuinæ poteſtatis, nullo modo noſtræ. Quid denique vult ſancta ſynodus? vult illa cooperari nos Deo vocanti, velle, porrò & nolle noſtræ poteſtatis eſſe. Quod enim bene Lutherus ediderit, id non damnat ſancta ſynodus, ſed quod malè. Porrò volebat ille velle nos & nolle, conſentire nos & diſſentire; ſed hæc poſſe nos negabat,

negabat noſtræ poteſtatis eſſe, eſſe noſtræ libertatis. Quaſi diceres, id autem verè diceres aptéque, radium texere; ſed texendi poteſtatem propriam eſſe textoris, non eſſe radij propriam. Sic de velle noſtro Lutherus, ſic de nolle noſtro. Id autem eſt, quod anathemate ſuo percutit ſancta ſynodus. Neque hic quid ſinguli quique doctores inter res diſceptandas ſentirent, quæritur; ſed quid ore patrum edixerit Spiritus ſanctus & ſanciuerit. Sic autem ille nos edocuit ore ſanctæ ſuæ ſynodi aduerſus Lutherum, quod olim aduerſus Pelagium docuerat beatus pater Auguſtinus. Huic enim magis nihil eſt noſtræ poteſtatis quàm velle & nolle, cui hæc duo nequeunt non eſſe noſtræ poteſtatis. Sic autem ille. *Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet* in noſtra poteſtate. *Porrò quia eſt* in poteſtate, *libera nobis eſt. Non enim eſt nobis liberũ, quod* in poteſtate *non habemus, aut poteſt nõ eſſe, quod habemus. Nec aliud quicquam eſt* in poteſtate, *niſi quod* volentibus adeſt. *Rectè poſſumus dicere, non voluntate morimur, ſed neceſſitate. Non autem voluntate volumus, quis vel delirus audeat dicere? Cùm quærerem*, ſic Euodium alloquitur, *vtrum inuitus beatus ſis futurus, reſpondiſti quòd iam eſſes beatus*, ſi poteſtas eſſet in te. *Velle enim, ſed nondum poſſe dixiſti. Vbi ego ſubieci, de te clamaſſe veritatem. Non enim negare poſſumus* habere nos poteſtatem, *niſi cùm nobis quòd volumus*, deeſt. *Dum autem volumus*, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, *non vtique volumus. Quòd ſi fieri non poteſt, vt dum volumus, non velimus, adeſt vtique voluntas volentibus.* Lib. 3. de lib. arbitr. c. 3.

Sic concordat doctrina beati patris Auguſtini cum Eccleſiæ doctrina. Certè quod videre poteſt, quiſquis videre velit, non gutta guttæ ſimilior, quàm doctrina ſanctæ ſynodi tridentinæ & beati patris Auguſtini de libertate & gratia. Ad hunc ſolis aſpectum diſſipantur hæreſes omnes, omnes quibus ſancta veritas impediatur, tenebræ. Ad hanc lucem comparatæ lutheranæ ſordes, vt pelagianæ, cum affinibus confeſtim euaneſcunt. Verè quidem tota molinianã moles conſtructa eſt ignoratione veræ propoſiti canonis ſententiæ, ſed conſtructa ſuper arenam domus ſua mole concidit. Agitatæ olim Eccleſiæ Pelagianorum & Maſſi-

Digitized by Google

lienſium ſibilis præfectum ſingularem nauarchum, non perfidum qui ſibi; ſed fidelem qui ſtuderet id vnum, vt domino ſeruiret; non imperitum, ſed qui regendæ nauis nihil ignoraret, nullas non præuideret tempeſtates, deiectum voluit Molina, qui ſe datum præcipitem habet à ſeipſo, ſuiſque fluctibus obrutum. Seu nanque libertatem indifferentiæ dicis, ſeu conſtantiæ libertatem & firmitatis, omne velle, omne nolle, quod conſultum ſit, velint nolint Lutherus, Caluinus, Molina, Pelagius, quod nos cum beato patre Auguſtino docet ſancta ſynodus, *noſtræ poteſtatis eſt;* noſtræ quidem & diuinæ, ſi bonum; ſin malum, noſtræ duntaxat, non diuinæ. Non enim dicit ſancta ſynodus vocatum à Deo indifferentem eſſe qui velit & nolit, vt Molinæ placet, ſed qui *poſſit*, ſi velit, ſeu cuius *in poteſtate ſit* & velle & nolle, quoties alterutrum adeſt vel etiam vtrunque, quocunque demum modo vel vtrunque vel alterutrum adeſt.

Sed, miſſis iam illis beati patris Auguſtini partibus aduerſis, rem inſpiciamus è ſeipſa & ſingulis è capitibus referamus, vt liqueat quot nos modis Deo vocanti reſiſtere poſſimus & ab eo diſſentire. Primùm itaque ſi ſuas per leges ſuoſque per miniſtros vocet nos Deus & excitet, quod nemo negare poteſt, diſſentire poſſumus. Non enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui dat incrementum, Deus.

Secundò, nos per ſe ſi vocat Deus & aſpergit ſuo lumine, neque tamen perſuadet nos, verè reſiſtimus. Alioqui vellemus, curreremus; vno verbo, aſſentiremur vocanti Deo, neque tamen perſuaderemur. Quod eſt abſurdum.

Tertiò, ſi nos ita vocet Deus & excitet, vt perſuadeamur, certè volumus. Aſſentiri nanque nos vocanti, neque tamen velle nos quæ velit, poſſibile non eſt. Quare tum operatur Deus in nobis & cogitare & velle. Verùm ſi parua ſit hæc voluntas, hæc perſuaſio parua, qualis erat in Petro cùm ſe non negaturum eſſe Chriſtum dominum conteſtatus eſt, diſſentire poſſumus, maiore ſuborta rebellione. Ita ſe viciſſim vincunt in nobis & æquilibres faciunt, quæ ſunt è nobis, volitio & nolitio.

Digitized by Google

Denique ſi nos ita vocet Deus & perſuadeat, vt magnam innobis voluntatem operetur, qualis erat in Petro, quo die gaudens exiuit è ſynagoga cæſus, quòd dignus habitus eſſet pro nomine Ieſu contumeliam pati, tum planè aſſentimur, neque diſſentimus, ſaltem vſu populari.

Vſu populari dico. Quod enim certum eſt, huic vltimæ vocationi reſiſtere poſſumus tribus modis. Primò nanque victrix in nobis eſt hæc gratia. Quare vincit nos. Nos itaque rebellantes vincit. Alioqui nihil vinceret. Quod ſi ſic haberet, plena perfectáque foret his in terris noſtra libertas, qualis illa beatorum in cœlis. Iucundiſſima foret igitur & ſuauiſſima, nec vllis impedita repugnantiis. Quæ non eſt huius vitæ conditio. Quare reſiſtimus diuino cuique auxilio, cuique vocationi diuinæ. Quia tamen illa præualet, vincimur.

Secundò, vocationem hanc ſi reputemus è ſeipſa & comparemus cum ſummis infirmitatibus noſtris, nulla penitus eſt, niſi quæ ſit extraordinaria, qualis illa Pauli, quam vincere non poſſimus, ſuborta maiore rebellione, exurentibus nos Satanæ telis ardentioribus. Sed quæ Dei benignitas eſt, quoties vincere vult, non ſinit nos tentari ſupra vires noſtras, etſi tentari ſinit nos ad certos vſque fines, vt cum eius gratia prouentum faciat tentatio.

Denique vel maximæ cuiuis diuinæ vocationi, quod nemo negare poteſt, abſolutè reſiſtere poſſumus è nobis in ſenſu diuiſo. Quod è facta quæſtione totum ita refero. Cùm enim totus ille canon ſit de diſpoſitione & præparatione ad obtinendam iuſtificationis gratiam, audire cuperem ab impugnatoribus victricis Dei gratiæ, ecquæ ſit hæc præparatio, ecquæ tota neceſſariáque diſpoſitio? ecquod eorum iudicio aptum tempus & idoneum pænitentiæ? ecquibus ex partibus conſtet? Num intelligant vocanti nos Deo cui aſſentiamur, nos ſemper è veſtigio iuſtificatos? Non ita ſe, credo, præbebunt ignaros, qui contendant id velle ſe; & quanuis id ſe velle contenderent, ſe deſertos haberent & abſurdos. Quid enim ſi Deus ſua vocatione cui nos aſſentiamur, nos adhuc mortuos auertit à commit-

Digitized by Google

tendis nouis flagitiis, & ſaluos habet à pleno præcipitio? Quid, ſi nos ad eleemoſynas, lachrymas, ieiunia, preces, aliaque vel ſingula, vel pleráque vel omnia pœnitentiæ munera vocet? Quid, ſi ad ſui timorem, timorem Gehennæ, horrorem ſcelerum, totque fœditatum quibus inquinemur, odium quoddam, vti ſenſim reſipiſcamus, faciamuſque fructus dignos pœnitentiæ? Quid, ſi Deus nos probare velit his exercitiis per hebdomadam, menſem aliud-ve tempus; ſicque domum vniuerſam priùs luſtrare ſenſim & verrere, quàm in ea inhabitet? Quid iam, ſi per illud tempus quædam ſint huiuſce vocationis, quæ gratia actus eſt, interualla? Quid, ſi hæc per interualla redit, ſemper autem ſe nobis offert, occaſio peccandi? Nonne tum liberum nobis eſt vertere propoſitum, & cæteris omnibus, quotquot illa fuerint, bonis omnibus & piis propoſitis contradicere?

Idipſum eſt, inquam, quod maximè nos docere vult ſancta ſynodus tridentina. Si cui placet, vti partibus aduerſis certè placet, illam nos aliud docere voluiſſe, ſuam ille perſuaſionem, ſi qua poteſt authoritate, probet, vel ratione, quæ authoritatis rationiſ-ve nomen mereatur. Id enim, quod dixi, docere nos ſynodum contendo. Et bene quidem aduerſus homines de ſecta Lutheri, qui ſibi cum Luthero nullas penitus operas liberas eſſe velint, nullas è nobis, non ducente Deo pariter intrinſecus & impellente, neque propterea nobis vſquam liberum eſſe conſentire vel diſſentire, cùm nobis nulla planè ſit noſtræ voluntatis poteſtas. Illis igitur neque conſenſus noſter eſt, neque diſſenſus. Qui nihilominus vterque verè noſter eſt. Sed noſter è nobis diſſenſus. Conſenſus autem noſter inoperante ſpiritu, dirigente, ducente, regnante.

Vt tamen omnibus è partibus euoluatur quæſtio, poteſt quidem Deus pro nutu ſuo quoſdã vocare, quos & vocãdo de repente iuſtificet. Conſtat è vocatone Doctoris gentiũ. Sic Deus quoſdam ita ducere poteſt & dirigere per ſemitas pœnitentiæ, vt ſemper illis & continenter adſit. Sed neque perpetuũ illud eſt. Si nanque iuſtificatos iuſtè derelinquit aliquando

aliquando, poteſt & pœnitentes derelinquere. Quid Chriſtus dominus in cruce, ſiquidem quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram eruditionem ſcripta ſunt, cum exclamat, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* an dubius erat adeſſe ſibi patrem? an vlla deſperationis vmbra vel afficiebatur? Id vel cogitare foret impium. Sed ita caput ſuis in membris. Noſtrum eſt omnium humiliari ſemper & eſſe continuos in orationibus abſque intermiſſione, precarique maximè ne deſerat nos Deus, ne nos derelinquat orphanos, ne deſpiciat nos. Quod nobis non eſſet orandum continuis orationibus noſtris & obteſtandum, niſi nos iuſtè deſereret aliquando, ſuáque nobis auxilia iuſtè denegaret. Illi ſolùm eſſent, quòd nos tales effeciſſet, agendæ gratiæ. Sic gratias agimus Deo, quòd nos creauerit, non creari nos efflagitamus, etſi rogamus conſeruari nos. Si porrò iuſtificatus redire poteſt ad vomitum, ſi diſſentire Deo in ſe habitanti, quis dubitat pœnitentem non habenti domicilium apud ſe Spiritui diſſentire poſſe? Sed cùm dicimus hominem quietum moueri poſſe, ſi velit, per diſiunctionem intelligendum illud eſt, non per compoſitionem. Moueri nanque quod quieſcat, quandiu quieſcit, fieri non poteſt. Etſi fieri poteſt, vt quod mouetur, vti liquet è ſarcinis, mouenti repugnet, quandiu mouetur. Sic noſtra nos rebellione vincere Deum, cum adiuti eius auxilio diſponimus nos & præparamus ad gratiam iuſtificationis, per diſiunctionem fieri poteſt, non verò prout nos ad eam diſponimus in dirigente ſpiritu & præparamus. Trahentem nanque patrem ſequi, ſequi ducétem Spiritum & ad Chriſtum dominum ire his auſpiciis, ſimulque abs eo diſcedere, poſſibile non eſt. Alioqui ſimul vincerent gratia & concupiſcentia, Deus ſimul & Satanas. Quòd fieri nequit.

Quod autem adhuc obſeruandum eſt, hi duo contextus. *velle diſſentire* nos, &, *velle mouere* nos, longè diſtant. Non enim ſemper mouetur, qui ſe mouere velit. Velle nanque ſe mouere & mouere ſe, duæ ſunt actiones omnino diuerſæ, & diuerſarum planè virium. Velle voluntatis eſt; mouere, potentiæ motricis. Sed velle diſſentire Deo & diſ-

Digitized by Google

ſentire, vnius voluntatis actus eſt. Imò qui Deo diſſentire vult, vti iam obſeruatum eſt, verè diſſentit. Non eum dico, qui cogitet de faciendo diuortio, de negando conſenſu, etſi iam malum illud eſt, ſed qui diſſentire velit. Quod item certum, aliud eſt agere cum Deo, aliud inter nos. Plerique ſunt, qui pleriſque diſſentire vellent, qui tamen illis vſu fori non diſſentiunt. Diſſenſum nanque palam fieri apud nos oportet, qui diſſenſus habeatur. Sed apud Deum ſatis eſt velle diſſentire, vt diſſentiamus. E corde ſiquidem nos metitur Deus, è coniugio cordis & diuortio. Quare cùm nihil tam noſtrum ſit, quàm velle, ſi velimus; poſſe nos, ſi velimus, diſſentire Deo, ſeu viam pœnitentiæ tenemus, ſeu quod longè plus eſt, iuſtificationis gratiam, clarius nihil eſt, nihil apud nos conſtantius. Sed eo modo diſſentire poſſumus, ſeu velle diſſentire, qui poſſibilis eſt, non qui ſit impoſſibilis. Nam diſſentire, ſi velit, currentē in odorem vnguentorum, poſſibile; non certè prout currit & quandiu currit, ſed per diſiunctionem.

Neque valet obijcere beatos in cælis, ſi vellent, perinde diſſenſuros. Quāuis enim poſſent diſſētire Deo, eique verè diſſentirēt, ſi vellēt, verè nihilominus otioſæ sūt vel potiùs ineptæ hę de beatis orationes. Quia nāque metā obtinent, quia ſemper illis aperta diuinitas & continenter, quia hos nuſquam deſerit ſpiritus, quia quicquid eſt ex parte, id totum euacuatum eſt, neque iam ignorantiæ locus eſt, non mundo, non carni, non concupiſcentiæ, non infirmitati, non principi tenebrarum, verti beatas voluntates illas in aduerſum, illos ardores verti, verti dico flagrantes puro charitatis oleo illas lampades ſempiternas, euenire nequit. Sic autem abſque dubio aſſentirentur diuinæ iuſtitiæ, ſi vellent, perditæ mentes. Sed eas aſſentiri velle contrariis de cauſis, nuſquam eueniet. Infirmitatis regnum illic eſt & ignorantiæ & concupiſcentiæ. Sempiterna nox illic agitur, illic ægritudo viget, viget acerbitas, certa pœnarum ęternitas, fixum diuinæ maieſtatis & æternum odium, vacua penitus Dei miſerentis, miſerentis ad ſolatium dico, calamitoſa voluntas. Quare fixa perdita libertas in malo,

Digitized by Google

vt in bono fixa beata libertas. Soluta nanque beata mens, & fixa telis ignorantiæ miſera. Sed in nobis, ſiue iuſti ſumus hac in vita, ſiue nos, duce Deo, ad iuſtitiam diſponimus, infirma voluntas è nobis, nullam in partem abſolutè fixa. Quare ſpiritu dirigi poteſt, quæ cadit; quæque ſpiritu dirigitur, cadere, ſi diſiunctionē dicis, non conjunctionem: ſi nos è nobis metiris, non è virtute quæ nobis à dextris eſt.

Verùm, inquies, certum eſt non poſſe nos non velle, cùm Deus operatur illud in nobis; velle ſiquidem & non velle, aperta contradictio eſt; ſed non ideo repugnat non conſentire nos. Pace tua, inquam, repugnat non conſentire nos, cùm Deus in nobis operatur velle, ſiue paruum illud eſt, ſiue magnum. Velle ſiquidem, quod ſuadet, qui vocat, eſt ei conſentire. Sed quod ad rem faciat, ſi quid nobis objectum eſſe vis, tibi dicendum eſt non poſſe nos non conſentire Deo vocanti nos, nos excitanti. Non enim dicit concilium diſſentire poſſe volentem, ſed excitatum & vocatum à Deo, diſſentire poſſe, ſi velit. Quod autem certum eſt, non abſolutè repugnat diſſentire nos; non repugnat è nobis, ſed repugnat ex lege conditionis. Quis enim eius voluntati reſiſtet? Voluntati eius efficaci dicimus, ſi quæ velit vſquam, quod hîc non agitur, quæ non velit efficaciter. Cæterùm, vt quod vis, tibi concedam, etiam tibi intelligendum eſſe concilium de vocatione, qua perſuadeamur, nihil ideo proficies. Victricem nanque gratiam, qua de ſola quæſtio nobis eſt, quicunque probant, probant autem omnes, qui verè dici poſſint & haberi inter celebres Eccleſiæ doctores, ij conſentire nos aſſerunt ſumma libertate, nihilominus ſemper & ineuitabiliter conſentire nos, ſi vocamur efficaciter. Sed quod ijdem omnes vſurpant, hæc neceſſitas infallibilitatis eſt & ineuitabilitatis, non abſoluta neceſſitas. Non quòd abſoluta neceſſitas, vti liquet ex amore quo ſe Deus diligit ipſum, libertatem impediat, ſed quod ea non ſit conſenſus in nobis & operæ conditio. Libero nanque noſtræ voluntatis vſu operatur Deus in nobis velle ſeu conſentire & operari ſeu perficere. Sed vti nos aduerſus Caluinum apertiſſimè pleniſſiméque

Digitized by Google

docuimus, hæc qualiſcunque rationalis & conſultæ voluntatis neceſſitas libertati nihil penitus obeſt, nihil electioni, nihil conſilio. Stante nihilominus hac vocatione, ſi nos è nobis metimur & ex infirmitatibus noſtris, cadere poſſumus, etſi cadere non poſſumus in ducente nos ſpiritu Dei & regnante noſtris in voluntatibus. *Liberum* etenim *arbitrium eſt*, inquit cum Auguſtino ſententiarum Magiſter, *quo bonum eligitur aſſiſtente gratia, & malum ea deſiſtente.* *Dicendum*, inquit beatus Thomas, *quòd ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni, quòd voluntas ad illud non moueatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Vnde non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moueatur.* Sic impoſſibilia diſtinguit beatus Thomas, vt ineuitabiles in nobis & abſolutas neceſſitates inuicem dirimat. In nobis itaque ſemper eſt diſſentiendi vis, qua poſſimus abſolutè diſſentire, ſi velimus, quoties vocamur efficaciter, non qua diſſentire velimus. Plenè diſſentire dico. Semper enim aliquæ ſunt in nobis repugnantiæ. Imò magnæ ſunt aliquando. Sed, quæ victrix inde dicta, rebelles voluntates noſtras vincit omnipotentiſſima Dei gratia, concupiſcentiam abſolutè vincit.

In 1. q. 10. art. 4.

Sed, inquies, quando reſiſtimus vocationi diuinæ non perſuadenti; vel etiam, quod pluris eſt, eidem perſuadenti nos & paruam in nobis volũtatem operanti, poſſumus non reſiſtere. Quapropter hæc vtraque gratia ſufficiẽs eſt, non efficax. Quæſtio, inquã, aliena penitus eſt ab inſtituto, nec ad nos attinet. Verè tamen nihil inde concluditur. Primùm nanque ſi vocationem dicis non perſuadentem, non poſſumus è nobis perſuaderi. Alioqui poſſemus è nobis tanquam è nobis operari velle, vt oportet. Quod eſt abſurdum. Quòd ad paruam voluntatem, quandoquidem eam in nobis operatur Deus, certè vocatio ſuum habet effectum. Nanque vocationis effectus eſt conſenſus. Conſenſus autem eſt voluntas. Alioqui conſentire Deo non eſt velle quod ipſe velit. Quo nihil abſurdius. Ne verò nobis in mora ſit altercatio grammatica, quibus ſola probatur efficax gratia, ijs eo titulo efficax omnis eſt, quòd procedat

vſquequo velit Deus, cuius propoſitum nuſquam fruſtra ſit. Verùm ab ijs repudiatur gratia ſufficiens, qualem vult Molina, quæ ſuam è nobis habeat efficaciam, quæque nos rebelles compellat quòd ei demus compellere nos.

Verùm, inquies, quorſum interior vocatio, quæ non perſuadeat nos, nec ſatis ſit perſuadere. Sed, inquam, quorſum exterior vocatio, quæ ſola pro certo non ſatis eſt. Hæc tamen abſolutè præcipitur Eccleſiæ miniſtris. *Euntes ergo*, inquit Chriſtus dominus, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritusſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Exemplo nobis eſt Chriſtus. Quot enim Iudæos docuit extrinſecus, quos intrinſecus non illuminauit? Poteſt quidem Deus pro nutu ſuo majora dona differre. Eos dico illuminare nunc intrinſecus, quos extrinſecus duntaxat illuminauit aliquando; & quos ſuperiore die illuminauit duntaxat, neque perſuaſit, hodie perſuadere. Sed primas ſementes ſuas otioſas ſinet æternùm & ſecundas, ſi volet, & cæteras omnes, vnum perſeuerantię donum ſi demeris. Quorſum autem illas det, quas incaſſum abire ſinat, noſtri non eſt inquirere. Inſcrutabilia nanque Dei iudicia.

Cæterùm plurimos à diuina vocatione diſſentiendi modos, quos nemo negare poſſit, retulimus; vnicum quem proprium & ſingularem contendit eſſe Molina, repudiamus. Illi nanque placent ſolæ gratiæ ſufficientes, quas nutu ſuo *efficaces* reddat, vel *caſſas* & *inefficaces*. Sed cùm eo tempore, quo habita fuit ſancta Synodus, inauditum eſſet myſterium de gratia molinianum, neque de vllo diſſentiendi modo definitè ſancta Synodus decreuerit, nihil nos vrget recens iſta nouitas. Quod autem præſertim obſeruandum eſſe dixi, verè loquitur ſynodus de diſſentiendi poteſtate duntaxat, non de diſſenſu. Neque dicit illa reſiſtere nos his vel illis vocationibus, ſed abſolutè dicit poſſe diſſentire nos, ſi velimus; ſi reſiſtimus, id eſſe noſtræ poteſtatis. Quod vt pleniùs, ſi fieri poteſt, intelligatur, Chriſtus dominus neque reſtitit gratiæ, neque reſiſtere potuit: reſiſtere potuit beatiſſima virgo, quæ nuſquam om-

Digitized by Google

nino reſtitit. Nos autem pleriſque vocationibus plenè reſiſtimus, non aliena, ſed poteſtate noſtra. Sola gratia victrix noſtram vincit rebellionem, repugnantes nos vincit illa ſemper. Quicquid id eſt nihilominus, ſemper in nobis è nobis reſiſtendi poteſtas eſt, ſeu vincimus reſiſtentes ſeu vincimur. Sed illos vincere qui currant in odorem vnguentorum, poſſibile non eſt, ſi complexionem dicis; ſin diuiſionem dicis, poſſibile. Sic proiectum lapidem surſum, etſi nitentem in contrarium, cadere poſſibile non eſt, quandiu vincitur aduerſa vi, etſi ſemper eſt in eo cadendi poteſtas, cuius opera recidit, vbi primùm ſibi relictus eſt, & euanuit quæ vincebat, extraria vis. Idipſum eſt arbitrium noſtrum, quo bonum eligitur aſſiſtente gratia, & malum eadem deſiſtente. Non enim tam pronus eſt in centrum lapis, quàm vetus Adam in malum.

Neque nobis vſquam obſunt decreta, quibus ſtatuitur voluntarium abſolutè non eſſe liberum. Nos enim aſſerimus voluntarium quod rationale ſit & conſultum, liberum eſſe; negamus voluntarium abſolutè liberum. Quod idem aſſerunt doctores & patres Eccleſiæ, qui voluntarium liberum eſſe dicunt, liberam voluntatem. Negant enim voluntatem inconſultam & irrationalem verè voluntatem eſſe, verè liberam, verè dominam & compotem ſui. Quandoquidem itaque tot rationibus & teſtimoniis continetur noſtra concluſio, nec vllas in obſcuritates, vllas in quæſtiones, vlla prorſus incurrit in teſtimonia, quibus vlla ſit vis, authoritas vlla, certè rationalis & conſulta voluntas vera libertas eſt, vera voluntas, verum in nobis & vnicum dominium. Hæc autem vera libertas communis eſt indifferentis & neceſſariæ voluntatis; vtriuſque ſpontaneæ & conſultæ, neutrius violentæ & inconſultæ. Cæterùm eadem rationalis & conſulta voluntas, prout libertas eſt à neceſſitate, neque plus admittit, neque minùs. Sed & plus & minus admittit ſuis è gradibus. Quò quis enim ſanctior eſt & beatior, eò liberior eſt à peccato & à miſeria. Quare potentiſſima ſemper eſt & eadem in Deo voluntas, ſeu reſpicit illa ſe, ſeu ſubiectas ſibi creaturas. Non enim vertitur,

Digitized by Google

non vllam in ſe veram admittit vel poteſt admittere mutationem. Plus autem & minùs admittit libertas in nobis & angelis. Quò plus infirmitatis eſt & ignorantiæ, eò vilior libertas eſt & imbecillior: eóque melior eſt & potentior, quò plus virtutis eſt & claritatis. Quare potentiſſima beata libertas in cælis & optima: peſſima, miſera libertas in inferis & imbecillima. Fixa quidem in malo Satanæ voluntas, & voluntas Michaëlis in bono fixa. Sed erectus robore Michaël, iacens infirmitate Satanas. Callidus iſte quidem & aſtutus & acer in malo; ſed rectæ, quam teneat, vitæ viæque neſcientiſſimus.

Articvlvs vigesimvsprimvs

Oſtenditur illum contextum, ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audiuerit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo, *nobis nihil obeſſe.*

SED, inquies, ſacer contextus eſt, *ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audiuerit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum.* Ergo noſtræ libertatis eſt aperire cor vel occluſum tenere, reſpuere gratiam vel admittere. Qui hunc contextum, inquam, ſic interpretantur de interiore gratia, vt velint Deum quidem vocare nos, indéque nos ita relinquere in manu conſilij noſtri, vt noſtrum conſenſum expectet, ipſe non efficiat, quid ſibi velint, meo certè iudicio, non ſatis animaduertunt. Si nanque gratia ſufficiens eſt, quæ nullum vſquam effectum habeat, qualem plerique referunt, non expectandus eſt noſter conſenſus: ſin eſt efficax, ille certus eſt. Quare fruſtranea eſt & otioſa hæc è nobis expectatio tanquam è nobis, niſi velint eandem eſſe gratiam & communem omnibus, noſtræque facultatis eſſe, vt angelorum fuit & primorum parentum, eam efficacem reddere & fructuoſam, vel ſterilẽ & inefficacem. Quod ſi ita eſſet, gratiæ dominaretur noſtra voluntas, non voluntati gratia: non Deus, ſed noſtra voluntas operaretur in nobis velle &

operari: non verum eſſet nihil poſſe nos è nobis tanquam è nobis, ſiquidem propria nobis eſſet applicatio gratiæ & admiſſio ſpiritus in nobis: habuiſſet è ſeipſo latronum vnus, quod eum diſcreuiſſet ab altero: ſuæ bonæ voluntatis bonum habuiſſet vſum, non alter: ſuæ ſalutis primas ſuæ voluntati deberet, qui ſaluus eſt, vt alter ſuæ perditionis primas ſuæ. Quæ ſacro contextui planè contraria ſunt. Quanuis enim noſtra perditio è nobis eſt, quod nos docet ipſa veritas, non tamen è nobis ſalus noſtra vel eſt vel eſſe poteſt. Neque nobis confidendum in nobis eſt, ſed in domino confidendum. Quæ nobis vna certáque ſalutis anchora. Si Deus pro nobis, quis contra nos? ſi dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Si dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Verùm ecquid agitata ventis arundo? ecquid fundata ſuper arenam domus? Fatuus, inquam, quicunque confidit in viribus ſuis; maledictus, qui ſpem ponit in hominibus.

Rem autem hanc vt paucis exoluam, ſi nos ita vocat Deus, vt noſtrum reſponſum expectet è nobis, ipſe non efficiat, nos cùm ita vocat, ſolam non mouet voluntatem. Alioqui ſi voluntatem ſolam moueret, nulla præiret illuſtratio. Quod ſi ſic haberet, nullus hoc è motu locus eſſet conſilio, libertati nullus. Sin mentem illuſtraret duntaxat, neque voluntatem moueret, gratiæ præuiam diſpoſitionem daret nobis, non ipſam, quæ ſic per antonomaſiam dicta ſit, propriè gratiam. Siquidem vera gratia voluntatis eſt, non mentis. Sed has vires cùm pulſat mouetque Deus ambas, eas viuo modo pulſat mouetque, non mortuo. Siquidem mentis illuſtratio quædam eſt eiuſdem mentis cognitio; & pia voluntatis affectio, eiuſdem voluntatis actio quædam. Quæ vtraque ſupernaturalis eſt & vitalis. Hanc tamen vtranque nobiſcum operatur Deus in nobis. Sed præit ille. Alioqui non pulſaret. Scire verò cuperem, vtrum ratione nobis præeat Deus vel natura? Sed eum natura præire non dices. Siquidem Dei & mentis actio vna, vna Dei & voluntatis, non duæ. Vt nihilominus hac de re tibi libera ſit ſententia, facto hoc impetu, ſuam-ne manum retrahit

retrahit Deus tuo iudicio, noſque nobis relinquit, vt de præbendo aſſenſu vel negando conſultemus apud nos? Hoc ſi dicis, noſtra conſultatio naturalis eſt duntaxat, noſtrumque naturale iudicium, naturalis noſter aſſenſus, non ſupernaturalis, ſolique naturæ noſtræ committitur noſtræ ſalutis deciſio. Noſtræ ſalutis ſummam dico penes nos noſtrumque, quo fragilius nihil & infirmius, ſibi deſertum arbitrium. Quod profectò neque dici poteſt ore chriſtiano, neque chriſtiano calamo conſignari tabulis.

Deinde noſtræ huic & conſultationi & ſententiæ & electioni nulla vllo planè modo promerita deberetur gratia conſequens. Alioquin hanc ſolam per naturam mereremur. Quod eſt Maſſilienſium dogma. Quamobrem ad oſtium peccatoris vbi pulſat Deus, ſi huic conſultandum eſt & concludendum & aſſentiendum, hos paſſus omnes & circulos nobiſcum operatur Deus in nobis. Hos enim oportet eſſe ſupernaturales, non aliquos, ſed omnes. Alioquin idem in incommodum recideremus, ſi vel eorum vnus naturalis eſſet. Hoc enim è pede teſtaceo, quamuis ingens, tota per ſe concideret ſtatua. Sed actus omnis, qui ſupernaturalis ſit, ſupra mentem eſt & ſupra voluntatem noſtram. Quamobrem ad hunc neque ſola mens ſe determinare poteſt, neque ſola voluntas noſtra. Etenim neque mentis eſſe poteſt, neque voluntatis, neque poteſtatis alius ſe eas ad operas determinare, quæ naturam, cuius ſit propria vis, exuperent. Alioqui ſe determinaret ad id, quod eſſet ſupra ſeipſam. Quo nihil abſurdius. Deum itaque ſingulis in vitæ partibus, quæ ſint ſupra naturam, præire nobis oportet, ſuóque impetu agere minores rotas omnes & determinare. *Scimus gratiam Dei*, inquit beatus pater Auguſtinus, *ad ſingulos actus dari*. Quæ cùm ita ſint, ire nequeunt hæ rotæ minores in contrarium. Alioqui doce nos, ſi quoquo modo poſſis, actæ voluntatis in hunc orbem, vllum vſquam inſimul proprium orbem contrarium. Quod autem ad hanc, de qua nunc, conſultationem, nihil intereſt vtrum explicita ſit vel implicita. Hæ nanque diſtinctiones nihil ad rem attinent; ſatis eſt poteſtas ratio- Epiſt. 107.

cinij, etſi fortè nonnunquam euoluta non eſt materia ſingulas in partes.

Illum itaque contextum, *ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audiuerit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum*, ita refero. Si ſtas ad oſtium, domine, hoc autem aures noſtras dicis, quas tuam per legem tuoſque per miniſtros pulſes extrinſecus, non ideo cor aperimus, niſi nos intus aſpergis lumine tuo. Mortua ſiquidem eſt & exterior hæc gratia; non viua, non interior. Si ſtas ad oſtium cordis intus & pulſas, domine, reſtas autem in veſtibulo voluntatis, quod eſt mens, etſi vocamur & audimus, niſi perſuades, nondum aperimus, nondum conſentimus, ſancto Spiritui tuo reſiſtimus. Si ſtas eodem in veſtibulo, domine, & pulſas, nos autem erudis & perſuades, quia viuus & efficax ſermo tuus acutior eſt omni gladio ancipiti, &, quod docuiſti nos, omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad te, certè nos oſtium aperire oportet & conſentire, ſed non aperiemus abſque te, domine, ſine quo nihil facere poſſumus. Si denique ſtas ad oſtium cordis, ipſumque pulſas, domine, illud porrò voluntatem dicis, aperitur. Sed iam verè ſubis, ſi, quod è nutu tuo pendet, facturus manſionem ades & cœnaturus nobiſcum. Sin ades domicilium tibi præparaturus ſancto tuo tuæ ſanctæ pœnitentiæ dono, nondum verè ſubis. Sed vtercunque tuus aduentus eſt, domine, quoties viuo ſermone tuo perſuademur, quia nos in impotentia noſtra non derelinquis, aperimus tibi cor, non quidem nos è nobis, ſed prout nos in aperiendo iuuare vis & præire. Vt enim tuum eſt vocare nos & erudire, ſic operari velle & perficere tuum eſt. Itaque ſi ſtas ad oſtium intrinſecus & pulſas; ſi moues valuas cordis, eaſque reſeras; iam non modò vocas nos, non modò perſuades, ſed & velle tuum operaris in nobis tuumque perficere.

Verè quidem cùm operaris velle, volumus; & operamur, cùm operaris perficere. Sed præis, domine, & trahis & compellis & introducis, compulſi nos attractique ſequimur. Quæ tua victoria, domine, noſtra ſalus eſt & vera li-

bertas. Aperiemus igitur, ſi modò aperueris; conuertemur, ſi modò conuerteris nos: inclinabitur ad te cor noſtrum, quod eſt in manu tua, ſi modò, vt pro nutu potes, primus illud inclinaueris; in te manebimus, ſi manſeris in nobis; cœnabimus tecum, ſi nobiſcum cœnaueris. Tu ſcis, domine, noſque per ſanctum Apoſtolum tuum ita docuiſti, nihil è nobis poſſe nos tanquam è nobis, neminem poſſe cum fructu proferre ſanctum nomen dilecti filij tui *Ieſu* abſque te. Quare, ſic enim oramus, aperi, domine, cor noſtrum, & tibi in eo domicilium per tuam miſericordiam, quæ nos anticipet, perfice: crea illud nouum in nobis; Spiritum rectum innoua in viſceribus noſtris & Spiritu principali confirma nos. Tales effice nos, talia nos exhibe vaſa, fac nos templa viua, reædifica maceries noſtras, inque, quod non ipſi nos, ſed ipſe tu tibi paraueris, interiore ſacrario, per viſcera tuæ miſericordiæ commorare. Sic & velle & perficere operabimur, ſi modò tu, domine, hæc opereris in nobis. Victrix in me ſit gratia tua, victrix delectatio tua, victrix ſpiritualis vnctio tua, victrix veteris hominis, æternúmque victrix commoratio tua.

Sed explicationem abſoluit hæc ſuperioris contextus reciprocatio. *Quærite, & inuenietis,* inquit veritas; *pulſate, & aperietur vobis.* Quod autem certum, neque falli poteſt ipſa veritas, neque fallere. Quare ſi bene quærimus, inueniemus; ſi bene pulſamus, nobis aperietur. Semper, inquã, res è voto ſuccedet, ſi bene oramus. Verè tamen nihil ex nobis poſſumus tanquam ex nobis. *Quæretis me*, inquit eadem veritas, *& non inuenietis me.* Quamobrem otiosè quærit, quiſquis quærit, non duce Deo: pulſat otiosè, quiſquis, Deo non præeunte, pulſat. Alioqui nos ſatis eſſemus nobis ad veram orationem, ad verum cultum, ad verum veræ ſalutis meritum. Quod abſurdum eſt. *Sic currite,* inquit hæc eadem veritas, *vt comprehendatis.* Si tamen tui vnius eſt hic qualiſcunque curſus, non trahentis ſpiritus & compellentis, quid comprehendes? Nihil profectò. Quapropter ſiue quærimus, ſiue pulſamus, ſiue currimus, ſiue nos conuertimus, ſiue demum aperimus, totum id,

Digitized by Google

niſi præit Spiritus & adiuuat, otioſum eſt. Sed fructuosè quærimus, pulſamus, currimus, conuertimus nos & aperimus, ſi modò Deus aſpirat, præuenit, adiuuat, proſequitur & abſoluit. Quam in ſententiam ita quotidie ſuas inter preces mater Eccleſia: *actiones noſtras quæſumus, domine, aſpirando præueni & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.* Sic itaque pulſat Deus, vt aperiamus; ſic pulſamus, vt aperiat: non aliter, ſi nos aperimus bene, ſi bene pulſamus. Seu nanque ſolus agit ipſe hoc in myſterio, ſeu nobiſcum, regnat eius voluntas, non noſtra. Secundas, inquam, tenemus, non primas.

Imò ſic operamur in nobis velle & operari, ſi modò conceditur iſta locutio, hoc in vtroque diuino munere, vt neque volentis ſit, neque currentis, ſed Dei miſerentis. Verùm audiendus beatus pater Auguſtinus. *Cùm procul dubio,* inquit ille, *ſi homo eius ætatis eſt, vt ratione iam vtatur, non poſſit credere, ſperare, diligere niſi velit, quomodo ergo* non volentis, neque currentis eſt, ſed miſerentis eſt Dei, *niſi quia & ipſa voluntas, ſicut ſcriptum eſt,* à Deo præparatur? *Alioqui ſi propterea dictum eſt,* non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia ex vtroque fit; hoc eſt, ex voluntate hominis & miſericordia Dei, vt ſic dictum accipiamus,* non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Non ergo ſufficit ſola miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis: ac per hoc ſi rectè dictum eſt,* non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia id voluntas hominis ſola non implet: cur non & è contrario rectè dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet? Porrò ſi nullus chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat, reſtat vt propterea rectè dictum intelligatur,* non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non*

Ench. c 32.

Digitized by Google

omnia. *Quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt ipſa.*

Cæterùm, quod omittere nequeam, quæſtio de libertate inter theologos, quibus probatur efficax èſſe gratia, tota, hoc ſaltem in negotio, de nomine magis eſt, quàm de re. Illi nanque fatentur voluntates noſtras omnes & ſemper obtemperare gratiæ efficaci ineuitabiliter, itaut nuſquam euenerit vel euenturum ſit contrarium. Si nanque, inquiunt, quocunque caſu hæc gratia ſuum non aſſequeretur finem, iam non eſſet efficax. Quæ cùm ita habeant, repugnetque, quod illi contendunt, gratiam efficacem ſterilem eſſe, hæc ineuitabilitas non longè diſtat à neceſſitate, vel potiùs vera neceſſitas eſt, ſi modò dicenda ſit neceſſitas, qua de hîc diſputatur. Fixa nanque concluſio, conſtans & rata illos inter authores, ſi Paulus mouetur efficaciter, gratiæ ſuccumbet, ſuccumbet bonus latro, ſuccumbet Magdalena, ſuccumbet Auguſtinus, cæteri ſuccumbent omnes, neque continget vſquam vinci victricem Dei gratiam, non continget efficacem Dei voluntatem propoſitum ſibi finem non obtinere. Alioqui non eſſet efficax. Concluſiones profectò vel ethicæ, vel aſtrologicæ, vel etiam phyſicæ nullæ ſunt his certitudine pares & neceſſitate. Ecquid enim eius voluntati reſiſtet?

Articulus vigesimus secundus

De vocabulis coactio & neceſſitas *his in contextibus,* liberum à neceſſitate, liberum à coactione.

Nobis obſeruanda ſupereſt ambiguitas nominum *coactionis & neceſſitatis*, vt liqueat, quid aduerſa libertati coactio, quid neceſſitas aduerſa libertati. Imprimis itaque coactio proprio nominis vſu idem eſt, quod accumulatio, contractio, collectio, compreſſio. Sic coactas in vnum locum copias, coactam in vſus humanos pecuniam, coactum in nubes aërem, malleo coactos in foramen cuneos dicimus. Sed alienus eſt hic ſignificatus ab inſtituto.

Secundò cogere idem eſt, quod impellere, hortari, ſuadere, adigere. Sic legibus, præmio, minis, pœnis, officio,

Digitized by Google

pudore, metu, amore, odio, precibus, ira, conuitio coactum aliquem dicimus. *Coactu tuo ſcribam*, inquit Cicero, *coactu atque efflagitatu tuo*. Quo nominis vſu dicere poſſumus coactu patris cæleſtis, patris cæleſtis attractu venire nos ad filium: vel è contrario reſiſtere nos Spirituiſancto nefario Satanæ coactu, coactu nefario libidinum. Sed etſi hoc coactionis genere, prout huc illuc impellimur alterutram in partem, vt plurimùm imminuitur indifferentia, nullum ideo libertati præiudicium infertur.

Tertiò coactè fieri dicimus, quod violentia fit, quod fit nobis inuitis, quod extrinſecus euenit, nihil conferente penitus, ſi modò violentia plena ſit & perfecta, interiore principio. Sic ventorum vi claſſem in hoſtilem portum, in ſcopulos, in Syrtes coactā eſſe dicimus. Sic inuitos quoſdā & reluctātes dicimus in carcerē coactos, coactos equuleo, verberibus coactos è vita migraſſe. Quo nominis vſu coactum & violentum ſunt dictiones vniuocæ. Sed vulgò philoſophis placet coactum ſolis animantibus conuenire; violentum, rebus animantibus & inanimis. Quicquid id eſt, coactio hoc vtroque ſignificatu planè repugnat libero. Quod enim ita fit, nobis inuitis, nihil nobis conferentibus, inuoluntarium eſt, non voluntarium. Liberum autem non voluntarium impoſſibile.

Denique coactum, qui vnus eſt aptus ad inſtitutum nominis vſus, idem eſt, quod aduerſum libero neceſſarium; coactio idem, quod aduerſa libertati neceſſitas. Sed ab hac neceſſitate dirimenda nobis eſt illa neceſſitas, quæ non pugnat cum libertate. Quod ita paucis exequor. Noſtram ad libertatem comparata neceſſitas, extrinſecus nobis euenit vel intrinſecus. Quæ neceſſitas nobis euenit extrinſecus, nobis inuitis, nihil cooperantibus nobis, hæc repugnat libertati. Repugnat enim voluntario. Alioqui neque voluntario repugnat, neque libertati, ſi nobis euenit extrinſecus, cooperantibus nobis. Liquet è ſuauiſſima & conſultiſſima dilectione beatarum mentium. Quæ verò neceſſitas nobis euenit intrinſecus è nobis, hæc rationalis eſt vel irrationalis ſeu conſulta vel inconſulta. Si inconſulta ſit,

Digitized by Google

verè repugnat libero. Liquet è primis motibus; liquet è dementium, infantium, ebriorum impotenti conſilio. Quòd enim irrationabiliter agant & inconſultè; non conſultè, non rationabiliter, ſuæ voluntatis verè nullum habent dominium. Sed libero non repugnat conſulta voluntas. Hæc enim rationalis eſt, non irrationalis. Irrationalem igitur oportet eſſe neceſſitatem, quæ cum libertate pugnat, quæ pugnat cum proprio voluntatis dominio.

Quod vt cuique liqueat, non agitur hîc de quauis neceſſitate, qualis illa cauſarum, effectorum & eſſentiarum, de qua diſputatur omnibus in ſcientiis. Sed neque neceſſitas quæ cadit in proprias actiones brutarum animantium, rerum inanimarum omnium, omnium denique cæcarum virium & inuoluntariarum, attinet ad inſtitutum. Hæc enim neceſſitas omnis per ſe natura ſua irrationalis eſt intrinſecus, quòd rationem non habeat, non quòd ſit aduerſa libero. Sed, vt verbo dicam, diſputatur hîc de neceſſitate quæ cadit in voluntatem & vires voluntati ſubjectas. Neceſſitas quæ cadit in voluntatem, conſulta eſt vel inconſulta. Voluntatis medius agendi modus impoſſibilis. Si nanque volumus, conſultè volumus vel inconſultè. Quod autem eſt inter omnes confeſſum, neceſſitate volumus, quotieſcunque volumus inconſultè. Si verò conſultè volumus, neceſſitate volumus vel cum indifferentia. Neceſſitas conſulta, quod pariter conceſſum eſt, qualis illa qua ſe Deus diligit & qua diligitur à beatis mentibus, verè non eſt coactio. Apta ſiquidem eſt appetitui rationali, & eius maximè propria; propria verò magis, quò magis conſulta. Sed conſultæ voluntati aduerſa ſemper eſt inconſulta neceſſitas. Hæc autem vna omnium ſentẽtia obeſt libero. Sed vtrum vera ſit coactio, nec-ne, hodie diſputatur. Eam attamen veram eſſe & interiorem coactionem voluntatis euincit ratio, euincit authoritas. Non quòd vi contraria, quæ nulla penitus eſt, vincatur appetitus rationalis, ſed quòd ignorantia & infirmitate, quæ maximæ ſunt eius aduerſitates, ita prematur, vt contra proprium & naturalem agendi modum irrationabiliter velit & inconſultè.

Digitized by Google

Sed alia neceſſitate, quod omnibus conceſſum eſt, cogitur voluntas ſuis in viribus ſubjectis per vim illatam extrinſecus. Quare cogitur extrinſecus voluntas & intrinſecus. Sed aduerſa voluntati neceſſitas, vt pote quæ ſtet aduerſus appetitum rationalem, verè neceſſitas eſt irrationalis, & irrationalis aduerſa voluntati coactio. Neceſſitatem hîc irrationalem non dico, quæ rationem non habeat, qualis in lapide; vel quæ ſit aduerſa rectæ rationi, quod eſt nequitiæ proprium; ſed quæ ſit aduerſa dominio voluntatis. Hoc autem dominium externum eſt vel internum. Sui nanque domina voluntas in nobis & ſubjectarum ſibi virium. Sed vt victis extrinſecus viribus ſubjectis, externo dominio cadit voluntas; ſic interno cadit, quoties fit inconſulta. Rationale ſiquidem oportet eſſe dominium, liberum oportet eſſe rationale. Sed neutro dominio cadit inuicta voluntas. Victa cadit itaque. Quicquid autem vincitur, oppreſſione vincitur. Sed cogatur oportet, quicquid opprimitur. Cadit itaque neceſſitate voluntas vtroque dominio, coactione cadit vtroque. Si tamen externo dominio cadit voluntas, non ideo cadit interno. Sed externo cadat oportet, quæcunque cadit interno. Impotens nanque ſui voluntas, nullius rei potens eſt. Sed infirmitatem ſi demeris & ignorantiã, cùm nihil præter Deum dominetur noſtris volũtatibus, dominium internum longè ſublimius eſt externo. Quare cadentis interno dominio voluntatis, cæteris paribus, maior longè caſus & periculoſior. Vinci tortoribus durum, fateor, & acerbum; ſed glorioſum, ſi ſtat inuicta iuſta voluntas. Captis autem inſanabili dementia, quid impotentius, quid calamitoſius? Sed cogi minùs eſt quàm opprimi. Verè cogitur itaque voluntas, quoties victa cadit & oppreſſa.

Vt ergo decorum & honeſtum ad virtutem: ita neceſſitas & coactio ad victam exutamque dominio voluntatem. Sed alia neceſſitate vincitur in ſe voluntas, alia ſuis in facultatibus voluntariis. Quare violenta hæc neceſſitas eſt vel inconſulta. Si quis exempli gratia inter ardores febrium ſe de cœnaculo det præcipitem, incõſulta neceſſitas

eſt;

eſt; vt violenta neceſſitas eſt, ſi quis inuitus inde præceps datur ab hoſtibus. Sed quæ cadit in actionem neceſſitas, verè diſtincta non eſt ab actione. Quapropter inconſulta neceſſitas, quæ voluntas eſt inconſulta, irrationalis eſt intrinſecus, vt extrinſecus irrationalis eſt violenta neceſſitas. Quemadmodum enim virium quæ natura ſua ſubjectæ ſunt voluntati, actus inuoluntarios dicimus & imperatos, quòd imperio natiuo ſubijci debeant, quanuis ei non ſubijciuntur. Sic eos merito iure; iure eodem dicere poſſumus irrationales.

Neutra verò premitur Deus, neutra cogitur neceſſitate. Non enim cadit in eum violentia, non inconſulta voluntas. Quare libertimus eſt à neceſſitate, à coactione libertimus. Quæ ſingulari eius beneficio beatarum mentium conditio eſt in cœlis. Quod enim neceſſitate Deum ament & glorificent, non ideo coguntur, non opprimuntur. Imò celſiſſimæ ſunt ideo, potentiſſimæ, glorioſiſſimæ, liberrimæ. Si præmerentur hoc genere neceſſitatis, eodem premeretur increata maieſtas. Quod vel cogitare profanum eſſet & impium. Num autem ea ſit caligo mortis & infirmitas in Satana, vt quid velit inconſultè, neſcio. Sed quandoquidem ignorantia & infirmitate ſuo dominio cadit noſtra voluntas, eodem vtroque morbo pro Dei nutu cogi poteſt Satanas & opprimi. Si quas vires habent puræ mentes in poteſtate ſuæ voluntatis, qualis in eis eſſe dicitur mouendi vis, abſque dubio vinci poſſunt per negationem operæ. Poſſunt enim, ſi nolit Deus cum illis ſe mouere volentibus ad motum concurrere, inuitæ veluti carcere retineri. Sed ea vera non eſt exquiſitáque violentia. Nihil enim per vim illis eatenus infertur extrinſecus. At ſi nolentes & obluctantes pro viribus, vti nos aliquando, vinci poſſunt aduerſa vi, interno cadere poſſunt externóque dominio, veluti nos. Cadimus enim inconſulta voluntate, violentia cadimus. Quod iam oſtenſum eſt. Sed & negatione cadimus, ſi deſunt cauſæ & conditiones neceſſariæ. Qui videre cupit & audire, non ideo videt & audit; non edit, non bibit, qui bibere cuperet & edere.

Digitized by Google

Violentia ſæpè premimur omnes, ſæpius inconſulta vo-luntate. Si violentia vincimur, nihil eatenus confert vo-luntas. Confert autem, quoties inconſultè volumus. Hac vna parte maximè laborat in ſe voluntas intrinſecus: altera parte non ita laborat intrinſecus in ſe, etſi verè laborat in nobis, quoties, renitentibus nobis pro viribus, adimitur illi per vim dominium ſubjectarum ſibi virium. Si quis igitur inuitus & renitens pro viribus, cogitur in carcerem, violenta quidem eſt & inuoluntaria hæc coactio. Sed quòd in carcerem conijci nolit, quòd lictoribus obluctari velit, liberrima volitio eſt in ſe & nolitio liberrima, ſi modò rationalis eſt & conſulta; ſed vtraquè victa ſuis in viribus ſubjectis. Quare ſola coactio, quæ naſcitur ex ignorantia & infirmitate, verè liberum adimit voluntati. Etſi nanque violentia poteſtatem habet in voluntatem per accidens, quoties excæcat nos & infirmitatem auget, verè tamen in voluntatem per ſe non cadit, non cadit in eius actus elicitos; ſolas cadit in vires per naturam voluntati ſubjectas.

Sed has in vires cadit coactio, cadit in voluntatem, cadit in omnes eius actus inconſultos. Per hanc enim, vt oſtenſum eſt & euictum, excidit nobis externum internumque dominium. Deinde niſi res ita haberet, liberum à coactione non expleret liberum à neceſſitate, quoties liberum abſolutè dicitur, quod eſt à coactione liberum. Sed vt patres & doctores Eccleſiæ liberum abſolutè dicunt, quod eſt à neceſſitate liberum: ita liberum abſolutè dicunt, quod eſt à coactione liberum. Quare ſi loquuntur aptè, quod nobis indubitatum eſſe debet, ſi liberum aptè definiunt hac vtraque locutione, coactio & neceſſitas apud illos hoc in negotio dictiones ſunt vniuocæ. Alioqui beatus Thomas exempli gratia, malè concluderet Chriſtum dominum non amiſiſſe libertatē, non laudem, non meritum, quòd Deum amaret ſponte, non coactè, etſi non poſſet illum non amare, ſi quid eſſet præter coactionem, quod liberum impediret, quod laudem impediret & meritum. Sed violentum illis authoribus idem abſolutè non eſt quod coactum. Non enim liberum definiunt, quod eſt à violentia libe-

In 3. d. 18. a. 2. ad 5.

Digitized by Google

rum, ſed quod eſt à neceſſitate liberum, quod eſt à coactione liberum. Alioqui ſi fortè quis dicit eſſe liberum, quod violentum non eſt, is liberum abſolutè ſi dicit, violentum promiſcuè dicit & coactum, quod eſt aduerſum naturæ. Sic violentiæ & coactioni liberum opponere videtur promiſcuè beatus Thomas his verbis: *libertas voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur. Non eſt autem violentia vel coactio in hoc quod aliquid ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouetur.* q. 10. de potent. art. 2. ad 5.

Ex his autem liquet quam abſurdè pelagiani & maſſilienſes ſuis aduerſus beatum patrem Auguſtinum inuectiuis, ſuis tergiuerſationibus & inuolucris obtenderent gratia victrice Chriſti ſeruatoris cogi voluntates noſtras, quæ tum maximè conſultæ ſint, maximè rationales & rectæ; non deuiæ, non irrationales, non inconſultæ. Liquet quàm abſurdè Caluinus contra ſcholarum vſum coactionem à neceſſitate dirimendam eſſe voluerit hoc in argumento. *Obtinuit in ſcholis diſtinctio,* inquit ille, *quæ triplicem libertatem numerat; à neceſſitate primam, ſecundam à peccato, tertiam à miſeria; quarum prima ſic homini naturaliter inhæreat, vt nequeat vllo modo eripi; duæ alteræ per peccatum ſint amiſſæ. Hanc diſtinctionem ego libenter recipio, niſi quòd illic* neceſſitas perperam cum coactione *confunditur.* Neſciebat iſte, vel neſcire ſe ſimulabat, cogi liberum arbitrium in nobis ignorantia & infirmitate: neſciebat his vnis vinci voluntatem intrinſecus, internóque ſuo dominio cadere: neſciebat iugum voluntati magis aduerſum nullum eſſe, quàm vt è conſulta domináque ſui ſe contra naturam propriam inconſultam habeat & impotentiæ ſeruam, ſeruam infirmitatis. Qui ab ætate Caluini ſcribunt liberos à coactione lapides, brutas animantes liberas, liberas voluntates inconſultas; imprudentes accinunt pleríque Caluino contra ſcholarum vſum & doctorum Eccleſiæ. Alioqui doceant illi nos, ſi modò poſſunt, aſcenſu cogi lapidem, irrationabili motu non cogi rationalem appetitum; voluntatem oppreſſione cadere dominio ſuarum virium, non cadere dominio ſui: doceant nos ecquis vocabulorum *neceſſitatis* & 2. inſtit. c. 2.

Digitized by Google

coactionis vſus eſſet in ſcholis, quem abolendum eſſe velit Caluinus? Ecquis apud doctores & patres Eccleſiæ, quibus hæ locutiones promiſcuæ, *liberum à neceßitate, liberum à coactione,* verus earum vſus? Num eas qui confundunt hac ætate noſtra, cum Caluino ſentiant, an qui dirimunt? Num eas confundere cum Auguſtino, cum Magiſtro ſententiarum, cum beato Thoma cæteriſque luminibus Eccleſiæ tutius, an cum Molina & Caluino dirimere?

Vti verò libertatem à coactione & libertatem à neceſſitate diſtinguendas eſſe probet Caluinus, ſcribit coactionem eſſe diſtinctam à neceſſitate, quòd Deus, authore beato Auguſtino, *neceßitate bonus* inueniatur, & Satanas *neceßitate malus, non coactè.* Addit has dictiones ab ætate beati Auguſtini ſemper *diſtinctas* fuiſſe in clauſtris, *non confuſas.* Denique concludit Magiſtrum ſententiarum, quòd *neceßitatem à coactione* diſtinguere neſciuiſſet, *pernicioſo errori materiam dediſſe.* Sic ignoranter Caluinus & veteratoriè. Ideo ſiquidem neceſſitate fixas in malo mentes perditas & beatas in bono, Deumque ſe neceſſariò diligere docet beatus Auguſtinus, vt concludat aduerſus pelagianos neceſſitatem, quam ſibi ſuo iudicio faciat voluntas, non repugnare veræ exquiſitæque libertati. Caluinus autem qui verè libertatem hanc reſpuat, abutitur his contextibus, vt orbem edoceat diſtinctam eſſe coactionem à nenéceſſitate. Quod nemo neget. Non certè Magiſter ſententiarum, qui eſſe libertatem neget, vbi ſit coactio, docetque voluntatem Dei diligentis ſe neceſſariò liberrimam eſſe, non coactam; liberrimas eſſe, non coactas beatas mentes neceſſitate fixas in bono, vt in malo fixas mentes perditas. Hæc autem libertas in Deo, vt in beatis mentibus & miſeris, quod ab eodem Magiſtro diſcere potuiſſet Caluinus, ſi voluiſſet, tam eſt libertas à neceſſitate, quàm à coactione. Nanque libertas à neceſſitate Magiſtro non eſt, quod aduerſus ſcholarum ſuæ & ſuperioris ætatis vſum inuexit Caluinus, voluntas indifferens, ſed abſolutè voluntas, voluntas à coactione libera.

2. Inſtit. c. 3.

Lib. 1. diſt. 44. & 15.

Quod ſcribit Caluinus volentem inuitum non velle,

Digitized by Google

non coactum, ſe ignorantem declarat, vel certè veteratorem. Nam etſi coactè facimus, quod facimus inuiti, ſi modò facere dicendi ſumus, non tamen inuiti facimus, quicquid facimus coactè. Nanque ſolas in vires voluntati ſubjectas cadit violētum, vt ſi quis è rupe præceps datur inuitus. Sed quanuis in ſe cogitur inconſulta voluntas, qualis oppreſſa voluntas ebriorum & dementium ſuis in erroribus & impotentiis, verè tamen non agitur inuita. Quod igitur ignorabat Caluinus vel ignorare ſe ſimulabat, non quæritur vtrum à neceſitate diſtinguenda ſit coactio, ſed vtrum libertas à coactione & libertas à neceſſitate ſit vna eademque libertas. Sed lucem hanc fruſtra Caluinus enititur obſcurare tenebris. Nam etſi Deus ſe neceſſariò diligit, verè tamen ſe liberrimè diligit, ſéque ſuo illo amore, quod docet Magiſter ſententiarum, liberum habet à neceſſitate. Non enim inuitus diligit ſe, non ſe diligit coactè. Sic à neceſſitate verè liberæ ſunt beatæ mentes & perditæ, etſi hæ Deum neceſſitate oderunt, quem illæ amauerunt neceſſitate. Hæc etenim neceſſitas non eſt aduerſa libertati. Aduerſa quidem eſt indifferentiæ; ſed indifferentia in nobis veræ libertatis impedimentum eſt, non vera ratio libertatis.

Quòd denique ſuum errorem per tot ſæcula in clauſtris vſurpatum ſcribit Caluinus, ſe mendacem præbet & abſurdum. Alioqui ſcire cuperem quibus in clauſtris viguiſſet hæc ignorantia? Non quidem in Molinæ clauſtris, quæ nulla verè ſunt, vel certè nulla tum erant. Non celeberrimis in beati patris Auguſtini ſcholis, non in ſcholis ſancti Bernardi, non in illis beati Thomæ vel ſancti Bonauenturæ. His etenim in ſcholis omnibus cum Auguſtino, Bernardo, Thoma & Bonauentura & nunc & ante Caluinum magno conſenſu docetur concordia libertatis & conſultæ neceſſitatis. Neque mirum. Nam his in ſcholis, vt in cæteris quas altero ſuperiore contextu ſuo carpebat Caluinus, quod liquet è ſtatutis éque ritu conferendorum theologicorum graduum in omnibus ferme totius Europæ ſcholis theologicis, ea in veneratione & commendatione fuit

Digitized by Google

Magiſter ſententiarum ab ætate ſua, vt cum ſacris biblijs legeretur, adhibitis ab interprete annotationibus neceſſariis, è conciliis & patribus Eccleſiæ, éque contextu eiuſdem authoris & ſacrorum bibliorum. Neque quis ad titulum baccalaurei admittebatur, qui ſe non probaſſet illorum operum auditorem fuiſſe per quinquennium, quo tempore eodem illo ritu abſoluebatur curſus theologicus. Neque factus iam quis baccalaureus, in palæſtram theologicam admittebatur, quò ſe dignum probaret laurea doctoris, qui non eadem ſacra biblia cum eodem Magiſtro per quinquennium interpretatus eſſet è cathedra, adhibitis etiam annotationibus conquiſitis labore proprio. Quare mirum non eſt, ſi tum ea eſſet ſcholarum conſenſio de concordia libertatis & conſultæ voluntatis, déque vna penitus & eadem libertate, quæ promiſcuè diceretur libertas à coactione & libertas à neceſſitate. Sed verſus ſcholarum vſus ab ætate Caluini.

Sed, inquies, authore ſancto Bernardo, voluntas nulla vi, nulla cogitur neceſſitate. Non, inquam, vlla vi, vlla neceſſitate cogitur, vt ſibi diſſentiat, aut præter ſe in aliquo conſentiat. Qui totus eſt & integer ſancti Bernardi contextus. Verus autem ille. Quanuis enim moueri poſſumus inuiti, nequit inuita moueri voluntas. Quare diſſentire ſibi non poteſt: non poteſt non cōſentire ſibi. Sed verè cogitur voluntas, quoties ſuæ aduerſa naturæ, ſuo exuta dominio inconſulta mouetur, etſi non mouetur inuita. Vis nanque fit naturæ rationali, quoties captiua ducitur ſui per naturam domina voluntas. Alioqui magis naturale foret lapidi cadere, quàm appetitui rationali gerere ſe rationabiliter. Quod eſt abſurdum. Etſi verò violentum explere non videtur inconſulta neceſſitas, mira tamen hæc infirmitas eſt, quæ tantam vim, tam excelſam premit contra naturam propriam. Voluntas enim virium omnium, quæ cœlo capiantur, verè vis eſt & domina vis, quæ nihilominus ſe coactam habet & oppreſſam infirmitate. Infirmitatem non dico nunc, qua malè velimus imprudenter, ſed qua irrationabiliter velimus & inconſultè

Sed vt captiua ducitur voluntas impotenti iudicio, inquies, ſic captiua ducitur gratia victrice. Auguſtino quidem obijciunt pelagiani & eorum abortiones cogi voluntatem gratia victrice. Sed obtrectatio ſi valet, alio duriore iugo premuntur beatæ mentes, alio diuina voluntas, eóque duriſſimo premitur. Si neſciunt, gratia victrice Chriſti ſeruatoris verè liberatur voluntas & erigitur; non cadit, non opprimitur. Quare ſi dicimus vinci voluntates noſtras gratia Chriſti ſeruatoris, malas voluntates dicimus, vinctas dicimus & impeditas laqueis concupiſcentiæ. Sed vt illis obtrectatoribus os occludatur, vt lutheranis occludatur & caluiniſtis, qui velint nos gratia liberante captiuos duci, qui peccato ſeruit, liber eſt à iuſtitia; qui ſeruit iuſtitiæ, liber eſt à peccato. Quare ſiue bona voluntas eſt, ſiue mala, ſi modò conſulta ſit, libera ſemper eſt & domina. Sed impotenti iudicio facta voluntas irrationabilis & inconſulta, cadit omni dominio. Quod autem antea concluſum eſt, vt area lineæ & areæ ſolidum, ita libertatis à neceſſitate conſequens eſt libertas à peccato, & vtriuſque conſequens libertas à miſeria.

Verùm, inquies, verè non cogimur motibus inconſultis. Non, inquam, cogimur extrinſecus, ſed intrinſecus è nobis verè cogimur. Vt enim cogit nos externa vis, ita verè cogit nos irrationalis è nobis & cæca neceſſitas. Sed de vocabulis diſceptandum non eſt. Coactum nanque violentum ſi dicis, motibus illis verè non cogimur: ſed eis cogimur, ſi neceſſarium dicis aduerſum libero. Cogitur itaque lapis, inquies, cum ſponte decidit. Verum dicis, inquam, ſi cogi dicis abſolutè quicquid neceſſitate premitur. Sed alia longè ratio cadentis ſponte lapidis, alia furentis herculis. Nanque caſus lapidis conſentaneus eſt & aptus propriæ eius naturæ. Impetus autem inconſultus in nobis planè diſſentaneus nobis eſt & contrarius. Impotens enim homo ſe captiuum habet, ſe non habet dominum ſui, dominum ſuæ voluntatis non habet.

Sed, ſi fortè nos impotentes furore premimur, inquies, certè perditos verè premit in inferis extrema calamitas.

Digitized by Google

Verè,inquam, ſuum & beatis & miſeris iugum aliquod eſt. Omnis nanque ſeruitus verè iugum. Sed beatorum leue iugum eſt & ſuaue; miſerorum verò, durum & acerbum. Iuſtitiæ ſeruit beata mens à peccato libera: ſeruit peccato Satanas à iuſtitia liber. Sed ratione fixa voluntas in beatis mentibus & miſeris. Quo nanque conſilio peccauit Satanas, eodem fixus manet in malo. Quæ conditio non eſt irrationalis impetus & inconſulti. Saltem, inquies, in malo fixa Satanæ voluntas videtur aduerſa naturæ. Verè, inquam, ſi res æſtimatur è fine. Facta nanque creata voluntas eſt diuinæ maieſtatis glorificandæ cauſa. A quo fine ſuo peccatrix voluntas omnis ſe habet auerſam, ſiue reuocabilis eſt ſeu irreuocabilis. Si verò res æſtimatur è proprio natiuóque voluntatis operandi modo, ſuam contra naturam non vult conſulta voluntas. Conſultè porrò vult Satanas, vult deliberatè, fixo vult æternóque iudicio.

Verùm, inquies, inconſultus ille & irrationalis impetus nobis extrinſecus euenit, non intrinſecus è nobis. Vino nanque turbatur ebrius & febre febricitans. Quæ duo etſi nobis inſunt, verè tamen nobis aliena ſunt & externa. Nam acuta febre iactatus, externo principio iactatur, non interno, non proprio. Quæ dementium & infantium & ebriorum ratio. E nobis enim non ſunt impedimenta rationis, è natura non ſunt. Quapropter è nobis non ſunt inconſulti & irrationales animi motus. Violenti ſunt itaque. Verè, inquam, quæ communia nobis omnibus rationis impedimenta ſunt, ea videntur eſſe propria naturæ. Qualis ætate prima corporis infirmitas & animi. Quæ nihilominus alia longè ratio foret noſtræ conditionis, ſi naſceremur innocentiæ filij, non iræ. Sed ecquæ fuiſſet hoc ab ortu primo felicitas, verè neſcimus, neſcimus diſtinctè. Qui mente capti naſcuntur, qui ſenſu, qui corpore, ij, quòd malè nati ſint, debent radici malorum omnium, quæ labes eſt originis. Quæ febrium eadem origo, quæ mortis & cæterorum infortuniorum omnium. Quamobrem hæc nobis inſunt è nobis quodammodo. Omnes etenim in Adamo peccauimus. Quod inſuper nos experientia docet,

Digitized by Google

vt vino capitur ebrius errore proprio, ita nos pleriſque morbis & aliis, quæ infinitæ ſunt, vitæ perplexitatibus. Sed nobis eueniant è nobis hæc omnia, non eueniant, his capta mens laqueis & neceſſitate delirans, verè mens eſt & mens agens. Quæ raptæ delirio voluntatis conditio. Quare delirium è nobis eatenus eſt, è nobis eatenus inconſulta voluntas. Sit ergo violenta febris, non ſit; violentæ ſint injectæ nobis & impoſitę corporis & animi compedes, non ſint; certè violenta non eſt voluntas inconſulta, violentum non eſt exquiſito nominis vſu delirium.

Sed, inquies, naturaliſ-ne conſulta voluntas, an inconſulta? Si naturale dicis, inquam, quod eſt aduerſum contingenti, neutra plenè naturalis eſt in nobis. Si naturale dicis, quod non eſt aduerſum naturæ, naturalis non eſt inconſulta voluntas. Neque conſulta voluntas naturalis eſt, ſi naturale dicis aduerſum libero, rationali, voluntario. Sed naturale ſi dicis, quod eſt ſecundum naturam, naturalis eſt conſulta voluntas, non inconſulta. Denique ſi naturale dicis, quod impetu fit, eóque veluti cæco, veluti bruto, naturalis eſt inconſulta voluntas. Non tamen eo planè titulo, quo motus lapidis. Semper enim rationis aliquid habet inconſulta voluntas, alioqui nullo modo voluntas eſſet. Sed quia minimum illud eſt, & ad vſum popularem verè nihilum, ideo naturalis vulgò dicitur inconſulta voluntas. Imò quæ voluntas irrationalis eſt & inconſulta, hæc verè non eſt voluntas; neque voluntarium verè, quod inconſultum & irrationale, ſi cum ſancto Bernardo & cæteris omnibus loquimur, quibus cum libertate reciproca volũtas eſt, & voluntariũ cum libero reciprocũ.

Verum, inquies, ſi voluntarium inconſultum verè voluntarium non eſt, quid eſt igitur? De vocabulis, inquam, non inſtituenda lis eſt. Quare ſi voluntarium abſolutè dicis, quod ortum habet à voluntate, verè voluntarium eſt. Alioqui ſi voluntarium rationale dicis, quod proprium eſt appetitus rationalis, verè non eſt voluntarium. Sic iniqua lex verè lex non eſt; verè cognitio non eſt falſa cognitio; iudicium impotens verè non eſt iudicium.

Digitized by Google

Quamobrem vt inuoluntarium ab ignorantia dicunt, quod nihilominus ortum habet à voluntate: ita voluntarium inconſultum verè propriéque inuoluntarium eſt à coactione. Violentam coactionem non dico, quæ cadit in vires ſubjectas voluntati; ſed coactionem inconſultam, qua voluntas è rationali fit irrationalis, è potenti fit impotens, ſuóque cadit interno dominio. Hoc inuoluntarium, fateor, ab ignorantia pendet & ab infirmitate. Sed inuoluntarium omne, quod his è vitiis pendeat, inuoluntarium non eſt à coactione. Multa nanque facimus per ignorantiam & infirmitatem, quæ conſulta ſunt & libera. Liquet è peccatis omnibus. Imò vxorem Abrahami conſultò & deliberatè, ideóque liberè concupiuit Ægyptiorum Rex, quanuis inuincibiliter ignoraret vxorem eſſe, quam maritus ſuam eſſe ſororem aſſereret. Quare ſi voluntarium ab ignorantia, qualis præſertim habetur inuincibilis, etſi conſultum, nobis inuoluntarium eſt: quantò magis inconſulta voluntas ab impotenti iudicio? Sed finis ſit. Hoc autem opuſculum volo cupióque permiſſum iudicio matris Eccleſiæ, eccleſiæ Pariſienſis iudicio, ſcholæque.

Laus, honor & gloria
Deo patri
per Ieſum Chriſtum
& charitatem Spiritusſancti
in ſæcula ſæculorum
amen.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag.5.l.1. *liberras*, lege libertas. Eadem p. l. penult. *probitatatis*, lege probitatis. p.2.l.20 *colomna*, lege columna. p. 8.l.30. *quam*, lege quem. p.9.l.24. *oportunius*, lege opportunius. p.12.l 10. *praunte*, lege præeunte. p.15.l.34. *ſemſim*, lege ſenſim. p.18.l.32. *indiffeerens*, lege indifferens. p.2.l.16. *conſiliari*, lege conciliari. p.35.l.26. *calidorum*, lege callidorum. ead.p.l.37. *caliditas*, lege calliditas. p. 41.l.1. expunge, *conſilij, eſt verum ſapere; & velle ex libertate.* p.42.l.4. *nequnẽt*, lege nequeunt. ead. p. l.6. *conſumetur*, lege conſummetur. p. 54. l. 10. *Eolus*, lege Æolus. p. 57.l.1. *nihil non acceperimus*, lege nihil quod non acceperimus. p.76.l.37. *quòd gratiam*, lege quòd præuenientem Dei gratiam. p.70.l.15. *conſetire*, lege conſentire. p.78.l.15. *refferat*, lege referat. p.85.l.10. *obyeciſſet*, lege obieciſſet. p.96.l.25. *votas*, lege voluntas. p.106.l.36. *extraordinerius*, lege extraordinarius. p. 111.l.4. *Cornellius*, lege Cornelius. Ead.p. l.5. *ſcipio*, lege ſcipio. p.115.l.34. *ſernatore*, lege ſeruatore. p.118.l.27. *natuta*, lege naturæ. p. 121.l.30. *mentum*, lege mentem. p. 129.l. 27. *προαιρεσίοις*, lege *προαιρέσεως*. p.161.l.26. *alicit*, lege allicit. p.168.l.21. *caritatis*, lege charitatis. p.169.l.32. *medularum*, lege medullarum. p.181.l.3. *viciſim*, lege viciſſim. p.197.l.5. *vtratur*, lege vtatur. Ead.p.l.11. *inincoatur*, lege incoatur. p.208.l.9.&10. *confirmanem*, lege confirmationem. p.210.l.20. *cegitare*, lege cogitare. p.213.l.15. & 24. *amollit*, *amolliendi*, lege emollit, emolliendi. p.217.l.7. *exedantur*, lege exedatur. p. 222.l.2. *concupiſcenſcentia*, lege concupiſcentia. p. 224. l. 4. *quàdoquidem*, lege quandoquidem. p.232. l.11. *craſiſsimus*, lege craſſiſſimus. p. 270. l. 29. & 30. *indifeferentis*, lege indifferentis. p. 281.l.18. *pramerentur*, lege premerentur. vbi leges demeris, niſi placet, lege dempſeris.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google